

Bibliotheca



*Palatina
Düsseldor-
piensis.*

SELECTA
EX
HISTORIA
ECCLESIASTICA,
SEU
MEMORABILIA

DE
ECCLESIA IN TERRIS MILITANTE,
CONGESTA

PER
F. GERARDUM CASTEEL,
CANONICI ORDINIS SANCTAE CRUCIS DOMUS
DUISBURGENSIS PRIOREM.

OPUS POSTHUMUM,
QUOD PRAEFATIONE ET INDICE AUCTUM

PUBLICI JURIS FACIEBAT
F. IGNATIUS HEYEGG,
REGULARIUM EJUSDEM ORDINIS S. CRUCIS EJUSDEMQUE DOMUS
DUISBURGENSIS PRIOR.

Cum Privilegio S. Caes. Majestatis & Superiorum permissu.

DUSSELDORPII,
TYPIS CAROL. PHILIPP. LUDOVIC. STAHL, AULAE TYPOGRAPHI
A. MDCCLX.

K. G. 84
23c



EXCELLENTISSIMO
ac PERILLUSTRI DOMINO
DOMINO THEODORO

LIBERO BARONI

D'HALLBERG,


DOMINO IN LUXHEIM, KAYENBERG, KELDE-
NICG ETC. SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTO-
RIS PALATINI CONSILIARIO INTIMO,

NEC NON

ALTEFATAE SERENITATIS SVAE ELECTORALIS
IN AULA REGIA ET APUD REMPUBLICAM POLONIAE
MINISTRO PLENI-POTENTIARIO

DOMINO AC PATRONO MEO

PERQUAM GRATIOSO.



*EXCELLENTISSIME,
PERILLUSTRIS, ac PERQUAM GRATIOSE
DOMINE.*

Quisquis mecum hâc sorte fruitur, ut jam inde à pluribus annis TE sibi faventem, atque accessu peculiari notum, cultumque habuerit; is sanè non potuit non perfundi gaudio, quòd Legationi Saxónico-Polonicae admovereris. Sive enim Regis, & Reipublicae, ad quos missus es, Majestatem, ac Magnificentiam, Aulae splendorem, Ministrorum investigatricem prudentiam consideremus, sive Serenissimi, qui TE misit, Principis CAROLI THEODORI, in personarum ad negotia, ministrarumque delectu sapientiam; omni semper ex parte EXCELLENTIAE TUAE capaci, consummatae, ac super fenes cum Davide intelligenti juventuti summus inde accessit honor, quòd Ipsa ad munus hoc, ex delicatâ turbandi bello temporis crisi perquam difficile, in tantâ praestantissimorum

rum virorum abundantia deligeretur. Quodsi, ut habet proverbium, occasio, & Magistratus virum probant, ostendunt, quanto magis Legatio? Et, si omnis Legatio index est singularium animi dotium, quanto magis haec Tua? Si jam gloriosum fuit, a tanto Principe ad tantum Regem mitti, quanto magis tam augusti muneris integerrima, dexterrimaque hactenus tres ultra annos perfunctio & Tuam, & Majorum, Agnatorumque Tuorum gloriam augebit? Compleri nimirum nunc videmus, non modo gloriam Patris TUI, celebratissimi quondam in Manhemienfi Aula Cancellarii praesensionem, praeclara ominantis & excelsa omnia de ingenio TUO, sed Parentum etiam, & qui TE adolescentem noverunt, aliorum expectationem, quibus eximia TUA in elegantioribus juvenum nobilium exercitationibus ac studiis excellentia sublime aliquid & plenum gloriae minabatur. In hujus rei aeviternam memoriam, meaeque singularis laetitiae manifestationem, patere, VIR, ac MINISTER EXCELLENTISSIME, ut, qui nihil munusculi Legato offerendi de propriis inveneram vigiliis, illustrissimum Nomen TUUM praeponam operi alieno
noti

noti TIBI ab eruditis suis *Controversiis Ecclesiastico-historicis* CASTELII, Praedecessoris mei in Prioratu Duisbergensi. TUIS sub auspiciis prodeat demùm liber iste si non exasciatus plenè, dignus tamen, qui non ultrà in avaro scrinio recluderetur, plurimis doctissimis visus: sub TUIS, inquam, qui appretiare nôsti utilia scitu, & jucunda, dives opùm eruditionis ex copiosâ lectione librorum boni gustus, qui cum Musis, Astraeâ, & Politicarum rerum peritiâ mixturam Societatis humanissimam hanc fecisti, ut non solum præclarâ Juris publici, privatiq̃ue notitiâ, per varias Germaniae Universitates conquistâ, excellas, sed insuper altiori statûs ministerio applicari merueris; quorsum historiae, cujus es amantissimus, studium quantum contribuat, quantum Legatos, aliòsque Ministros juvet, ac ornet, proprio nunc capis experimento. Velim itaque demissè rogatum TE, VIRE EXCELLENTISSIME, ut hanc mentis meae TIBI pridem devotissimae professionem publicam nobili atque connatâ humanitate acceptare digneris, atque ex his *Selectis historicis* tantùm reminisci eorum, quae jam legisti. Quis enim ausit proponere aliquid TIBI, nondum lectum?

Adjun-

Adjungo ardentissimum & veteris in me affectus conser-
vandi, & longaevae salutis, votum, pacis desideratae Au-
thorem Deum jugiter unà cum meis Confratribus obte-
stans, ut Serenissimus Rex Poloniae in suae quondam pa-
radiso Saxoniae optatam pacis arborem in brevi rursus gau-
deat videre plantatam, ex quâ decerptum olivae ramum
EXCELLENTIA TUA cum lautiis honorum referat Se-
renissimae Domui Palatinae: Servet EANDEM Deus sa-
nam, salvam, & incolumem, donec legatione gloriose
finitâ cum gaudio revertatur ad propria, patriae ministe-
rio sublimiori plurimos adhuc in annos, pro suo Zelo, va-
stâque indole, superfutura plus cominus, Id quod sincero
corde precatus, permaneo sub consecratione humilis ser-
viti mei, meorumque profundo respectu

EXCELLENTIAE TUAE

*Dabam Duisburgi, 1ma Aprilis,
Anno 1760.*

Servus Humillimus
F. Ignat. Heyegg, P. D.

LICENTIA

REVERENDISSIMI AC PERILLUSTRIS
DOMINI PRAEPOSITI GENERALIS.

LAMBERTUS ENGELBERTUS
de FISEN,

TOTIUS ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM
SANCTAE CRUCIS PRAEPOSITUS GENERALIS, AC
PRIMARIAE EJUSDEM ORDINIS DOMUS IN
CLARO LOCO APUD HUUM MAJOR
PRIOR. ETC. ETC.

DILECTO NOBIS FILIO AMPLISSIMO
DOMINO

IGNATIO HEYEGG,

CANONIAE NOSTRAE DUYSBURGENSIS PRIORI
PATERNAM BENEDICTIONEM.

Quantum orbi Litterario placuerint, quamque gratanter
& avidè ab eodem desideratae receptaeque fuerint *Con-*
troversiae Ecclesiastico - Historicae, Authore Plurimum
Reverendo ac Amplissimo Domino GERARDO CASTEEL,
Canoniae Nostrae Duysburgensis, cui actualiter Praees, olim
Priore: satis demonstrat multoties iterata illarum editio: non

(b)

minùs

minùs placitura confidentes *Selecta ex Historia Ecclesiastica, seu memorabilia de Ecclesia Militante* per eundem congesta: quae inter ejus manuscripta reperta, Censurisque Doctorum & Ordinariorum praemunita, Typis mandari postulas. Ut id exequaris, dummodò de jure servanda servaveris, & optamus & annuimus. Datum apud Huum in Primariâ Nostrâ, dicta Clari Loci Canonîâ, Hac 27ma Martii 1758.

F. L. E. Fisen, qui suprâ.

*De Mandato Perillustris
ac Reverendissimi Domini mei.*

F. J. F. L. Walthery, Secretarius.

CEN.

CENSURA ORDINARIJ.

Legi librum manuscriptum: *Selecta ex Historia Ecclesiastica* à Reverendo admodum, & Doctissimo P. GERARDO CASTEEL Canonici Ordinis S. Crucis Domus Duysburgensis Priore, qui per *Controversias Ecclesiastico-Historicas* in litterariâ Republicâ jam dudum inclaruit, pari cum laude congesta; cum in eo nihil orthodoxae fidei, aut sanae doctrinae contrarium reperiatur, eundem imprimendi facultatem concedo

Coloniae 10. Maji
1757.

JO. GODEFRIDUS KAUFFMANS
S. T. D. Archidiaecesis Col. Sigillifer Major, Exam. Syn. & Librorum Cenfor, Can. B. V. in Capitol. m. p.

APPROPATIO.

S*electa ex historia Ecclesiastica* ab Amplissimo Dno GERARDO CASTEEL Canonici Ordinis S. Crucis Domus Duisbergensis Priore compilata, talia videntur, quae & doctis docta, & curiosis curiosa, & sciolis, historiam Ecclesiasticam utcumque profitentibus, suggerant documenta antiquitate veneranda; quare pro bono publico eadem praelo digna Judico.

Colon. 29. Xbris 1756.

Idem Sentio F. JOSEPHUS PRICKARTZ, Ss. Theolog. Doctor Praefes Semin. Norbert. Exam. Synod. ppm.

F. FERDINAND. KRUFFT,
Sacri Ordinis Praemonstratensis
Ecclesiae Steinfeldensis Canon.
Sstae Theologiae Doctor ac Professor Ordinarius, & publicus mppâ.

(b) 2

PRI.



PRIVILEGIUM CAESAREUM.

NOS FRANCISCUS Divinâ favente Clementia
Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac
Germaniae, & Hierosolymarum Rex, Dux Lotharingiae. &
Barri, Magnus Hetruriae Dux, Princeps Carolopolis, Marchio
Nomeni, Comes Falckensteinei &c. &c. Agnoscimus, & notum fa-
cimus tenore praesentium Universis, quod, cum Nobis devotus No-
bis dilectus Ignatius Heyegg, Canonorum Regularium Ordinis San-
ctae Crucis Domus Duisburgensis pro tempore Prior, humillimè ex-
ponendum curârit, se quodpiam opus, cui titulus est: *Selecta ex Hi-
storia Ecclesiastica, seu Memorabilia de Ecclesiâ in terris militante*, a P.
GERARDO CASTEEL congesta, praeviè producta approbatione Theolo-
gorum & Censurâ ordinarii, de novo in Quarto typis publicis edere
velle, vereri autem, nè aemulorum, sua duntaxat commoda alieno
cum dispendio & jacturâ sectantium invidia & cupidine, impendii &
laboris sui sperato fructû priveretur, ideoquè Nobis demississimè sup-
plicârît, ut Privilegio Nostro Caesareo indemnitati ejus clementer
consulere dignaremur, Nos, attenta hujus operis singulari utilitate,
justis hujusmodi precibus benignè annuendum censuerimus, uti & vi-
gore praesentium annuimus. Mandantes proinde omnibus & singulis
Typographis, Bibliopolis, aliisque quibuscunque rem librariam, aut
literariam negotiationem exercentibus, seridque ac districtè inhiben-
tes, ne quisquam eorum praefata *Selecta ex Historia Ecclesiastica, seu
Memorabilia de Ecclesia in terris militante* à P. GERARDO CASTEEL conge-
sta,

ita, quocunque caractere, modo aut formâ sive integra, sive aliquam eorum partem, citra memorati Prioris IGNATII HEYEGG expressam voluntatem, & consensum intra annos decem ab hodiernâ die computandos recudere, aut aliò recudenda dare, sive alibi impressa intra Sacri Romani Imperii fines importare, publicè privatimve vendere, aut distrahère praesumat, quatenus omnibus Exemplaribus à dicto Priore HEYEGG, sive autoritate propria, sive Magistratus ope & auxilio, ubi ejusmodi Exemplaria reperta fuerint, quotiescunquè huic Mandato Nostro Caesareo contravenerint, vindicandis, in quod ipsi facultatem omnimodam Autoritate Nostrâ Imperiali concedimus, planè privari, atque insuper multam Sex marcarum auri puri, pro semissè Fisco Nostro Imperiali, & pro altero semisse damnum passi usibus applicandam incurrere noluerint, dummodo tamen tenor hujus nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, & consueta quinque Exemplaria Consilio nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus porro Universis Nostris, & Sacri Romani Imperii subditis, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, conditionis, aut dignitatis fuerint, imprimis verò Magistratum gerentibus & suo, vel alieno nomine justitiae administrationem exercentibus, ne quemquam hoc Mandatum & Privilegium Nostrum temerè, aut impunè transgredi patiantur, quin potius Contraventores praescripta pœnâ mulctent, aliisque idoneis remediis coercant, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Caesarei appensione munitarum, quae dabantur Viennae die vigesimâ primâ Aprilis Anno millesimo septingentesimo sexagesimo, Regni Nostri Decimo quinto.

FRANCISCUS (L. S.)

Vt R. Comes Colloredo.

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Majestatis proprium.
Matth. Wilhelm. Nob. D. de Haan. mppr.

(b) 3

AD



AD LECTOREM.

GERARDI CASTELII *Controversiae ecclesiastico-historicae*,
typis Agrippinis anno 1734. ac dein A. 1756. propositae,
liber exquisiti gustûs, elegantique sermone caelatus, fecerunt
jam tum eruditâs desiderium, ultiores lectionis tam vastae,
tamque firmi iudicii tractatus ab ipso habendi. Non defuerat il-
le votis, qui sibi, ut in eo polemicae genere, quod ab historiâ
moveri assolet, tantò solidior evaderet, thesaurum jam parave-
rat, absque inopiae periculo in plures erogabilem, praesens pu-
ta opus; quòd praematura ex calculo mors Autoris fecit extare
posthumum: Verè *Selecta* sunt, quae in eo continentur, nucleò-
que plena nux, Iliados immensae parva theca: ut, quibus aut
non vacat, aut volupe non est, tot legere, quot ille, possint
compendiosâ brevitate scire per unum mensem quàm plurima.
CASTEELIUS impiger millenas impendit horas, & millenas,
ut alii erudirentur intrâ non multas: legit hunc in finem prae-
stantissima Patrum, atque aliorum Scriptorum, Italorum, Ger-
manorum, Hispanorum, Anglorum, & praepriis Gallorum,
volumina, quorsum ei Alma Universitas Duisburgensis, quin
& singuli Professores, Viri nostri conatum admirantes, atque
natu-

naturae talentum, suas aperuerunt bibliothecas. Ut ut autem succinctus sit, pleraque tamen memoranda complectitur, insper-
fis quoque jucundis, & curiosis, quibus scitis quis non solum in scholis, gloriosus, sed etiam in symposiis gratus, appareat: Juri ecclesiastico publico ubique facem historicam praefert: neque enim facile est illustris materia, quam praetermiserit; ut non modò incipientes, sed etiam, qui longius jam progressi sunt, ignorata hinc discere, ac illud Hieronymi de praeceptore Didymo dicere possit: *legi Casteelium, in multis ei gratias ago, quod nescivi, didici.* Ad hæc sincerus est scriptor, non negans, neque obnubilans, quae historicè putavit vera esse: nullus respectus politicus, nulla servitus eum induxit, ut vinculis alligatam veritatem contineret sub tenebris astutiae: quae res dubiae sunt fidei, has proposuit ut dubias, crisiue applicatà verisimilius in obscuris elegit. Quàm erat in civili cōversatione placidus & amicus, tam se in pugna historicà monstravit acrem sermone in hostes Ecclesiae, ac Sanctae Sedis; id quod polemico, dum dimicat, indulgendum. Nam & S. Hieronymus ad similia sibi objecta reposuit, *nunquam se haereticis pepernisse, sed omni egisse studio, ut hostes Ecclesiae sui quoque hostes fierent.* Denique recorderetur discretio tua, lector, opus non edi à parente suo, qui utique illud hinc inde, si supervixisset, meliori acribiâ excoluisset: relicta autem sunt omnia, prout ejus operâ, manûque jacuerunt in scriptis, ne lima tollendis quibusdam admota, vel trulla cœmentum peregrinum adjiciens, faceret, partum non fore ex integro Casteelianum. Et tantum quidem de hoc opere, quod, sicut non vanè confiditur, commendabit ipsum se, & authorem. Hujus personam quod attinet, patria ipsi tellus Colonia; nativus religiosae professionis locus Canoniam regularis S. Crucis in monte S. Helenae, quatuor à Treviri leucis, vulgò *ad Hospitale*: hinc verò jam ante 60. annos Dusselam translatus, in ejusdem Ordinis Domo post exactum unum alterúmve cursum Philosophiae, atque Theologiae nominatus est Sub-Prior, quo munere laudabiliter fungebatur, solerter instans divinae psalmodiae, & claustrali disciplinae, vir prudens, discretus, affabilis, jucundae,
etiam

etiam ad facetias usque, conversationis; quam solitudinis amans valde nec affectavit, nec, quoties eam charitas, vel decorum poposcit, misanthropus declinavit. In polemicis, quae vocant, studiis fortitudo ejus; nec mirum, quia bonus Theologus, bonus historicus erat: duabus his scientiis adjecit Ss. Canonum peritiam, quam in ipso viri de Dusseldorpiensibus Dicasteriis doctissimi semper tanti fecerunt, ut super gravioribus negotiis ecclesiasticis sapientiam exquirerent CASTEELII. Quàm procul ab ambitu, & scientiâ inflante steterit ille, demonstravit rarum in electione Prioris Dusselani exemplum: stabat CASTEELIUS cum OSSELMANNO, uterque egregius, uterque eligendus, nisi unius Ecclesiae unus tantùm Rector esse posset: uterque alterum se digniorem censebat, in eundemque quintâ vice dirigebat suum votum cum adhaerente sibi parte: resultabant itaque in quinque scrutiniis paria, donec Casteelii facundia tribus de parte sua persuaderet, ne sibi porrò darent votum. Exemplarem modestiam praemiavit triennio post Rmus Dominus Huyensis, quâ Praepositus generalis, ac provisor Prioratûs Duisburgensis; quam domum vir integerrimus per annos 25. non solum optimè rexit, sed suâ quoque eruditione in vitâ & post transitum exornavit, percharus ob accedentem animi probitatem etiam his, quorum sectam ipse oderat. Mors invida decus Ordinis abstulit A. 1733., omnes praeter ipsum, in extremis & patientem, & spe melioris vitae laetum, in magno luctu constituens. Tu, Lector, fave posthûmae Viri gloriae, tanquam solidæ cuidam rei, non adumbratae, laude bonorum consentiente, incorruptâque voce benè judicantium, selectui huic resonante, firmatae. Vale, & ita CASTEELIO fave, ut merearis ab eo porrò aliquid videre,

ELEN-

ELENCHUS LIBRORUM ET CAPITUM.

<p>LIBERI. Syntagmata Prologica. Caput I. De summo Pontificatu pag. 1 Cap. II. Electio 8 Cap. III. Conclave 11 Cap. IV. Forma Electionis 15 Cap. V. Persona eligibilis 19 Cap. VI. Acceptatio, mutatio nominis & promulgatio Electi 23 Cap. VII. De inthronizatione seu Coronatione Electi 27 Cap. VIII. Appellativa 33 Cap. IX. Pontificatus bifidus 44 Cap. X. Vaticinia de futuris Pontificibus 46 Cap. XI. Historici 54 Cap. XII. Scopus Autoris 57 Cap. XIII. Pontificis Romani Dominium temporale 58 Cap. XIV. Pontificis Romani Ministri 59 §. II. seqq. ibid. Series & Vitae Pontificum a pag. 63</p> <p>LIBER II. Schismatum Historia Schisma I. NOVATIANI contra CORNELIUM 238 Schisma II. FOELICIS contra LIBERIUM 241 III. URSICINI contra DAMASUM 242</p>	<p>Schisma IV. EULALII contra BONIFACIUM 245 V. LAURENTII contra SYMMACHUM 247 VI. DIOSCORI contra BONIFACIUM II. 249 VII. Vigiliis contra Silverium 250 VIII. Petri & Theodori 251 IX. Theodori & Paschalis 252 X. Theophilacti contra Paulum I. 253 XI. Constantini & Philippi ibid. XII. Zizinni contra Eugenium II. 255 XIII. Anastasii contra Benedictum III. ibid. XIV. Sergii contra Formolum 257 XV. Bonifacii contra Stephanum VI. ib. XVI. Leonis contra Joann. XII. & Benedicti V. 258 XVII. Bonifacii contra Bened. VII. & Joann. XIV. 259</p>
---	---

(c)

Schif.

Schisma XVIII. JOANNIS contra GREG. V. 261	Romanum 295
XIX. GREGORII contra BENED. VIII. 262	Arelatenſe 296
XX. SYLVESTRI III. con- tra BENED. IX. 263.	Romanum 297
XXI. HONORII II. contra ALEXANDRUM II. 264	Ancyranum <i>ibid.</i>
XXII. GUIBERTI contra GREG. VII. 265	Laodicenum 299
XXIII. ALBERTI &c. contra PASCHA- LEM II. 266	Eliberitanum 300
XXIV. GREGORII VIII. contra GELA- SIUM II. 267	Generale I. Nicaenum 303
XXV. ANACLETI II. con- tra INNOC. II. 268	Antiochenum 319
XXVI. VICTORIS IV. &c. contra ALEXAND. III. 269	Colonienſe 322
XXVII. NICOLAI V. con- tra JOAN. XXII. 271	Sardicenſe 323
XXVIII. CLEMENTIS VII. &c. cont. URBA- NUM VI. 273	Sirmienſe 327
XXIX. FOELICIS V. con- tra EUGEN. IV. 285	Mediolanenſe 328
LIBER III. De Conciliis.	Ariminenſe 329
Concilia	Generale II. Cpolit. I. 330
Apoſtolica 293	III. Ephesinum 333
	IV. Chalcedonenſe 337
	V. Cpolit. II. 339
	VI. Cpolit. III. 344
	VII. Nicaenum II. 348
	Francofurtenſe 350
	VIII. Cpolit. IV. 355
	IX. Lateran. I. 359
	X. Lateran. II. 360
	XI. Lateran. III. 361
	XII. Lateran. IV. 363
	XIII. Lugdunenſe I. 365
	XIV. Lugdun. II. 367
	XV. Viennenſe 368
	Pifanum 370
	XVI. Conſtanienſe 372
	Baſilienſe 380
	Bitu-

Bituricense	387	Congregationes	
XVII. Florentinum		S. Officii	431
	389	Concilii Trid.	ib.
Pisanum	392	Ss. Rituum	432
XVIII. Lateran V.		De Propaganda fide	ib.
	395	Indicis Librorum	ib.
XIX. Tridentinum		Episcoporum	433
	397	Status	ib.
		Regularium	434
LIBER IV. Persecutiones gene-		Rota Romana	ibid.
rales Ecclesiae.		Cancellaria Rom.	435
I. sub NERONE Imp.	403	Poenitentiarum	ib.
II. sub DOMITIANO	405	Legati Apostolici	436
III. sub TRAJANO	406	LIBER VI. Hierarchia Ecclesia-	
IV. sub M. AURELIO ANT. &		stica.	
LUCIO VERO Imp.	408	Patriarchae nomen	439
V. sub SEPTIMIO SEVERO Imp.		origo	ib.
	410	numerus	440
VI. sub MAXIMINO Imp.	411	officium	442
VII. sub DECIO Imp.	412	Primates	443
VIII. sub LICINIO VALER. Imp.		Archi-Episcopi	ibid.
	414	Episcopi	446
IX. sub AURELIANO Imp.	416	Chor-Episcopi	448
X. sub DIOCLET. & MAXIM.		Archi-Diaconi	451
	417	Archi-Presbyteri	453
LIBER V. Cardinales.		Primicerius	455
Cardinalium Nomen	421	Canonicus	ibid.
Origo	ib.	Sacrista	457
Officium	423	Chartophylax	ibid.
Numerus	424	Exocatacellus	458
Praerogativa	426	Cancellarius	ibid.
Creatio	429	Reliquia Dignitatum & officio-	
Vestitus	430	rum genera	459

(c) 2

LIBER

LIBER VII. Miscellanea		Caput VIII. Indictio	489
Caput I. Abbas	460	Caput IX. Pragmatica Sanctio gallicana	487
Caput II. Protonotarii	463	Caput X. Spiritualis Monarchia Siciliae	490
Caput III. Canonizatio	464	Caput XI. Ecclesiae suburbicariae	493
Caput IV. Indulgentiae & Jubileum	471	Caput XII. Christianorum Tempula, horum immunitas, ornatus, partes & antiquitas	495
Caput V. Inquisitio haereticarum pravitatis	476		
Caput VI. Annatae	481		
Caput VII. Peccatorum reservatio	485		




SYN.



LIBER I.
SYNTAGMATA
PROLOGETICA.

CAPUT I.
DE
SUMMO PONTIFICATU.

§. I. ontifex idem est ac Sacer Magistratus apud Scævola-
volam : & juxta etymologiam nominis à *Possè*
& *facere* dictus, vel, ut Dionysius Halicar-
nassæus & Varro ajunt, à Ponte, qui Romæ in
Tyberi fuit ad eam partem, quâ Janiculum ab urbe dirimitur,
primò à Pontificibus factus sæpiusque restitutus. Hi apud Ro-
manos de omnibus causis, ad Sacra pertinentibus, judicium fe-
rebant, tam inter Magistratus Sacrificos, quàm inter plebejos;
novasque leges de sacris suo arbitratu condebant, ubi constitu-
tiones scriptæ deficiebant. Hinc de omnium collegarum senten-
tia

ria respondens Lucullus eos apud Ciceronem ad *Attic. Lib. 4.* iudices Religionis vocat. Penes ipsos erant ceremoniæ ac sacrificia, hûcque spectantia cuncta, ac sacerdotes omnes examinabant, quos in officio continebant, ne peregrinos ritus sacros adhiberent. Profanos quoque & imperitum vulgus instruebant de cultu Deorum & Geniorum: & si quem advertissent præscripta sua contempsisse, arbitrio mulctabant. Ipsi nullius potestati erant obnoxii nec Senatui, nec populo suorum statutorum rationes reddere tenebantur. Illos rectè appellari posse, *Hierodidascalos, Hieronymos, Hierophylaces*, seu *Hierophantas*, censet idem Dionysius *Lib. 2.*

§. II. **M**inoribus Pontificibus creatis præfectus est illis Hierarchus, Sacrorum Princeps, & Sacerdotii caput, quod Pontifici Maximo proprium esse convenit, ut est apud Alexandrum ab Alexandro *Genial: die: Lib. 5. cap. 18.* Primum Pontificem Maximum Rex Romanorum Numa Pompilius ex Patribus legit Numam Marcium, ut perhibet Livius *Decad. Lib. 1.* eique sacra omnia exscripta exsignatæque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur; cætera quoque omnia publica, privatæque Sacra Pontificis Maximi scitis subjecit. Nec cælestes modo ceremonias: sed iusta quoque funebria, placidósque Manes, ut idem Pontifex edoceret, quæque prodigia fulminibus, alióve quo visó, missa susciperentur atque curarentur. &c.

§. III. **H**æc dignitas suprema mansit penes proceres & Patricios, quo usque anno U. C. 526. ea ex plebe obvenit Caruncano, qui à Cicerone *in Orat. pro Domo* sua laudatur, & Statuâ donatus est teste Plinio *Hist. nat. Lib. 34. c. 6.* donec Julius Cæsar Pontificatum sibi reservavit, quem interea caruncani posterius ex plebe administraverant. Successere huic Lepidus, &
Au-

Augustus; post quem omnes Cæsares illum vel susceperunt, vel Pontifices Maximos se appellari passi sunt, ut tradit Zosimus, & inscriptiones veteres ostendunt; de quo videndus Baronius *annal. ad An. 312. n. 95. & seqq.* Primus autem omnium circa Annum Christi 380. Gratianus Imp. edicto proposito titulum hunc repudiavit, & se Pontificem Maximum appellari vetuit. Atque ita ea dignitas defecit in Imperatoribus. Hæc de Pontificatu Ethnico.

§. IV. **M**ultò antiquior est Pontificatus Legalis: siquidem in exitu Israël de Ægypto à Deo per Moysen constitutus fuit; quando ejus frater Aaron supremum perpetuumque regimen obtinuit totius ministerii Levitici, Præfectus Sacrorum tum officio tum habitu à cæteris distinctus Sacerdotibus *Exod. 28. & sæpius Levitici Libro*, cujus posterii jure hæreditario, dominante politiâ Ecclesiasticâ inter Judæos, hunc Pontificatum obtinere fungebaturque solus natus maximus in familiâ. Hic Sancta Sanctorum solus ingrediebatur semel in anno, die nimirum anniversariæ expiationis, & expiationem faciebat pro se & familiâ suâ nec non pro totâ congregatione Israël. *Levit. 16.* Ab Aarone usque ad Phanatum Rusticum, qui in obsidione Jerusalem electus fuit, numerantur Pontifices 87.

§. V. **A**brogato Testamento veteri in Lege Gratia Pontificatus Evangelicus seu novi Testamenti immediatè in CHRISTO resedit, qui summus Ecclesiæ Pontifex per omnia probatus *Heb. 4. 6. 7. 8. 9. & 1. Pet. 2.* atque quoad usque in terris degeret Ecclesiam à se institutam gubernavit. Discedens autem ex hoc mundo ad Patrem, unum ex Apostolis delegit, quem potestatis suæ participem fecit, eique collatis clavibus Pontificatum tradidit, *Matth. 16.* atque ovium suarum universalem constituit pastorem *Joan. 21.* dicendo illi: PASCE OVES MEAS. PASCE AGNOS MEOS. Id est, sis Pastor universi gregis,

seu ovilis mei, nempe totius Ecclesiæ meæ, tam filiorum quàm patrum; tam pastorum, & Episcoporum, quàm ovium gregis mei. Hoc verò officium, cum sit ordinarium, ac tam diu necessarium, quamdiu erit ovile, profectò iisdem verbis eandem potestatem, non ad solum Petrum, cui tunc dicta, restrinxit: sed omnibus Petri legitimis successoribus tribuit. Quemadmodum enim veteris Legis Ecclesia, fuit ejus, quæ in Lege novâ est, Ecclesiæ figura: sic ratio exigebat, ut sicut ille præter Deum invisibilem rectorem unum habebat visibilem, ita quoque hæc habeat. Nulla siquidem perfectio in figurâ reperiri debet, quæ non reperiat, & quidem exactius in præfigurato. Et sicut à primordiis gubernationis Ecclesiæ fuit caput visibile CHRISTUS: ita debuit, illo in cælum elevato, tale esse: secus enim haud esset eadem, quæ nunc Ecclesia est, cum illâ, quæ tunc fuit. Sed quoniam nunc Ecclesia non minùs eget pastore uno, quàm tempore Apostolorum, imò etiam magis, quia nunc plures Christiani, non debuit, morient: Petro interire Pontificatus, qui non in Petri commodum: sed in Ecclesiæ utilitatem institutus fuerat: quin potius manere, donec ipsa Ecclesia manet, & quamdiu unius summi Pastoris curâ opus habet, quemadmodum in veteri lege permansit in Aaronis successoribus Eleazaro, Phinees &c. &c. Verùm hæc Theologis deducenda relinquuntur. Hoc unicum tanquam certum constituitur, dignitatem Pontificalem, Petro collatam, ex primâ Christi institutione fuisse *personalem*, quia non fuit à Christo alligata ulli certo loco, sed in Petrum, ejusque successores collata: tamen ex factò Petri ccepit simul esse *localis*, seu potius *mixta*, ut Bellarm. *Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12.* probat. Nam quia Petrus non sine divino nutu postea Romæ Sedem fixit, primusque Episcopus fuit: ut vel ipso Luthero testificante omnes historiæ fatentur, factum est privilegium etiam *Locale*, quod Pontificum Petro in Romanâ Cathedrâ succedentium perpetua series commonstrat.

Colloq.
mensal.

§. VI. **F**aceffant igitur moderni Nugatores, omnesque malignantes Græci, qui omnino frivole prætendunt Romani Pontificis primatum Ecclesiasticum à Generalibus Conciliis fuiffe introductum: pro quo allegant *Act. 16.* Concilii Chalcedonenfis, ubi dicitur, Romanam Ecclefiam à Patribus Concilii Nicæni habuiffe primatum, quia Imperatorum effet fedes. Aft hoc decretum nullius authoritatis cenfetur, tum quod abfentibus Legatis Leonis Magni fit confectum, tum quod ipfi poftea manifefte reclamando proteftati fuerint, imo S. Leo *epiftolis* ad Anatolium, Marcianum & Pulcheriam, Maximam, Juvenalem illud refutaverit & reprobraverit. Et meritò, fi quidem in Concilio Nicæno nullus extat canon, qui Romano Pontifici quandam novam facultatem tribuat: quin apertiffimè *can. 6.* relato in Concilio Chalced. *cit. act.* habetur, quod Ecclefia Romana femper habuerit primatum, quem diu ante tempora Concilii Nicæni exercuiffe conftat ex hiftoriis probatæ fidei. Deinde falſum eſt, quod ex illo Romæ Primatus iſte competat, quia fedes eſſet Imperatoris. Nam Mediolani, Ravennæ Sirmii, Treviris Nicomediæ etiam Imperatores fedes fixerunt, neque tamen illis urbibus fuit aliquando adjudicatus primatus.

§. VII. **E**jusdem commatis reputatur illud, in quo Flaccius Illyricus ejuſque aſſectæ glorientur, quod in Novella 131. legitur: *Decernimus ſecundum Sacrarum Synodorum decreta Sanctiſſimum veteris Romæ Episcopum primum eſſe omnium Sacerdotum.* Hoc enim ſolum aſſertivè ſeu declarativè decretum fuit, quemadmodum Joannes II. P. M. in *epiſt. ad Juſtinianum* inſinuat his verbis: *Sicut regula & ſtatuta Patrum declarant.* Et Nicolaus P. M. docet in *epiſt. ad Michaël. Imp.* ſcribens: *Iſta privilegia huic Sanctæ Sedi à Chriſto ſunt donata, à Synodis non donata ſed celebrata & honorata.* Et ante utrumque Gelafius in Synodo Romana 70. Episcoporum hoc pronuntiavit in terminis: *Sancta Romana Ecclefia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis*

præolata est: sed Evangelicæ voce Domini Salvatoris nostri primatum obtinuit.

§. VIII. **Q**uibus pariter os obstruitur loquentium iniqua, dum rudi plebeculæ persuadere conantur, quasi primatus ille Romani Pontificis provenisset ab Imperatoribus, & quidem Bonifacium III. obtinuisse à Phoca volunt centuriatores *cent. 6. cap. 1.* Lutherus aliique Gnathones. Quo certè nil absurdius dici poterit: quandoquidem in aprico sit, quod Romani Pontifices ante tempora Phocæ, qui rexit initio Sæculi VII. pro aliis nationibus ordinaverint, confirmaverint Episcopos, eos judicaverint, deposuerint, excommunicaverint, dejectos restituerint, leges dederint, de quibus pleni sunt historicorum probatissimorum libri. Et quidem Justinianus anno 533. qui 70. ferè annis Phocæ principatum antecessit in *Epist. ad Joan. II.* scripserat *Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum.* Et Valentinianus III. qui annis 160. Phocam præcesserat, in *epist. ad Theodosiam* perhibet, Sedem Romani Pontificis Principatum Sacerdotii super omnes semper habuisse. Quod itaque Beda *Lib. de 6. et.* Ado in *Chron.* Paulus Diaconus *Lib. 18.* de rebus Rom. referunt, Phocam edidisse sanctionem, qua declaravit Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum: intelligendum est Imperatorem illum, nil novi instituisse: sed tantum quod erat, asseruisse & declarasse. Ad quod, ut citati authores observant, impulsus fuit Græcorum quorundam Præsulum arrogantia, qui Romano Pontifici detrectaverunt obedientiam, imò ipso majores esse voluerunt, & titulum universalis Episcopi sibi appropriare nisi sunt.

§. IX. **C**alvinus distinctius rem enucleandam esse putavit, dum Pontificatum supremum in Germanos & Gallos à Pipino, deinde à Carolo Magno traditum fuisse Episcopo Romano scribit *Lib. 1. cap. 7. §. 17.* Atque ut manifesta mendacia fuco

fucō obducatur, multiplicatur, ſcilicet propterea à Pipino & Carolo conſeſſum Pontifici in Gallias & Germaniam primatum, quod more latronum ſpolia dividere voluerint, dum illis cederet temporale dominium, quatenus ipſe obtineret Eccleſiaſticum. Quod putidum commentum aperte elidunt acta variorum Pontificum Romanorum, qui diu ante Pipinum & Carolum ſupremam authoritatem Eccleſiaſticam in Germania & Gallia exercuerunt. Ut fauces farinam guſtu deprehendunt, ſic ſagax animus verba mendacia. *Proverb. 36.* alii illius furfuris excogitarunt à Conſtantino Magno Principatum Romanum eſſe inſtitutum juxta Canonem: *Conſtantinus Diſt. 96.* In quo Imperator ille decrevit, Romanum Pontificem eſſe habendum eo loco ab omnibus Sacerdotibus, quo Rex ab omnibus ſubditis. Aſt ſi etiam Canon ille genuinus foret, quod ab ipſismet, & pluribus aliis negatur, legenti patebit, quod Conſtatinus fateatur S. Petrum fuiſſe Chriſti vicarium; ideòque illius Succeſſores in Sede Romana debere Eccleſiæ Capitis titulo honorari declaravit hoc ipſum, de quo Conſtatinus multis temporalibus bonis Pontificatum Romanum exornavit. Lutherus, ut in cunctis aliis, ſic in hujus cauſæ deciſione varians *Lib. de poteſt. Papæ* exiſtimavit à Conſtantino V. Pogonato Pontificem primatum fuiſſe conſecutum: quod evincere conatur ex Platina in *Benedicto II.* in quo tamen nec Argus illud deprehenderet. Siquidem Platina ibidem niſi aliud proferret, quàm Imperatorem illum motum Benedicti Sanctitate, decreviſſe, ut is legitimus ſit Pontifex, qui à Clero populòque Romano eſſet canonicè electus, non exſpectatà deinceps Imperatorum approbatione, quæ olim requiſita fuit, propterea quod Sedes Apoſtolica præſidio & auxilio Imperatorum contra Longobardos, aliòsve hoſtes indigeret. Potestatem autem ſacræ jurisdictionis nulli Imperatores habuerunt quam iniquè ſibi arrogãſſent in Eccleſiam Chriſti novo auſu à primis Chriſtianis Imperatoribus non tentato.

CAPUT II.
ELECTIO.

§. I. **M**agnam semper curam sancta gessit Ecclesia circa electionem Pontificis Romani. Et merito: cum inde præcipuum pendeat Christianæ universitati emolumentum. Quia tamen jure divino nihil hæc de re constitutum, non eadem ab exoriente Ecclesia usque nunc fuit eligendi methodus. Observant aliqui, mutationes 17. inveniri in electione seu assumptione Romani Pontificis ante constitutionem Alexandri III. De S. Petro traditur, quod sibi Successorem designaverit Clementem; quod & alios quosdam Pontifices fecisse probabile est. Deinceps, quia id minimè expedire visum fuit, alia formula electionis statuta fuit, nimirum ut soli Ecclesiastici illud jus haberent. Et primorum quidem Pontificum electionem fuisse penes senatum, ex presbyteris ac Diaconis constantem, habetur ex veterum monumentis. Ecclesia postmodum pacem adepta etiam universum clerum populumque Romanum adhibuit, & secuta fuit Imperatorum approbatio. Vigore *Can. 13. Concil. Nicæn.* quo statuitur, ne turbis permittatur facere electionem eorum, qui sunt ad sacerdotium promovendi, quandoque non fuit populus admissus: sic tamen, ut licet non haberet jus suffragii; testimonium tamen vitæ & morum eligendi ab illo postularetur. Quanquam temporum ratio aliquando exegerit, ut permissum fuerit populo usurpare jus suffragii, ut habetur *C. Plebs & seqq. Dist. 63.* AGATHO, qui Anno 678. Pontificatum iniit, statuit, ut electus in Romanum Pontificem non ordinetur, nisi ejus decretum Imperatori primùm præsentetur. Imo huic dabatur certa pecunia. *C. Agatho cit. Dist.* Porro consuetudo illa, quæ à tempore Justiniani viguit, ut electus Pontifex Romanus, Impera-

peratoribus, qui jus sibi vindicaverant confirmandæ suo consensu electionis hujus, & ut ipsi auri pondus persolverent, non pro electione, dignitate, consensu: sed in subsidium ob protectionem & tuitionem Ecclesiæ, Sæculo VII. desit; quando idem AGATHO à Constantino Pogonato obtinuit, ut summi Pontifices hoc onere essent liberati.

§. II. **A**DRIANUS I. sedem Apostolicam adeptus Anno 772. cum ejus rogatu CAROLUS M. ad defendendas res Ecclesiasticas in Italiam venisset, habirâ Synodo cum 153. Patribus, electionem Summi Pontificis cum omnibus investituris Carolo concessit cum dignitate Patriciatus. *C. Adrianus: item C. In Synodo ead. Dist.* Si tamen hi Canones sint legitimi, quales negat esse *BARONIUS Annal: ad An: 774.* tum quod eas Gratianus non aliundè collegerit, nisi ex Chron: Sigeberti, qui Pontificibus fuit infensus, tum quod ex aliis Auctoribus contrarium colligatur. Quod Bellarminus in *Recog. Lib. de his,* alias à se admisis Canonibus animadvertit variis in locis. Sit, ut sit. Ludovicus Pius cessit hoc Jus electionis in perpetuum Paschali I, qui antea fuerat electus sine ipsius consensu. *C. Ego Ludovicus cit. Dist.* Quare posthabito *C. Quia Sancta,* nec in electione Adriani II. Anno 869. adhibiti fuerunt Legati Ludovici II, quamvis tunc in urbe essent. Adrianus III. qui sedit Anno 886. primus ad populum renulit, ne in creando Pontifice consensus Imperatoris expectaretur. *Platina in vita.* Attamen Leo VIII. Anno 986. Ottoni I. Imperatori potestatem eligendi Pontificem renovavit & confirmavit *cit. Dist.*

§. III. **E**x his tandem variis concessionibus, privilegiis, mutationibus exorta fuerunt plura Schismata & crebræ seditiones. Donec tandem Nicolaus II. circa annum 1065. statuit summum Pontificem à Cardinalibus eligendum esse, *non tamen solis,* cum eorum electionem deberet accedere approba-

rio Cleri & populi. *Can. in Nomine Domini. Dist. 23.* Idque conclusum fuit in Synodo Romanâ Episcoporum 113. sub eodem Nicolao. Denique ab Alexandro III. in Concilio Lateran. III. decretum fuit, ut is esset Pontifex Romanus, in quem non tantum major numerus Cardinalium, sicut antea, conveniret: Sed si per scrutinium fiat, ex tribus partibus duæ accederent: ac deinceps illud jus privativè Cardinalibus, adjudicatum in nostra tempora permansit, etiam sede vacante, tempore Concilii Generalis; ut reipsâ observatum in electione Leonis X. tempore Concilii Lateranensis, à prædecessore Julio II. indicti. Quodsi omnes Cardinales essent mortui, quorundam est opinio, spectare electionem Pontificis ad Canonicos Lateranenses, quorum Ecclesia est propria sedes Romani Pontificis. Alii autumant spectare ad Patriarchas, aut Concilium Generale vel Provinciale. Si duo tantum Cardinales forent superstites, censent Canonistæ ad eosdem spectare electionem, juxta *cit. C. Adrianus & C. Non licet. Dist. 63.* Imò in unico remanente posset & deberet jus illud electivum persistere, conformiter Clement. *Ne Rom. Ecclesia. De Elect.* Quia jus servatur in uno. Is verò non posset se ipsum eligere: nisi nomine totius Collegii alteri potestatem tribueret, qui velut compromissarius residuum Cardinalem eligeret, ut sentit Abbas in *C. Gratum. De Post. præl.* In Concilio Lugdunensi II. sub Gregorio X. Basiliensi sess. 23. multa, ad electionem Pontificis spectantia, ordinata sunt. Varia quoque statuerunt Bonifacius VIII. Clemens VII. Paulus IV. Pius IV. Gregorius XV. & Urbanus VIII. hęc observanda.



CAPUT III.
CONCLAVE.

§. I. **M**ortuo summo Pontifice, quamprimum Cardinalis Cubicularius supremus unâ cum cæteris Camerae clericis intrat cubiculum, in quo defuncti corpus jacet, lectoque approximans nomine baptismali & familiæ ter repetito altè interpellat: & non obtento responso, curat instrumentum publicum per præsentem protonotarium Apostolicum confici de morte Pontificis. A Camerae Magistro annulum & Sigillum Papale exigit, utrumque confringit, ne usui esse possit. Palatii Apostolici possessionem capefcit, inventarium exactum format, excubias ordinat, pollinctores libitiniariosque constituit. Mox campanâ argenteâ, in hunc duntaxat usum reservatâ, mors populo indicatur. Sede vacante Rota Romana (supremum iudicium 12. Prælatorum in circulo, instar Rotæ sedentium) Dataria, omnesque Cardinalium Congregationes cessant. Corpus in vaticanum templum delatum, triduo manet expositum in capulo Cypressino, qui nigro contextus est holoserico villosò, ac sarcophago plumbeo, stanno obducto, circumdatus & à Canonicis S. Petri procurari debet. In eodem capulo apponuntur nummismata, in quorum anticâ Pontificis effigies repræsentatur, in posticâ ejusdem gesta memorabilia exprimuntur. Reponitur postea idem corpus defuncti, clausis januis, per cognatos in sepulchrum memoratæ Basilicæ nonnisi terrâ obductum, quousque novendialia funeralia absoluta fuerint. Ubi etiam anno integro remanere debet, priusquam pompâ arbitrariâ aliò transferri possit. Sepulchrum sumptuosum & epitaphium procurat successor, si prædecessoris sit creatura vel consanguineis parentalia committit.

§. II. **I**nterea Collegio Cardinalium Legati praesentes electionem indilatam pariter & deliberatam commendare consuevè: ad quod dum admittuntur, intrando & exeundo, flexo utròque poplite, stantes capite tecti perorant Imperatoris & Regum Legati, tectis pariter Eminentissimis, quos alii inferioris ordinis capite nudato unòque genu cernui tunc alloquuntur. Hòcque honoris genus obtendit Collegium illud, quia ex eodem assumitur Pontifex, quem proinde repraesentat velut praesentem, utunturque Cardinales familiari loquendi formulâ: **INTER NOS EST.**

§. III. **P**ersolutis post novendium exequis, primo die inchoatur electio à Cardinalibus praesentibus, neque ultra decem dies expectantur absentes: Sed nec hi specialiter vocantur, cum praesumatur mortem Pontificis eos latere non posse, morâque in constituendo pontifice Ecclesiae sit noxia.

§. IV. **O**lim quidem Cardinales ad electionem pontificis convenire solebant in Basilicâ S. Petri, aut S. Joannis in Laterano, quoad usque Ann 1270. Gregorius X. constituit, ut electores, simul inclusi in quodam conclavi, non inde egredierentur, priusquam novus pontifex ab iis electus fuisset. Est illud in palatio vaticano consistitque ex duobus larariis, quibus superaedificatae tres quatuorve exedrae. Nullae in iis, nisi in sublime, fenestrae, nullus ad eas aditus, nisi per ostium unicum versus meridiem in salario, quod Regium vocant, quia ibidem Legati Regum recipiuntur & Consistoria constituuntur. Obstruuntur lapidibus fenestrae cunctae, praeter unicum januam, quae quatuor repagulis, totidémque feris ocluditur, nulla. Harum claves binæ, deforis aperientes, reliquas sibi reservat intus Magister ceremoniarum. Sunt in illo aedificio dispositae per seriem cellulae, quae forte obveniunt reclusis, & Cardinalium in habitantium praefixis insigniis dignoscuntur, aulæ viridi coloris,
fi

si à defuncto creati sunt, alias purpureis exornantur, possuntque ab omnibus ante reclusionem conspici.

§. V. **D**einceps nulli permittitur ingressus, nisi Cardinalibus adventantibus, nec egressus, nisi infirmis ad crisin medici, illistamen, non aliis conclavistis, permittitur regressus. Remanent in illo sacer mysta cum famulantibus, duo caeremoniarum Magistri, Confessarius unicus forte ex mendicantium ordine assumptus. Duo medici, chirurgus, pharmacopola cum duobus opitulantibus. Tignarius & murarius. Decem mediastini etiam forte electi, quorum nullus antehac alicui Cardinali famulatus fuit. Cuilibet Cardinali permittuntur servi duo, tertius ab agroto assumi potest; ex his nemo mercator caufidicus, consanguineus, Principis aut Cardinalis quondam servitor. Equidem debent esse astuti solertes, panurgi, atque in politicis sagacissimi, quorum dexteritas, vigilantia & calliditas, hero, cui inserviunt, ad executionem illorum, quæ molitur, adjumento esse possit. Ipsi historiam Conclavis clanculo conscribere solent, quam magno are curiosis divendere nõrunt.

§. VI. **Q**uodsi intra triduum in Conclavi clauso Cardinales non elegerint pontificem, ex constitutione BONIFACII VIII. per sequentes 5. dies vivere debent contenti uno ferculo, tam in prandio, quàm in cenâ, inferendo per fenestellam in abaculo versatili. Quibus elapsis, & nondum subsecutâ electione, subministrari pro victu nil amplius debet, quàm panis vinum & aqua, donec perficiatur provisio, seu electio. Verùm illa constitutio hodie dum abolevit. Siquidem cujuscunque generis epulæ, quarum lautitiâ quivis alium superare conatur, inferuntur splendidâ scenâ & magno quidem apparatu; dum duo famuli cum perticâ viridis purpureive coloris, cui Cardinalis agalma affixum, præcedunt, sequente Mareschallo, baculum argenteum manu tenente cum lateronibus nobilibus, pincernâ,

cui adjuncti cubicularii bini, onusti suppellectile argenteâ: alii duo edulia & baucalia in corbibus & canistris affabrè confectis portant, quæ priusquam intromittantur, studiosè excutiuntur & accuratè perlustrantur, ne schedulæ commixtæ pervadant, quod idem in remissis lancibus seu poculis observatur.

§. VII. Die primâ electionis instituendæ, per sacristam pontificium, qui est ordinis Eremitarum D. Augustini, celebratur missa solemnis de Spiritu Sancto, in quâ Cardinales omnes sacram Eucharistiam suscipiunt, præbeturque per magistrum ceremoniarum pacis osculum Decano & tribus ordinis Cardinalitii capitibus. Emissisque clavistis fores clauduntur, & 7. Psalmi Pœnitentiales cum Lytaniis recitantur. Omnes Cardinales jus electivum habent, etiamsi necdum Insignia accepissent. Et licet. Pius IV. atque Gregorius XV. sanciverint, ne is, qui non saltem sit Diaconus, vocem in electione habeat: huic tamen constitutioni per speciale Breve derogari solet, pro quo fert Barbofa Declarationem ejusdem Gregorii Anno 1622. Nulla etiam censura impedit Cardinalem electorem à ferendo suffragio. Ante Sixti V. tempora Cardinalis, cui os occlusum fuerat, vocem in electione non habebat. Sed hic Pontifex declaravit, nudam duntaxat ceremoniam illam non tollere jus suffragii.



CAPUT IV.
FORMA ELECTIONIS.

§. I. INNOCENTIUS C. *Quia propter.* 42. h. t. formam electionis triplicem tradit: nempe per scrutinium, per compromissum, & per quasi inspirationem. Prima communissimè observatur in conclavi, quando præsentibus Cardinalibus, horum vota in schedulis clausis collectaque scripta à deputatis scrutatoribus secretè & sigillatim excipiuntur, & cunctis eligentibus publicantur. Si in hujusmodi scrutinio pro uno non reperiantur duæ tertiæ, ut sequantur, tentatur electio per accessum, seu communem conpirationem: ut dum alii resiliunt ab eo, quem desiderabant. Qui modus olim quoque in Senatu Romano observatus fuit. Verum in pontificis electione, juxta Decretum Concilii Basiliensis sess. 23. non habet locum accessus, nisi post 6. scrutinia completa. Pro scrutinio seu accessu extat ad cornu altaris sinistrum mensa oblonga, in cujus extremitate duæ pelves argenteæ, quæ continent schedas impressas; præterea duo calices, in quibus bifformes reconditæ inveniuntur; insuper faccus, in quem junior diaconus Cardinalis reponit globulos, quibus nomina Cardinalium impressa, ut inde 3. scrutatores, tres revisores, totidémque infirmorum in conclavi Cardinalium vota referentes eligi possint. In medio mensæ visitur formula juramenti, quæ est hujusmodi. *Ego N. Cardinalis N. juro & promitto DEO Omnipotenti Patri, Filio, & Spiritui Sancto ac B. Petro Apostolorum Principi eum eligere in Pontificem, quem credam Ecclesiæ Universalis in spiritualibus & temporalibus utilem, & tantæ dignitati idoneum, nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero, promissione aut donatione alicujus rei temporalis, prece, per se, vel per alium interpositâ, aut alias*
qua-

qualitercunque directè vel indirectè pro se electionem procurare. electoque in Pontificem non prius obedientiam facere, quam juret juxta formam sibi propositam &c. &c.

§. II. **H**anc quivis Cardinalis coram Crucifixi imagine sonorâ voce, antequam suam immittat schedulam altâ voce pronuntiare debet. Priusquam verò scrutinium inchoatur, quivis Cardinalis per Conclavistam suam, ut vocant, schedam præparari jubet hoc modo. Pagina chartæ regalis plicata, in medio scissâ adhibetur, unâque extremorum duorum ad digiti latitudinem implicatur scissuræ: dùmque reliquum ad plicas usque est convolutum, denuò postrema scinditur plica, tuncque margini Cardinalis nomen suum inscribit; quo factò, aliud extremum usque ad prius obvolvitur, tertiæque plicæ sigilla duo, hunc in finem selecta, imprimit, reliquis duabus plicis vacuis nomen à Cardinale eligendi inscribitur (propriâ manu nunquam utuntur, si fortè variare ita nequiverint, ne agnoscat) à dicto Conclavistâ his verbis. *Ego eligo in summum Pontificem Reverendissimum & Eminentissimum Dominum meum Cardinalem N. N.* Confectâ hoc modo schedâ, de foris curat epigraphon ei quandam inscribi, ut in accessu, dum alteri suffragatur dignoscere valeat: secus enim omnes schedæ aperiendæ, quo arcana detegerentur. Nihilominus obligatur Cardinalis accedens oretenus patefacere, se mentem mutâsse hisce verbis. *Accedo ad D. Cardinalem N. & possum accedere, ut patet ex voto meo & subscripto suo.* Si accessus non placuerit, schedæ suæ inscribit. *Nemini.* Postquam ergo Cardinales in Sacello Sixti V. convenerunt, Diaconi Cardinales primo, dein cæteri schedas dicto calici immittunt; dum interea designati ex cellis infirmorum vota; qui, si scribere nequeant, id alteri Cardinali præmissò ab hoc taciturnitatis juramento, committunt. Allata in arculâ reseratâ, extracta simul cum aliis recognitis in calice commiscentur, atque in simul in mensam diffunduntur. Scrutatorum unus schedam dissolvit,
care-

cæteris exhibet, horum junior votum Cardinalis schedæ inscriptum altâ voce profert: & quot quis tulerit vota à singulis Cardinalibus, mensæ juxta ordinem conclave introcuntium assidentibus, annotantur. Ipsimet etiam votorum numerum obvenerint ad latus consignant: quamquam aliqui id negligant. His peractis Recognitores explorant, num scrutatores suo ritè functi fuerint officio. Quando duæ partes convenerunt, in unum schedæ explanantur, ut palam fiat, qui Neo Pontificem elegerint. Sin minùs, cunctæ pariter comburuntur. Tunc verò aliud scrutinium eo die non servatur: Sed quasi re infectâ receditur: non enim nisi unicum de die servatur scrutinium, nisi fortè defectus in scrutinio deprehensus fuisset.

§. III. Per Compromissum fit electio (communiter id contingit, si discordes omnino convenire nequeant) quando Cardinales compromittunt in unum per instrumentum publicum, quem is nomine suo Pontificem deligat, juxta *C. Si Promissarius h. t. in 6. C. Post translationem, infra De Renunciatione, vel plures idoneos. d. c. & ibi gloss. V. Transtulerunt. C. cum in veteri 52. h. t.* Quod, etiamsi extra collegium Cardinalium existant, fieri permissum. Requiritur tamen in compromittendo omnium consensus: adeo ut unius Cardinalis, in Conclavi existentis, dissensus compromissum impediatur. Cum enim sit voluntarium, recipi ab omnibus debet *C. Quod omnes de Regul. juris in 6.* In electione per compromissum nullus compromissarius sibi ipsi suffragium dare potest, ut decrevit GREGORIUS XV. in *Bulla*, quæ incipit *Aeterni*.

§. IV. Per quasi inspirationem divinam, seu ut vocant, viam Spiritus Sancti dicitur fieri electio, quando ab omnibus unanimiter, & velut conspirante consensu, quasi motu divino raptis, nullo servato ordine aut intervallo, uno cunctorum ore, nemine prorsus dissentiente unus eligitur. Huic similis est,

C

non

non tamen antiqua electionis forma per Adorationem, dum nullo scrutinio expectato plerique Cardinalium quendam ut Pontificem salutant, adorant & proclamant. Verum hanc methodum periculo schismatis esse obnoxiam docuit experientia.



... non tamen antiqua electionis forma per Adorationem, dum nullo scrutinio expectato plerique Cardinalium quendam ut Pontificem salutant, adorant & proclamant. Verum hanc methodum periculo schismatis esse obnoxiam docuit experientia.

CAPUT

CAPUT V.

PERSONA ELIGIBILIS.

§. I. **Q**uivis Christianus rationis compos, absolutè loquendo
 posset eligi in Pontificem Romanum. Etenim *in cit.*
C. præcipitur, ut sine ullâ exceptione ab univ. Ec-
 clesiâ habeatur Pontifex, qui à duabus partibus eligitur. Decens
 quidem est, ut eligatur ex Collegio, si inibi reperitur idoneus;
 id tamen absolutè necessarium non est, licet *C. I. Dist. 23.* præ-
 cipiatur, ut de gremio eligatur, extra gremium electi sunt
 EUGENIUS III. COELESTINUS V. URBANUS VI. Et
 nostro ævo quandòque honoris gratiâ viris clarissimis vota tri-
 buta fuere, qui in Collegio Cardinalium non erant. Posset etiam
 Laicus eligi, qualis fuit CONSTANTINUS, non obstantibus
C. 3. 4. Dist. 79. His etenim antiquis Canonibus derogatum
 est. *cit. C. 6.* Imo uxoratus eligibilis est, consentiente tamen
 uxore, alias enim posset ab eâdem repeti. Neque eligendo ob-
 stat excommunicatio, vel quævis censura, si ea irretitus esset;
 hæc enim per electionem tollitur; sicut etiam irregularitas ex de-
 fectu licet natalium; quando quidem constet varios obliquo fan-
 guine prognatos fuisse pontifices. De præsentia eligendi nulla
 habetur ratio: absentes siquidem electi fuerunt duo ultimi pon-
 tifices relati & ADRIANUS VI.

§. II. Ex omni fere natione fuerunt assumpti pontifices Roma-
 ni. Communiter recensentur ex Græciâ XII. ex Gal-
 liâ X. ex Hispaniâ & Lusitaniâ IV. Ex Siciâ III. ex Sardinia II.
 Ex Angliâ I. Ex Germaniâ VII. quibus addi possunt V. ex Ro-
 mano Imperio. Cæteri plerique ex Italiâ. Duobus ab hinc Sæ-
 culis

culis nullus ultramontanus Pontificatum obtinuit, licet diversarum nationum Cardinales extiterint, qui vitæ Sanctimoniâ geminæ scientiæ & prudentiæ laude conspicui, rerum peritiâ exercitatissimi, & omni disciplinarum genere inclyti illo munere haud indigni fuissent, quibus duntaxat peccatum Originale, id est defectus originis, utpote intra Hesperiam non natis obstitit, quò minùs in considerationem venirent. Siquidem ut Itali loquuntur ex suâ gente tantum, unde potissima Purpuratorum pars constat, sunt **CARDINALES PAPABILES**. Obvenit quodòque ea fors ultra Latium genitis; Scilicet Venetis, Hetruscis, Mediolanensibus &c. ast minùs frequenter, & nonnisi ex quâdam ratione politicâ. Observatur quoque in eligendo partium studium, notanturquè affectus in Reges & exteros principes potentissimos, præcipuè erga Imperatorem, Reges Galliæ & Hispaniæ; quorum operâ si quis nactus fuerit purpuram, aut suam his addixerit, exiguam spem ad pontificatum habet, imò prorsus nullam, si præfati Monarchæ, quendam sibi minùs æquum, factiosum, alteri Curia nimis devotum, publico edicto exclusum velint, aut è contra Collegio, ut consideretur, commendent. Proinde sicut manifestata exclusio frequens, ita sede vacante urgens commendatio rarissima, utpotè desiderio nociva. Præsertim dum prævalet factio *del Zelanti* seu Zelosorum, cujus Author quondam **VINCENTIUS MARIA** Cardinalis Ursini nunc felicissimè Ecclesiam gubernans **BENEDICTUS XIII.** Hi mutuum fedus iniierunt, quod in nullius respectum velint eligere pontificem, & nonnisi illum, quem judicabunt honori Dei & Ecclesiæ utilitati futurum maxime proficuum.

§. III. **O**lim ex Ordinibus Religiosorum etiam mendicantium varii ad supremum Apostolatûs culmen assumpti fuerunt, multòque tempore Pontificatum sine interruptione gesserunt. Recensentur ex ordine Canonicorum Regularium XII. Ex ordine Benedictinorum XVIII. alii multò plures numerant. Ex ordi-

ordine Cisterciensi II. Ex Franciscanis IV. totidem ex Prædicatoribus. Ex Clericis Theatinis I. Sunt alii Religiosi imaginariam ordinis sui antiquitatem nimium extendentes, qui quosdam sibi vendicant Pontifices: in eo sunt in sensu fuorum Sanctorum pii plagiarii. Cæterum observare licet ab obitu SIXTI V. spatio unius sæculi, & quod excedit, nullum ex ordine Religioso fuisse electum: sic, ut in hoc Cardinales conspirasse vulgò circumferatur, quod insinuare voluerint in exequiis ejusdem SIXTI, dum Cardinalis subdiaconus legisset epistolam *ad Thessalon.*: pronuntiatisque primis verbis: FRATRES NOLUMUS VOS. cæteris omittis librum clausisset. Quod tamen ex officinâ fabulosa prodiisse convincitur, quandoquidem non missa illa, quæ præfertur, & in quâ Epistola illa extat, pro defuncto Pontifice celebratur: sed ea, quæ in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. Interim in diversis Conclavibus aut nulla, aut perpauca Cardinales ex ordinibus Religiosis assumpti obtinere suffragia, cujus rationem plebs infirma frustra conjicere molitur: eique summopere placet *Pasquini* tempore antepenultimi Conclavis sparsus sarcasmus, quando de eligendo quodam Religioso Cardinale agebatur.

*Imperii Patres nunquam date jura cucullo
Sufficiant quæ dant lingere jura coqui.*

Nihilò feciùs iure merito jus summum in Ecclesiam Patres tribuerunt Sanctissimo D. N. BENEDICTO XIII. ex Ordine Dominicanorum. De quo sicut nunc universus gaudet Orthodoxorum cætus, ita nunquam electores pœnitebit, prælatum fuisse, qui omnibus omnia factus jura sua tam strenuè defendit, quam divinis juribus conformiter disponit omnia sapienter. Aequè indolens est hariolatio vulgi, qui, ut *Pintharus in Pinthys* rectè scribit, jocos mordacibus mirè delectatur, dum illos, qui speciali voto omnem sibi aditum ad dignitates Ecclesiasticas præ-

cludunt, cur ad hanc supremam necdum devenerint, temerarie
judicare audet: & cur ab eadem arcendi, in subjectâ satyrâ per-
vulgatâ augurat stolidissime.

*Petre cave claves Sociis concedere Jesu;
Si semel accipiant, vix tibi restituent.*

Plerumque eliguntur ætatis provectioris. Quia in antiquis
est sapientia & in multo tempore prudentia. *Job. 12.* Nec ju-
venilis vigor corporis in eo munere requiritur. Politici hanc
rationem adferunt, quia diuturnus Pontificatus, quem electi
junioris ætas timeri facit, aliis hunc obtinendi spem imminuit, ad
quem plerique aspirant, ut insinuasse fertur Bellarminus, quem
aliquando interrogatum, cur pauci é Cardinalibus declararentur
Sancti, narrant respondisse: **OMNES CUPIUNT FIERI
SANCTISSIMI.** Est & alia ratio, cur senes proferantur: ne
scilicet Longioris vitæ spatio familia Pontificis exaltata nimium
invalescat, atque in præjudicium S. Sedis nimis confortetur prin-
cipatus nepotum, quare etiam Nepotes Cardinales, aut patro-
nus, ut vocatur, nequitiam ad pontificatum assumitur. Profer-
tur & hoc, quod discordia eligentium nonnunquam faciat, eli-
gi, (accedente tædio prolixioris exclusionis) decrepitem, qua-
tenus, hoc post exiguum intervallum defuncto, scopum faci-
lius assequantur. Sed hæc humanæ prudentiæ consilia Spiritus
Domini (qui sortes hominum arbitrio suo temperat) dum vult,
irrita facit, ut gregi suo Pastorem idoneum præficiat, contra Do-
minum Ecclesiæ suæ Sanctæ providentem casta sunt mor-
talium conamina.





CAPUT VI.

ACCEPTATIO, MUTATIO NOMINIS

ET

PROMULGATIO ELECTI.

§. I. **Q**uamprimum Cardinalis est canonicè electus in Pontificem, accedunt illum trium Ordinum Primates, & post honoratissimam salutationem, qui præcipuus est eundem sic affatur. RESOLVISNE CANONICAM DE TE FACTAM ELECTIONEM ACCEPTARE? Quo post orationem peractam respondente: ACCEPTO. in Sacellum Sixtinum introducitur, consuetis vestibus suis exiit, dùmque primò Croceum, ut vocatur, induit, habitu Pontificali, annulòque Piscatoris (hoc uti coepit Sæculo XIV.) condecoratur, in thronum collocatur, cantantibus interea musicis intromissis: ECCE SACERDOS MAGNUS. à cunctis adoratur. Primò quidem Cardinalis junior in ordine Diaconus pedem dextrum & manus flexis genibus osculatur, quem Pontifex sargere jubet, eique repetitum pacis osculum præbet in genis, idem præstant & recipiunt Cardinales omnes subsequentes.

§. II. **Q**uantùm ad mutationem nominis non ea fuit primis Sæculis in usu: nec, quis primus eam introduxerit scriptores conveniunt. Sed neque necessaria est: quandoquidem aliqui Pontifices nomen baptismale retinuerunt post introductum usum, ut HADRIANUS VI. & MARCELLUS II. qui requisitus, quomodo vocari vellet, respondit. MARCELLUS FUI, MARCELLUS ERO. *Nec nomen nec mores in Pontificatu mutabo.*

tabo. Quidam tamen assumpto alio nomine indicare volunt, se hujus significationi correspondere velle juxta illud Antonii.

*Nam divinare est, nomen componere quod sit
Fortunæ, morum. vel meriti indicium.*

Communiter autem solent neo electi eorum Pontificum nomina adoptare, qui eorum consanguinei, promotores, contereani aut olim amici fuerunt quandoque ad consilium Cardinalium nomen assumunt, aut præconceptum variant. PETRI nomine ob reverentiam protovicarii CHRISTI nemo vocari voluit. Porro de occasione & origine hujus mutationis tractat Baronius in *Annal.* vultque inde provenisse, quod electus non amplius personam privatam, sed CHRISTI vicarium representet; adeoque decens, ut aliud quoque nomen habeat, juxta PETRI exemplum cui CHRISTUS dixit. *Simon Joannis Tu vocaberis Petrus.* Possent etiam contingere, ut electus antea gessisset nomen minus decens, ut de SERGIO II. referunt, quod os porci fuisset vocatus, quem non pauci mutationis introductæ primum authorem autumant, sed hoc fabulosis commentis accensendum.

§. III. Postquam igitur caremonia in Sacello Sixtino sunt peractæ Senior Cardinalis Diaconus, quem ceremoniarum Magister crucem ferens præcedit, pergit ad Basilicam S. PETRI & jussu Conclavis perfracto muro podium conscendit, digitum in imaginem Crucifixi intendens sic populum altâ voce alloquitur. *Annuntio vobis gaudium magnum. Habemus Papam eminentissimum & reverendissimum D. Cardinalem N. N. qui sibi nomen elegit, ut imposterum vocetur N.* Acclamat tunc gratulabundus populus, gestit, & effusâ lætitiâ pro felice regimine sua vota depromit, atque ut Crux versus Castrum S. Angeli est versa, eodem momento displosa tormenta grandia mugitu gravi per regionem reboant, tympanistæ æquè ac tibicines permixto strepitu & clangore hilaritatem promovent, dum omnes diem festum

festum agunt. Interea ex face plebis conglomerati prædones
neo electi palatium violenter invadunt, rapiunt.

Scrutantur rimas evertunt omne profundum.

*Virg.
atbn.*

Atque prædis spoliisque onusti impunè recedunt hoc suâ
linguæ lepidè dicunt *Sgombrare* id est, excutere, do-
mum purgare seu verrere, quos expilatores rectè VER-
RES dicemus; quemadmodum Cicero *in Ver.* in hujus no-
men falsè jocosus fuit, quasi sic dictus esset, quod omnia ver-
reret, hoc est nil relinqui permetteret. Homines furaces, qua-
les & sunt Conclavistæ, qui in Pontificis electi cellulam irruunt,
& singula quisquis tollit, verè *Tollius*, ut quidam acriter lusit
in *Tully* nomen. Quamvis ab infami hâc bonorum direptione
merito supersedere deberent, eo quod electus, ob habitas in
Conclavi molestias, abundè illis postea providere soleat.

Sed quâ reverentiâ Legum

Inven.

Quis metus aut pudor est unquam properantis avari?

14.

Nam Sævior ignibus Aetnæ

Boet.

Fervens amor ardet habendi.

15.

§.IV. **R**ebus ita comparatis aperiuntur portæ Conclavis, muri
diruuntur, obstrusæ fenestræ panduntur, & reliqua
in ordinem pristinum rediguntur. Ccenâ cum Cardinalibus as-
sistentibus peractâ, iteratò adoratio instituitur in præfato sacel-
lo, postquam in comitatu Cardinalium sellæ suæ impositus Pon-
tifex ad Vaticanam Basilicam præeunte crucifero, transfertur:
ubi ante altare summum genuflexus, nudatòque capite Deo pro
suâ exaltatione submissè gratias persolvit. Dum sellam majorem
altari impositam conscendit, eique tectus insidet. Quando in-
fignior Cardinalis Canticum. **TE DEUM** intonat, quod mo-
dulaa-

D

dulaa-

dulantibus vocibus & instrumentis musici prosequuntur, Papa
tertiâ vice â Cardinalibus osculo pedis & manûs adoratur. A
Sæculo VII. usque ad XIII. mos viguit, ut post electionem & an-
te inaugurationem Pontifices emitterent professionem, quâ B.
PETRÔ promittebant oecumenica Concilia usque ad unum api-
cem immutilata conservare, prædecessorum decreta & Synoda-
lia Statuta confirmare. Si quæ verò emisissent contra Ca-
nonicam disciplinam, cautè emendare &c.



CAPUT

CAPUT VII.

DE INTHRONIZATIONE SEU CO-
RONATIONE ELECTI.

§. I. **Q**uandoquidem electus Pontifex suam potestatem supremam & universalem Ecclesiasticam non accipiat ab hominibus: sed immediatè à Christo, neque ullum in terris superiorem agnoscat, à nullo confirmatur. Licet enim electores creent Pontificem, sicut populus creat Regem, perpetram tamen infertur, sicut in Synodo Smalcaldicâ *Lib. cont. primatum Pont.* perversè illatum fuit Ecclesiasticum Collegium Cardinalium esse supra Pontificem. Possset tamen Ecclesiæ acceptatio, quâ fideles acquiescunt electioni à Cardinalibus factæ, vocari quasi confirmatio. Ipsa quidem persona designatur à Cardinalibus ad Pontificatum, Pontificatûs verò conjunctio cum personâ, mediante actu humano est à Christo. Quodsi electus fuerit antea Episcopus consecratus, non consecratur: alias ab antiquissimis temporibus consecratur ab Episcopo Ostiensi, qui etiam pallio est condecoratus.

§. II. Intra octiduum ab electione fere solet Papa electus inthronizari & coronari hoc ritu. Mane Pontifex intrat Cameram DEL PAPAGALLO, ubi Cardinales Diaconi, adjuvantibus cæteris clericis in præsentia reliquorum purpuratorum Pontificale pallium imponunt, in plenitudinem, ut pronunciant Pontificalis officii, quemadmodum Sæculo XI. mediante introductum fuit unâ cum cæteris cæremoniis, quas in Paschali II. adducit Baronius *in Annal.* Ita exornatus præcedente crucifero, sub baldachino, quod ab octo nobilibus portatur, ad Basilicam

D 2

S. Pe.

III. 2.

S. Petri progreditur, cujus latera stipant bini Cardinales Diaconi, qui fimbrias pallii elevant, syrma verò Legatus regius vel alius gestat. Quamprimum templi limina attingit, in porticu erectum supra tapetem thronum per scabellum ascendit, sedensque recepto in pedibus osculo à Canonicis porrectas in pelvi claves acceptat. Deinde discedens sub faustis undique accurrentis populi plausibus poppysmis & vociferationibus majorem portam Basilicæ ingreditur, ibique, cum ad Aram principem de genu fufas preces absolvit, in Sacello S. Gregorii paratum rursus folium gemmis pretiosissimis refertum conscendens Cardinalium, tum aliorum Prælatorum oscula admittit in manu vel pede, statimque sonorâ voce benedictionem cuncto populo impertitur & præsentibus omnibus plenarias indulgentias etiam in articulo mortis profuturas largitur.

His aliisque de more expletis post psalmodias hymnósque decantatos, subdiaconus, qui dicitur Apostolicus, sandalia cimeliis decorata & signo † insignita Camerario præbet, qui ea pedibus Pontificis applicat, quando Clerici pallium ex humeris desumptum capiti obvolvunt, sicque ex sacello Gregoriano in templum solemnî processione reducit. Præcedit illum ceremoniarum Magister manibus tenens asserculos duos, quorum uni stupa, alteri cereus ardens impositus. Ad egredientem sacello Papam se venerabundè vertens stupam inflamat dicitque: *Sanctissime Pater sic transit gloria mundi.* Id quod exeunte Papa tribus vicibus exequitur. Vulgo fertur Romano Pontifici in actu Coronationis dici. *Non attinges annos Petri.* Quod, licet ordo Romanus in ritibus antiquis non habeat, neque hodierna praxis observet, sed neque author aliquis ex professo referat, ipsa tamen experientia evicit, neminem Pontificum tot annis usque huc sedisse.

§. III. Cum rursus ad S. Petri aram appropinquavit Pontifex, tres in ordine Cardinales presbyteri juniores obviant, atque illum nomine Apostolorum recipiunt, ad altare adducunt, ejusque vultum, postea pectus osculantur. Qui præmissâ paululum oratione pontificaliter indutus missam solemnem celebrat. Hac peractâ, in sublimiori sella sedenti Cardinalis titularis, quem duo Canonici cingunt, bursam gemmis auróque pictam, in quâ viginti quinque tullii (quavis valet solido Hollandico) offert hæc verba adjungens. *Sanctissime Pater Capitulum & Canonici S. Petri ex cordis humilitate vestra Sanctitati in perpetuam submissionem hoc stipendium sacerdotale pro bene cantatâ missâ offerunt.* Bursam Pontifex gratanter acceptat, sed diacono pro decantato Evangelio donat. Tuncque ad ostia templi, quæ limina Petri dicuntur, cum fede transfertur, atque iterum in splendido lapidibus exquisitis solio positus conspicitur. Posteaquam Sacri Collegii Decanus, cui duo Cardinales Diaconi assunt ad throni pedem reverentiam exhibuit, junior Infulam, quam hucusque Papa gessit deponit, alter Thyram seu Regnum ipsi imponit dicens. *Accipe Thyram tribus coronis ornatam, & scias te esse Patrem Principem & Rectorem orbis, in terrâ Vicarium Salvatoris Nostri Jesu Christi, cui & Laus honor & gloria in secula seculorum amen.* Triregnum hoc olim vocabatur Regnum, de quo Hincmarus Remensis *in vita S. Remigii.* Chlodovicus Rex gloriosus coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari solet, B. Petro, S. Remigio suggerente, direxit. Eadem pene habet Flodoardus *Lib. I. Hist. Remens. cap. 15.* Atque ut par est credere, scribit eruditissimus du Fresne *in Lexico,* exinde Pontifices Romani in publicis cerimoniis hæc coronâ, à Chlodovæo sibi indulta uti coepere. Coronam Imperialem vocat Durandus *Lib. 3. Ratio: cap. 13. n. 8.* Romanus Pontifex in signum Imperii utitur Regno, id est coronâ Imperiali, & in signum Pontificii utitur mitrâ. Sed mitrâ semper utitur & ubique; regno verò non semper :: nam eo non utitur nisi certis diebus & locis;

cis; nunquam intra Ecclesiam, sed extra. Hoc etiam *Lib. 3. Cerim. Rom.* tantumque in maximis solemnitatibus illius usum observat, quod acta Alexand. III. P. R. confirmant, in quibus legitur & in Paschâ Regnum solemniter induit. Alii sunt, qui coronæ huius Pontificiæ originem ex altiori antiquitate deducunt supposititiis innixi actis sylvestrinis. In ceremoniali recentiori Triregnum appellatur, quod tribus coronis ornetur, fortassis in signum triplicis potestatis quam Papa habet, Ordinis, Jurisdictionis supremæ Spiritualis in universam Ecclesiam, & Jurisdictionis temporalis in suas ditiones terrenas, quales sunt Urbs Romana, Latium, Ager Beneventanus, Comitatus Avenionensis, Ducatus Ferrariensis, Marca Anconitana, Umbria cum parte Hetruriæ &c. Sed Formula aliud exprimit. Primam coronam à Constantino accepisse scribunt S. Sylvestrum, dum alii malunt ab Anastasio Imperatore derivari, qui hanc Chlodovæo, is verò Pontifici miserit de qua supra. Secundam apposuit Bonifacius VIII. de quo videndus Jacobus Stephanescus, non item tertiam, quandoquidem Joannes XXII. bicoronatâ usus fuit thiarâ: Sed adjunxit Urbanus V. Avenione residens. Est illud anadema pretii ferè inæstimabilis, unionibus, gemmis scintillantibus constipatum. Dubitat citatus Du Fresne Dominus Du Cange, malè ab imperiis ideo vocatus Cangius, an Regnum, an verò ipsam mitram Pontificiam intelligat Petrus Damiani *Lib. 2. Epist.* scribens: *Tædet cætera vanitatis attexere, non videnda, sed gemenda ridicula :: Papales scilicet insulas gemmis micantibus aureisque bratteolis per diversa loca corruptas.*

§. IV. **E**o Regno tricornatus procedit Pontifex ad populum ter cruce signans & indulgentias denuo largitur, quas duo Cardinales Diaconi linguâ tum latinâ tum Italicâ promulgant hisce verbis, *Hodie mundo salus magna facta est. Hodie vobis rectè credentibus SSmi. Domini & Pape N. indulgentiæ plenariæ concessæ sunt.* Projiciuntur postmodum nummismata aenea Pontificis

tificis imaginem & coronationem referentia, addunturque à
 projiciente hæc verba. *Hæc do vobis, quia argentum & au-
 rum non est mihi,* quæ tum gens tumultuariè colligit ad ra-
 vim clamat: *Vivat il Papa N.* Demum reductus ad Sacel-
 lum Sixtinum exiit, atque usitatâ formulâ *ad multos annos.*
 Cardinales eidem congratulantur. Ex Castro Angeli tormenta
 ter detonantia, intermixtis sclopetariorum in arcâ S. Petri &
 Helvetiorum ante palatium dislosionibus colophonem addunt.
 Tota urbs innumeris tædis vesperi illuminata, emblematis,
 hieroglyphicis picturis, epigraphis ingeniosissimis, omnisque
 generis versibus affabrè exornata triduo conspicitur.

Tempore opportuno instituitur equitatio illa solemnissima,
 quæ Cavalcadâ nominatur, exquisitissimo apparatu ad Eccle-
 siam S. Joannis in Laterano Patriarchalem, ubi Pontifex Pa-
 triarchatus sui possessionem capescit. In eâ nihil prætermittit-
 tur, quod quovis modo ad decorem majorémque posset condu-
 cere magnificentiam: Sic ut in illius comitatu omnes ministri
 in fago & togâ conspiciantur. Huc quoque plebs hebræa
 symbolum suum conferre debet, dum arcum triumphalem eri-
 gunt, & in vico suo ea, quæ in veteri testamento præclara de
 Pontifice Legali reperiuntur, Panegyrica pangit. Primores ta-
 bulas Moysis exhibent transeunti Pontifici, quas recipiendo sine
 impertitâ benedictione dicit; *Legge bona ma populo maledecto*
Lex bona sed gens maledicta. Fuerunt olim in hæc processione
 adhibitæ variæ sedes, inter quas una vocabatur Stercoraria, de
 quâ ex antiquorum fabulamentis, absurda comminiscuntur
 Nugatores. Hæc una cum duabus aliis porphericis in mo-
 nasterio Lateranensi Basilicæ adjuncto reservatur, in quibus
 Pontificem recenter creatum collocare in usu fuit. Sterco-
 raria ex marmore albo est, non perforata, ita nuncupata,
 quod sedente in illâ Pontifice cantari solebat. *Suscitat de pul-
 vere egenum & de Stercore elevat pauperem.* Duæ reliqua sunt
 per-

perforata, & putantur esse inventa in antiquis Romanorum
 termis, & ob materiae potius pretium, quam ob formam
 in novi Pontificis inaugurationem adhibita fuerunt. Harum
 prima mentio facta apud Cencium, uno Saeculo ante Marti-
 num Polonum. Ritus ob receptam de hac fabula opinio-
 nem omisus fuit post Leonem X.



CAPUT

CAPUT VIII.
A P P E L L A T I V A.

§. I. **S**ancti Petri Apostoli in cathedrâ Romanâ Successor, cur Pontifex summus appellaretur, dictum fuit supra; isque sic quarto Sæculo fuit appellatus in epistolâ Stephani Archiepiscopi Carthaginensis, quam nomine 3 Conciliorum Africæ ad Damasum Papam misit, in qua dicitur. *Summo Omnium Præfulum Pontifici.* Eodem item titulo utitur S. Gregorius Magnus *Lib. I. Dial. cap. 4.* atque *Summus Sacerdos* vocatur ab Hieronymo in *præf. Evangel.* In VI. Synodo Generali *act. 18.* Patres vocant Agathonem *Patrem suum & summum Papam.* Non differt titulus ille à summo principatu, quem Romano Episcopo ex antiquo datum meminit Valentinianus ad Theodosium in Epistolâ, quæ habetur ante Concilium Chalced. *Tom. I. Concil.* Eodem sensu dicitur *Princeps Sacerdotum.* Et Tertul. *Lib. I. de pudicit. in princip.* vocat. Rom. Pontificem *Episcopum Episcoporum.* Concilium quidem Carthagin. III. relatum *C. Primæ Sedis. Dist. 99.* prohibuit, ne quis summus sacerdos, aut Princeps sacerdotum vocetur: Sed solum primæ sedis Episcopus. Verùm hæc prohibitio Concilii Nationalis tantùm Afros concernebat inter quos multi Primates æquales. Quod verò ibidem additur: Nec universalis etiam Romanus Pontifex appelleretur. Absutum à Gratiano putatur. Certè sic in Concilio Chalcedon. *act. 3.* legitur appellatus in 3 epistolis diversorum Græcorum ad Leonem I. quarum initium est: *Sanctissimo & Beatissimo Universali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni:* atque in ipso Concilio frequenter sic nuncupatur. In quorum oculis sudes est hic titulus, Achilleum se reperisse putant in *Greg. Mag. Lib. 4. epist. 32.* item ad Eulogium Patriarcham

E

Ale-

Alexandriæ quâ habetur *Dist. 99. &c. Ecce in præfatione & alibi sæpe, præsertim Lib. 3. epist. 3.* in quâ titulum Universalis seu Oecumenici Episcopi vehementer improbat, dum scribit. *Ego fidenter dico. quisquis se universalem Episcopum seu sacerdotem vocat, vel vocari desiderat. in elatione suâ Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris anteponit.* Verum, ut Bellarminus bene observat hîc *Lib. 2. cap. 31,* duobus modis potest intelligi nomen Universalis Episcopi. Semel, ut is qui dicitur talis, intelligatur esse solus Episcopus omnium urbium Christianarum: ita ut cæteri non sint Episcopi, sed hujus vicarii tantum. Atque hoc modo nomen & profanum & Antichristianum. De hac significatione loquitur S. Gregorius, ut patet ex ratione, quam reddit. Sic enim scribit *Lib. 4. epist. 34. ad Constantiam. Triste valde est, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & Cœpiscopus meus solus conetur appellari Episcopus. Et Lib. 7. epist. 69. Si unus universalis est, restat, ut vos Episcopi non sitis.* Alio modo dici potest Episcopus Universalis, qui habet curam totius Ecclesiæ sed generalem, ita ut non excludat cæteros Episcopos, & hoc modo nomen Episcopi Universalis posse tribui Romano Pontifici ipsemet Gregorius perhibet, dum *epist. 54, & in psalm. 4. penitent: scribit. Sedes Apostolica omnium Ecclesiarum caput est. & Lib. 4. ep. 34. cit. legitur. Petro totius Ecclesiæ à Domino commissam.* Quod idem est, ac Petrum Universalem Episcopum à Christo institutum. Atque idem ille Gregorius re ipsa primatum exercuit in Episcopos Sicilia. *Lib. 2. Indict. 10. epist. 4.* In Episcopos Asiæ *epist. 32.* In Episcopos Galliæ *Lib. 7. Indict. 2. epist. 112.* In Episcopos Hispaniæ *Lib. 11. epist. 50.* In Episcopos Græciæ *Lib. 5. epist. 7.* Qui *Lib. 7. epist. 63.* ad Joannem Episcopum Syracus: scribit de Ecclesia Constantinop., quæ sedi Alexandrinæ & Antiochiæ præferri, & Romanæ Ecclesiæ æqualis esse voluit. *Quis eam dubitet Apostolicæ Sedi esse subjectam? quod & Dominus pyssimus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem Civitatis Episcopus assiduè profitentur.*

Nove-

Noverat utique doctissimus Pontifex in Concilio Chalcedonensi, quod tantopere venerabatur, Papæ fuisse tributum titulum *Universalis Episcopi*. ut ipsemet *Lib. 4. epist. 32. & seqq.* tradit. Igitur existimavit in aliquo sensu eidem convenire. Et quia illum minime latebat, S. Leonem *epist. 54. 62. & 64.* se vocasse Episcopum Ecclesiæ Universalis, non potuit ex eo illum habere pro præcurfore Antechristi. Agitatum illo tempore fuerat, an Joanni Episcopo Constantinopolitano posset attribui titulus Episcopi Universalis (de Romano Pontifice nullum unquam dubium fuit) nihilominus illum ambitiosè usurpabat. Hinc Sanctus Præful absolutè pronuntiavit, hunc titulum esse profanum & sacrilegum; Scilicet quatenus tribuatur Constantinopolitano. Imo ad melius convincendam Joannis arrogantiam, ipsemet illum recusavit, quamvis sibi in aliquo sensu conveniret. Sic licet synonyma sint Episcopus Ecclesiæ Universalis, & Episcopus Universalis, usus tamen obtinuit, ut Successores in subscriptione Conciliorum signent. *Catholicæ* (id est Universalis) *Ecclesiæ Episcopus*.

§. II. **A**lias in Bullis apponunt nomini *servus servorum Dei*. Quod ab ipso Gregorio originem traxisse putatur, qui teste Joanne Diacono *in Vit. Lib. 4. c. 58.* omnes Laicos Dominos suos vocabat. Ergo non mirum, quod tam submissè Imperatori scripserit, qui tunc Dominium temporale in urbem Romanam tenebat: cuius etiam ope & amicitia indigebat, ut se suosque contra hostes Ecclesiæ defenderet. Imo fuit ea obedientia, quam vir Sanctus Imperatori exhibebat, non debita sed coacta. Quare in *epist. 43 & 44.* ad Phocam & illius conjugem Leontiam deplorat jugum durissimum, quod longo tempore ferre coactus fuerat sub Mauritio, quem in *Psal. 101.* Neroni & Diocletiano comparat, quòdque contra Ecclesiam Catholicam suo furore tyrannidis efferatur: & in tantum suæ temeritatem intendat- vefaniæ, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendiceret, & in Dominam gentium terrenæ jus po-

testatis usurpet. Cæterum titulus ille: *servus servorum Dei*. fuit aliquando adhibitus ab aliis etiam Episcopis. Uti sunt eo Lupus in *ep. ad Sidonium Apollinarem*, Braulius Cæsar Augustanus Episcopus *epist. ad Isidorum Hispal.* Michael Patriarcha Alexand. *ep. ad Basil. Imp.* in Synodo VIII. act. 7. Adelardus Episcopus Veronensis in Syn. Ticin. Anno 876. Maurus Episcopus Cæsenatensis *ep. ad Mart. I. Pont. Max.* in Concil. Lat. Imo Reges eundem titulum olim usurpavere, ut Adolphus Rex Hispan. Anno 830. apud Sandovallium. Henricus in Chartâ apud Cælestinum *Lib. 22. Hist. Pergamen.* Sancius Rex Aragon. in chartâ. Anno 1070 &c. &c.

§. III. PAPA fuit dictus quivis Successor Petri, licet etiam minores olim ita fuerint appellati. Significat autem Papa græcè ac latinè Patrem vel avum, quod patet ex illo Antonii antiqui Poetæ versu. . . .

Papas aviòsque trementes

Anteferunt patribus seri nova cura nepotes.

Transit illud in dignitatis nomen, ut scribit Walfridus Strabo *de reb. Eccl. cap. 7.* cœpitque esse peculiare Episcoporum, ut Papæ dicerentur, ut patet ex antiquissimis scriptoribus. Apud Facundum Hermianum Sæculi sexti scriptorem in Bibliotheca Patrum *tom. 10. lib. 4. cap. 2.* *Papa noster* Anastasius dicitur & novissimè apud Sanctum Eulogium Cordubensem Episcopum, qui floruit circa annum octingentesimum quinquagesimum. Papæ titulum Heraclam Patriarcham Alexandrinum usurpasse author est Euthychius in *Origin. Alexandr.* Exinde cæteris Præfulibus Alexandrinis, titulus ille à plerisque scriptoribus tributus fuit, quemadmodum animadvertit Sædenus ad citatum Euthych. Item Leo Allatius *Lib. de Consensu utriusque Ecclesie cap. 18.* Fuit quoque Papæ titulus proprius aliquo tempore Patriarchis Hierosolymitanis & Constantinopolitanis, ut est legere apud Avitum

vium Viennensem *epist.* 7. & *epist.* 23. Sed quamvis nomen Papæ usque ad medium Sæculi Noni fuerit commune Episcoporum, frequentius tamen atque peculiarius tribui consuevit Romano Pontifici quasi per excellentiam, sicut in Concilio Chalced. *Act.* 16. Hinc etiam vocatus fuit Pater patrum, ut Cardinalis Baronius ostendit ex epistolæ inscriptione, quam Episcopi Concilii Provincialis Epiri miserunt ad Hormisdam P. M., quamque Annalibus inseruit desumptam ex codice Manuscripto Vaticano. Est autem talis inscriptio: *Synodus veteris Epiri Joannes, Matthæus, Constantinus &c. Domino nostro percuncta Sanctissimo & Beatissimo Patri Patrum, Communiistro, ac Principi Episcoporum Hormistæ Papæ.* Unde liquet nomen subjunctum Hormistæ fuisse commune quidem aliis Episcopis, Romano tamen per excellentiam tributum. Quodsi olim Papæ nomen commune, nullum profecto concessit Cælestinus Cyrillo Episcopo Alexandrino Legato suo in Concilio Ephesino privilegium, ut Papa appellaretur, quod narrat Nicephorus *lib.* 24. *cap.* 34. Quem proinde erroris arguit cit. Baronius in *Not. ad Martyr. Rom.* 10. Januar. Hallucinatus quoque fuit Petrus Opmerus in opere Chronologico, dum scribit post tempora Gregorii Magni nomen Papæ ademptum fuisse cæteris Episcopis, & Soli Romano Pontifici propriè adhæsisse. Communis fert opinio, quod nomenclatura Papæ ex decreto Gregorii VII. in Synodo Romanâ, nulli amplius præterquam Rom. Pont. convenire debeat. Nullus quidem pontificum, quantum ex genuinis epistolis constat, ante Sæculum V. Papæ sibi nomen attribuit: sed omnes sese Episcopos subscripserunt. Alios verò Patriarchas seu Archiepiscopos semetipsos Papas unquam nominasse in veterum monumentis non legitur. Sed neque ipse pontifex neminem sic unquam vocavit: Qui omnes Patriarchas & Episcopos in litteris nominat *Fratres* uti & Cardinales, alios, etiam Imperatores Reges &c. appellat *Charissimos filios, Reginas &c. Charissimas in Christo filias.*

§. IV. VICARIUS CHRISTI ab antiquissimis temporibus fuit Romanus pontifex appellatus. Sicut enim Christus discedens ex hoc mundo vices suas commisit Petro in regimine Ecclesiæ universalis, ita Petri in Romana Cathedra Successores sunt Christi Vicarii, de quo pleni sunt antiquorum libri. Vocatur quidem ab aliquibus Vicarius Petri, ut à S. Bernardo *epist.* 383. *ad Conrad. Imp.* verùm impropriè, quod S. Petrus adhuc vivere dicatur & gubernacula Ecclesiæ tenere, ut loquitur S. Leo in *serm.* 2. *die anniv. suæ assumpt.*

§. V. APOSTOLICUS dicitur Romanus Pontifex, eo quod in cathedrâ Apostolicâ sedeat. Olim in nascente Ecclesiâ omnes Episcopi dicebantur *Apostolici* addendo *Viri, Episcopi* &c. quod quisquis in suâ dicecesi Apostolorum vices ageret. Sic Fortunatus ad Gregorium Turonensem Episcopum *Prolog. ad Vit. S. Mart. Dominum Apostolicum* vocat, ut & *Lib. 3. Pœm. Euphronium Epif. Turon. Lib. 10. Nicetium Archiepiscopum Trevirenses.* In epistolâ Chlodovæi ad Synodum Aurelianensem II. legitur. *Dominis Sanctis & Apostolicâ sede dignissimis Episcopis* Chlodoveus Rex. Episcopalis sedes olim fuit Apostolica dicta. Sidonius *Lib. 6. epist. 1. ad Lupum Trecentem.* Verùm sicut Papæ appellatio, quæ Episcopis omnibus primò communis erat, postmodum soli Pontifici summo reservata fuit; ita & Apostolici, quâ quidem mediæ ævi scriptores frequentissimè hunc indigitant. Quia, ut Gregorius Magnus *Lib. 5. epist. 37.* ait cum multi sunt Apostolici, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in autoritate convaluit. Et S. Augustinus *Lib. 2. contra Faustum: Miror quod Episcopi receperint, quod Sedes Apostolica condemnavit.* Idem *epist. 162.* In Romana Ecclesia semper Apostolicæ sedis viguit Principatus. Idem *epist. 106.* scribit, missas esse relationes ex duobus Conciliis Carthag. & Milevit. ad *Apostolicam* sedem, id est Romanam, in quâ tunc sedebat Innoc. 1. Videri etiam potest Concilium Chalcedo-

cedonense *act.* 16. Tandem in Concilio Rhemenſi Anno 1049. lectis Sententiis ſuper hâc re promulgatis ab orthodoxis Patri- bus promulgatum eſt, quod Solis Romanis Pontificibus nomen *Apoſtolicum* convenire deinceps debeat. Atque in eodem Con- cilio legitur: *Excommunicatus eſt etiam S. Jacobi Archiepiſ- copus Gallicienſis, quod contra fas ſibi vindicaret nomen Apoſto- lici culminis.* Aliorum quidem Apoſtolorum Succeſſores Pa- triarchæ ſunt dicti: Petri autem Succeſſor per excellentiam Prin- cipis Apoſtolorum *Apoſtolicus* nominatur. Cur autem Petri in Romanâ ſede Succeſſor non *Apoſtolus*, ſed *Apoſtolicus* dicatur, ridiculum & infulſum videtur Claudii Epifcopi, qui ſub Ludo- vico Pio vixit, opinamentum, dum ſcribit: *Apoſtolicus* autem dicitur, quaſi Apoſtoli cuſtos, aut Apoſtoli fungens officio. Sed, ut Dugalus ait, *Apoſtolicus* nomen ſimplex eſt & derivatum ab *Apoſtolus*. Non enim dicitur Italicus Italiæ Cuſtos: imo *Apoſtolicus* dictus ſummus Pontifex adjectivè reſpectu vocis Papæ ut Apoſtoli Succeſſor.

§. VI. SANCTISSIMUS ET BEATISSIMUS vocatur nunc & ante Sæcula multa vocatus fuit Romanus Præful. quippe S. Cyrillus tum *epiſt. Synodicâ ad Neſtorium*, tum *epiſt.* 18. Cœleſtinum inſcriptione ita appellat. Item in *Nov. 331.* Ju- ſtiniani Pontifex Rom. vocatur *Sanctiſſimus* & Valentinus *epiſt. ad Theodoſium*, quæ habetur ante Concil. Chalced. Tom. I. Concil. *Beatiſſimum* vocat Leonem. Vocatur autem Sanctiſſimus, quod Luthero fuiſque aſſeclis maximè diſplicet, ratione officii, quod gerit: licet ipſe interdum impius ſit, atque in æternum damne- tur. Quâ de re libet audire Henricum Kalteifen Carthuſianum ſuo Sæculo percelebrem *Tom 4. Conc.*: „Papa ratione officii ſapè „aptiſſimè nominatur beatus, ſeu beatiſſimus, non quaſi extra „ſtatum viæ æternaliter conſtitutus, ſed propter admirandam ſuæ „potèſtatis excellentiam, quæ prope Chriſtum attingit: quidquid „enim potèſtatis, quidquid gratiæ ſacramentalis, quidquid dif- „pen-

„pensationis cœlestis, à Christo capite Ecclesiæ commissum est,
 „ipsâ Ecclesia dispensat, & Papâ in fide non errante, totum est
 „ejus dispensationi commissum.

§. VII. **N**on est é Catholicorum cœtu, qui non admittat quosdam Pontifices Romanos fuisse sceleratos, atque exinde minimè sanctos, quales tamen fuisse omnes, propter excellentiam potestatis fateri oportet. Et quamvis fuerint paucissimi, qui vitâ minimè corresponderent officio sanctissimo, hos tamen hæterodoxi ad plausum in scenam producunt, & quæcunque unquam ab aliquo malè gesta sunt, toti ordini imputant & exaggerant: & quæcunque à Gnathonibus, scurris maledicisque ficta, tanquam è quercu Dodonæâ cum auctario evulgant. Vix ex modernis Sectariis vel bifolii scriptor reperitur, qui non, veluti scarabæus ex stercoreibus prognatus, delectetur sordibus, easque vetustate situlenta copiosè eructet. Horum conciones, Theses, orationes Academicæ farciuntur cœdoriis, convitiis, calumniis contra Pontificem Romanum. Et si hujusmodi maledicta undequaque congesta evannantur, oratio apparet strigosa, Theses vesca, & ex mole absque nervis fiet libellus Saccarius. Recenset Ecclesia ex Pontificibus ultra 30. Martyres, ultra 40. Sanctos, adeoque tertia ferè pars divis adnumeratur. Atque ex descriptis omnium vitis patet, quod quam plurimi boni & laudabiles profuerint, septem circiter, qui cum scandalo, totidemque, qui promiscuâ famâ vixerunt. Cæteri egregiis factis insignem virtutem aut eruditionem comprobârunt, noménque perpetuâ memoriâ dignissimum reliquerunt. Sed hi ne per transfennam quidem à malevolis conspiciuntur: quin omnes Pontifices Romani Antichristi reputantur, eo jure, quo quis Achabi & Manassis scelera cunctis Regibus attribueret, atque Apostolatam carperet, quod illum gesserit filius perditionis. Sed cur omnium fit culpa paucorum scelus? quarit Seneca in *Hippo*: Nimirum omni sectario Pontificium

ficiū est onerosum & antichristianismus. Nam jam olim nemo veritati contradixit, qui non Pontifici quoque inimicus fuerit.

§. VIII. Inter tot hæreses centenas nulla fuit, quæ Papatum execrata non fuerit. Hæreditarium odium perpetuum heterodoxiæ semper conjunctum fuit. Quid mirum! inter veritatis cathedram & errorum Synagogam nunquam potest esse concordia. Simonem hæreticorum coriphæum damnavit primus Pontifex, cæteros per cuncta sæcula exsurgentes profligarunt hujus successores. Quia ergo nemo reus contumax judicem suum amavit, non est paradoxum Pontifices Romanos omnium sectariorum odia sustinere, tantum abest, ut titulum *Sanctissimi* huic quovis modo attribuere velint.

§. IX. Ast si ex potiori parte fiat denominatio, ut Philosophorum fert paroemia, certè Pontificibus Romanis *Sanctissimi* convenit. Primis decem sæculis nullus eorum turpi vitio luxuriæ contaminatus fuit, postmodum vix ultra 4 de eo convicti, qui tamen omnes vel intrusi, vel aliàs non satis canonicè electi fuerunt, permisi tamen ob graviora mala evitanda. Et quid mirum, si minùs conformiter quidam vixerint regulis morum, quandoquidem vix pubertatem egressi in summâ libertate & præposterâ licentiâ nullum præter virtutem & timorem Dei remedium habuerunt:

Quem non corrumpit pubes effræna novæque

Libertas properata togæ? ceu nescia falcis

Sylva comas tollit fructumque exspirat in umbras.

Nam deteriores omnes sumus licentiâ.

Stat. 5.

Sil. 2.

F


§. IX.

§. IX. Neque tamen hi, qui etiam á bonis culpantur, omnes turpitudines probaverunt, aut alios ad sectandum animaverunt, quemadmodum fecerunt, qui sæculo penultimo visi sunt novatoribus supra modum Apostolici. Hos inter quoque fuerunt, qui primævis Apostolicorum temporum coævis, præstantissimis, miraculorum gloriâ illustribus, Pontificibus optimis *Sanctissimi* titulum adimere moliti sunt, imo depositâ fronte omnes sine delectu sceleratos dicere ausi sunt, quod impudentissimè fecit Fridericus Braubomus; prolixè aut infelicitissimè Wolfgangus Franzius Academicus Wittenbergensis centenis aliquot Thesisibus &c. debachatus in ipsos fuit, quorum argumenta sunt desumpta ex *Daniel. cap. II. Apocalyp. 12. 13. 14. & 17.* Atque omnia, quæ in Antiochum vel Antichristum scriptura unquam prodidit, quæ ab uno semel perversè applicata ad nauseam recocta, validissimè à quam plurimis refutata, leguntur, effutuntur. Adeoque moderni eruditiores ex Synedriâ illâ, quibus frons, nunc pudore suffunduntur, quod hujusmodi gerræ & apinæ à meleferiatis fuerint unquam popello propositæ.

§. X. Religiosiores videri possent, qui omnes pontifices Romanos á Petro usque ad Gregorium Magnum commendant, atque hunc velut introducti Papatûs authorem, cum successoribus perstringunt. Sed vel ipse Lutherus in *sepput. temp.* dicit Gregorium Sanctum Pontificem. Item Theodorus Bibliander *tab. 10. Chronol.* eundem miris laudibus effert, & quantum profecerit in studiis pietatis & doctrinæ, ex libris illius cognosci posse scribit. Sed neque ille quidquam in doctrinâ, pauca in ritibus innovavit. Præterea post hunc extitere pontifices, qui sanguinem pro Christo fuderunt, & qui vitæ Sanctimoniâ, restantibus miraculis, inclyti fuere. Porro *Sanctitatis* titulus, olim Episcopis communis, quæ nunc solus pontifex honoratur, aliis etiam, qui in vitâ superstites erant, attributus fuit, ut docemur ex epistolis variorum, item ex Fortunato *Lib. 3. Pœmat.*

Avito

Avito Viennensi Sidonio &c. Verissimum equidem esse fateri oportet, quod Alvarus *in vit.* S. Eulogii presb. & Mart. n. 12. scripsit *omnes Sancti Episcopi, non tamen omnes Episcopi Sancti.* Neque solum Episcopi Sancti appellati fuerunt, quin Hieronymus *Lib. 3. in Ruff. cap. 7.* & frequenter alibi quosvis orthodoxæ fidei cultores sanctos vocat; quo nomine frequenter afficit fideles in epistolis suis.



CAPUT IX.
PONTIFICATUS BIFIDUS.

§. I. **S**. Irenæus *Lib. 3. cap. 3.*: dum successiōnem Pontificum Romanorum adornat, Petrum & Paulum primos Romanæ Ecclesiæ Episcopos enumerat, eumquē hic secutus fuit Eusebius. Atque hinc etiam ævo nostro quidam Catholici scriptores, novarum observationum publicandarum vesaniā correpti Petri & Pauli Apostolorum, tanquam duorum capitum Societatem in unum Principatum conflatum sustinere voluerunt. Verum etsi non absōnè dici possit Petrum & Paulum fuisse Episcopos Romanos, ut illos quoque vocant S. Epiphanius, Cyrillus Hieros. &c. Plures enim ejusdem Ecclesiæ tribus prioribus sæculis antistites subalternos observant studiosi antiquitatum investigatores, & colligitur ex *Act. 20. v. 28.* Licet etiam Romani Pontifices ab annis pluribus quàm octingentis in more habuerint patrocinii causâ Petri & Pauli auctoritatem in omnibus allegare, quæ faciunt ex plenitudine Pontificalis potestatis, & se successores (successione scilicet reali, non verò personali) dicant: haud tamen utriusque auctoritas ex æquo collocanda: neque eodem modo in Romanos pontifices fluxit. Episcopalis siquidem ab utroque promanavit, à Petro autem specialiter Apostolica, conjuncta cum prærogativâ supremi capitis, id est jure universalis regiminis in Ecclesiam Catholicam. Quare etiamsi Paulus æquè in Ecclesiâ Romanâ instituendâ egregiè & usque ad vincula laboraverit, Apostolique in eâ formandâ officium, adeoque Episcopi (quod munus cum Apostolatu conjunctum erat) adimpleverit, ac demum sanguinis sui effusione condecoraverit, in quo coapostolo suo æqualis fuit; ideo à S. Leone ambo Romanæ urbis Patres vocati, per quos religionis sumpsit exordium: nunquam

quam tamen Paulus Petri reale privilegium participavit; neque ei in ratione capitis Ecclesiæ Catholicæ par ullatenus fuit æstimatus.

§. II. Illud verò quod in Pontificum Bullis plumbeis etiam ante annos octingentos exaratis videantur imagines horum Apostolorum, ubi Paulus occupat dextram, non arguit præcipuum honorem huic delatum. Multo enim tempore sinistra olim præferebatur dextræ: Sic ut locus à sinistro esset honoratior, ut multis probat Antonius Nebrisenfis in *annotat.* ad quinquag. scripturæ loca. Scribit item Eusebius in *Vit. Const. Lib. 1.* se vidisse in Palæstinâ Constantinum adolescentem obeuntem provinciam cum Seniore Augusto semperque ad dextram ejus incidentem, qui utique in loco minus honorato fuit quam Imperator. Alias rationes, cur Paulus ad dextram olim locatus fuerit adfert Bellarm: *Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. VI.* observans non esse hoc perpetuum, ut in antiquis imaginibus Paulus dextram partem occupet. Siquidem in iis, quæ Romæ nunc extant, ut in quibusdam Paulus cernitur ad dextram, ita in aliis non paucioribus cernitur ad sinistram: & sicut in diplomatibus Paulus obtinet dextram, sic in numismatibus obtinet sinistram. Ubi etiam notat ex imperitiâ factum, ut Paulus sit à dextris depictus.





CAPUT X.

VATICINIA

DE

FUTURIS PONTIFICIBUS.

§. I. **V**aria de Pontificibus eligendis feruntur præfagia, inter quæ celebriora sunt, quæ passim Sancto Malachiaë adscribuntur. Fuit is ex monasterio Bereorensi assumptus ad Archiepiscopatum Armacum, seu, ut alii perhibent, Ardicensem, deinde Hiberniæ Primas. Huic dignitati postea celsit, & solâ prælaturâ Documenti contentus vixit initio sæculi duodecimi. Magno fuit apud Innocentium II. in pretio, S. Bernardo familiarissimus, qui illius vitam, quam continuum vocat miraculum, descripsit, eamque in suis brachiis in Clarâ valle finivit Anno 1148. plenus dierum. Hic scripsisse fertur quædam opuscula, atque inter ea computatur prophetia de futuris pontificibus à Cælestino II. usque ad ultimum: quam Arnoldus Wion in ligno vitæ seu in Chronicis Ordinis S. Benedicti Lib. 2. cap. 40. explicare nisus est. Ast Daniel Papebrochius in *Con. Hist. Chronolog. append. 4* scribit, quod is, qui Malachiaë nomen assumpsit, etsi minus operosè nugatus sit, plus tamen operis reliquerit futuris post se Oedipis, quàm qui prophetias Joachimi Abbatis, de quibus infra, finxit. Videtur autem (Verba sunt Papebrochii) scripsisse de præterito usque ad Sixtum V. quem designat hoc Symbolo: *Axis in medietate signi.* Quia scilicet Leonem, unum ex signis Zodiaci, pro insigni habuit, trabe transversâ, velut axe transectum per medium; & sic cum aliquâ allusione ad insignia, nomen, patriam, familiam, pro-

CAPUT

professionem procedunt sexti illius decessores, incipiendo à Cælestino II. qui creatus est Anno MCXLIII, & quia Tipherno natus, quod est castrum ad ripam Tiberis situm, designatur hoc symbolo, *Ex Castro Tiberis*. Arnoldus Wion Benedictinus, in opere, quod lignum vitæ appellat, hoc potissimum satagens, ne quid undecunque acceptum præteriret, quod ad ordinis sui laudem trahi qualitercunque posset, *lib. 2.* inter Episcopos ad litteram D pertinentes nominans S. Malachiam, scripsisse fertur, inquit & nonnulla opuscula, de quibus nihil hætenus vidi, præter quandam Prophetiam de summis pontificibus, quæ, quia brevis est, & nondum (quod sciam) excusa, & à multis desiderata, hæc à me apposita est. Incipit ergo eam Wion proponere hoc modo: *Ex Castro Tyberis*. Cælestinus II. Typhernas. Et consequenter usque ad Sixtum V, post quem ultimus cum additâ symboli explicatione refertur: *De Rore cæli*. Urbanus II. qui fuit Archiepiscopus Rosanensis in Calabria, ubi manna colligitur. Tum additis dantaxat à Wione nominibus alii tres. *Ex antiquitate Urbis* Gregorius XIII. *Pia civitas in bello* Innoc. IX. *Crux Rumulea* Clemens VIII.

§. II. Denique triginta quatuor reliqui futuri indicantur sine nominibus, & additur: Petrus Romanus in persecutione ultimâ S. R. E. sedebit, qui pascet oves in multis tribulationibus: quibus transactis civitas septi-collis diruetur, & judex tremendus judicabit populum suum. Finis. Subjungit Wion, quæ ad pontifices, id est ad symbola pontificum adjecta non sunt ipsius Malachiæ, sed R. L. F. Alphonfi Ciaconis Ordinis Prædicatorum, hujus Prophetiæ interpretis. Unde is illam habuit? ex quo manuscripto? nihil horum quærere curavit Wion, nihil alii post eum illius pseuulo prophetiæ assertores. Quis autem iste Frater Alphonfus Ciaconis? utique idem ille, qui patri sui, ejusdem secum nominis & Ordinis, sed magistri titulo in eodem præeminentis, opus insigne de vitis summorum pontificum &

S. R. E.

S. R. E. Cardinalium Romæ Anno 1601. evulgavit, sex annis post editum lignum vitæ, & decem post obitum Urbani VII. qui ultimus explicatur. Quomodo autem hic talis neque patruo suo persuadere unquam potuit, ut illius vellet meminisse in suo opere; nec ipse est ausus, saltem ad calcem libri rem à Wione vulgari ceptam attexere, & variis ubique sermonibus exceptam propugnare aut stabilire? cum sine dubio fides ejus appellaretur à multis, eamque liberare moneretur. Nempe ad præfagium Urbani VII. torquens se ingenium Ciaconis ægrè aliquid explanationis invenerat, tribus verò aliis nulla dabatur vel per umbram tolerabilis explicatio. Quod idem reperies in iis, qui hætenus secuti sunt. Si quis tamen singula vellet expensa habere adeat Francisci Cariere Chronologiam Pontificiam, ad cujus calcem, breviter quidem, sed in re tam futili satis abundè id agitur. Puto autem, quod si quis de secuturis quinque vel sex Pontificibus, experimenti causâ, velit penes se comminisci aliquid, excogitaturus sit ea, quæ multò commodius valeant electis quandòque applicari, quam applicari possint ea, quæ habentur de Urbani VII. Successoribus usque modo; tantâ opus est ad id violentiâ, quemadmodum curiosius examinanti patebit. Hæc quidem Papebrochius, qui velut Chamæleon facili conversione transmutatus in dedicatoriâ epistolâ tomi illius, quem Clementi IX. P. M. (huic obvenit: *Sydus olorum*) inscripsit, ex programme: *Dominus Rospigliosius* (sic enim propemodum vocabatur, anagramma confecit: *Signo ipsi sydus olorum*. Quo persuasum esse voluit, quidpiam saltem veritatis, undequaque provenientis correspondere vaticinio. Quamquam tamen in ipsâ carnificinâ caracteristicâ, æquè ac exoticâ desumptione rei significatione, major appareat violentiâ, quam author in cæteris perstringit, ab aliis æmulis suis ideo notatus. Ejusdem planè commatis est illud, quod scriptor cœvus reperit in nomine Rospigliosus, cujus anagramma finxit. Sidus oloris P. mutato in D. atque magnum quoddam acumen sibi visum his versibus prodidit.

Cle-

Clementi dentur claves, clementia regnet.

Rospigliosus abhinc, fidus oloris erit.

Nomen id omen habet: nam p. dum vertitur in d.

Dempturus populo est, non positurus onus.

In his utique acutus versificator magis sibi placuit quam Peleus in *Machæra* apud *Erasmum* in *adag.* qui nec Bæotico fortè arridebunt ingenio. Nihilominus prætenfa hæc vaticinia, quibusdam scriptoribus summo sunt pretio, suisque libris ea velut gazas inserere voluerunt. Leguntur apud Engelgrave S. J., Gabrielem Bucelinum Ord. S. Benedicti, Matthæum Cheffneux Eremit. Augustinian., Ottonem Aicher Benedictinum, aliósque plures. Cum fatidicus ille larvatus in Petro Romano Cathedræ Apostolicæ prænuntiet exterminium, illud verosimilius futurum existimatur, quòd Imperia ab iisdem planè definant hominibus, quibus antea cæperunt. Siquidem Persica Monarchia sub Dario Medo constituta, sub Dario Comodano fuit labefactata. Romana auspiciis Julii & Augusti Cæsarum inchoata, sub Julio Nepote & Augustulo Imperantibus defecit. Constantinopolitana, quæ authore Constantino Magno initium sumpserat, temporibus alterius Constantini à Turcis invasa corruit. Jerosolymam Urbano II. P. M. à Christianis recuperatam, sub Urbano III. Barbari rursus occupârunt. Balduinus è Francico Stemmate primus ibidem Rex: Balduinus alius ultimus extitit. Horum utique eventuum præfagus fuit gnarus, proinde ad stabiliendam suam prophetiam simile quid inducere voluit in Petro. Ast verissimum est illud Caii apud Strabonem *ferm. 27.* Eventura facta, etiamsi quandoque contingerent in cognominatis, ex paritate nominum velle augurari, vanissimum est. Atque ipsiusmet prophetiæ vanitas luculenter apparet ex illo, quod Antipapæ Victor, Calixtus & Paschalis, qui contra Alexandrum III. sederunt, nullo prænotentur symbolo, cum tamen Nicolaus V. qui contra Joannem XXII., Clemens VII. & Benedictus XIII., qui contra Urbanum VI. & Gregorium XII. sederunt, pro-

pheticis notis designentur, quæ si his demantur, aut illis juxta feriem adjudicentur, totam Structuram corruere, novasque explicationes excogitare necesse est.

§. III. Joachimus Abbas Ord. Cisterciens. vel S. Benedicti, congregationis Florensis institutor, natione Calaber qui floruit in fine Sæculi XII. Scripsisse fertur inter alia quamplurima prophetiam de futuris Pontificibus Romanis, quæ ab aliquot sæculis reperta putatur. Suntque imagines Symbolicæ, & explicationis, seu verius implicationis majoris causâ subiecta singulis imaginibus lemmata. Constat 15. quasi præfagitionibus a Nicolao III. qui electus fuit Anno 1277. usque ad Urbanum VI. qui cathedram conscendit 1378. Censetur unus ex schismaticis fuisse, qui Urbano, cujus severitas forè nimia schismatis occasionem dedit, voluerit odium invidiamque apud Italos conciliare. Nec forte vanum est nomen Anselmi Episcopi Mansicani, quod exemplaria quædam referunt ut authoris hujus prophetiæ. Quisquis fuerit, Bonifacio VIII. iniquus extitit. Seipsum tamen turpiter prodidit, cum Joachim nomen assumens omnes Pontifices triplici corona ornavit, etiam duodecim illos, qui Urbanum V. talis coronæ authorem præcesserunt. Cur autem à Nicolao III. incæperit, non verò à proximo aliquo post annum 1202, factum, quia notitiam ejus ætatis non habuit, cujus nomen usurpavit. Ita mortalium nugacissimus obscuritate affectata imponere mundo conatus fuit. Sed etsi daretur Joachimum Abbatem horum prognosticorum authorem fuisse, nullius equidem æris habentur apud eruditos. Quamvis enim ut Propheta suo tempore habitus fuerit, qui futura prædicere conabatur, observat tamen Trithemius Lib. de scrip. Eccles., ex conjecturis potius temporum & scripturarum illum fuisse locutum, quam prophetasse, quod idem sentit de eo Du Pin. Hinc alii animadvertunt frequenter illum suis prædictionibus inseruisse: *Fortè, ut mihi videtur. facile eveniet, &c.* Quare Guilielmus Parisiensis, qui an-

nis 20. post eum scripsit de Dono Intelligentiæ, notat, quod Joachim in aliquibus ob vehementiam dono Prophetiæ credatur à quibusdam illustris, cum duntaxat in ipso donum intelligentiæ fuerit. Prophetam non fuisse docet S. Thomas in 4. Dist. 43. a. 3. q. 3. ubi etiam dicit, quod in aliquibus deceptus fuerit. Falsa Somniasse probat idem Trithemius. Roverius de Hoveden in Annal. Angl. illum ut pseudoprophetam insectatur. Hic, Guidone Carmelita Teste, multa scripsit, in quibus, quam levi esset ingenio, plus satis ostendit, quoniam in omnibus ferè libris suis, quo se futurorum præscium commonstraret, consuevit immiscere prognostica; quod maximæ levitatis & gloriæ affectantis indicium est; potissimumque cum aliter se imposteri rei eventus habuerit, quàm ipse prædixit. Mirum proinde quod Cardinalis Bona eum vocaverit Virum Prophetici Spiritus, quem Baronius tractat ut pseudoprophetam, ob vaticinium de Antichristo Romæ nascituro. Imo Alphonsus à Castro, Bernardus Luxenburg. aliique hæreseologi Joachimum in censum hæreticorum referunt. Sed immerito, quia hæreticus non fuit; quandoquidem omnia sua scripta Ecclesiæ judicio subjecit, ut constat ex ejus protestatione ante obitum edita, quæ præfixa est ejus operibus, relata à Francisco Pegna. Luculenter id testatur Conc. Later. C. Damnamus Extra de Sum. Trinit. & Fide. Idem perhibet S. Thomas opus 24. In cit. Concilio non ipse Joachimus, sed libellus damnatus fuit, quemadmodum Honorius III. declaravit in rescripto ad Lucaniæ Episcopos, & ad Consentinum Archiepiscopum Bisiniacensem. Imo aliqui contendunt, non constare certò, an libellum Joachimus scripserit, aut, si scripserit, an textus fuerit sincerè Concilio oblati. Sunt enim, qui vitiatum asserunt, & vitiatum ab eo prædictum fuisse. Authographum non extitit, bene tamen alii libelli, qui dicebantur inde exscripti. Quidam autem plures errores, non tam asserunt ab Abbate quam ex illius scriptis male intellectis, à fatuis hominibus fabricatos, præsertim ab auctore libri, qui inscribitur

Evangelium æternum. Rectius videntur illi censere, dum dicunt, quod Joachim magistri sententiarum doctrinam impugnando lapsus sit in errorem ob malè intellectas propositiones, ut erat in subtilibus fidei dogmatibus non usquè adeo versatus. Illum quidem defendere conati sunt Franciscus Bivarius Ord. Cister., Gabriel Bareus ord. min., & prolixam pro eodem Apologiam edidit Anno 1660. Gregorius de Laude seu de Lauro ord. Cist. Abbas Sagittariensis. Qui liber non admodum placuit censoribus Romanis, quamvis Papebrochius *append. 4. con. Hist.* putet, quod opus illud ob ipsum, quod tractandum suscepit argumentum, id est ob defensionem Abbatis sanctitatem, non displicuerit: sed ob aliquam aliam questionem ex occasione duntaxat ibi tractatam aliter, quàm tractari eam huic tempori conveniebat. Quidquid sit, Gregorii momenta, iudice Natali Alexandro, videntur minus sufficientia ad coabbatem suum ab errore absolvendum, non volentem in illum incidisse, nec arbitratum esse ex sua contra Petrum Lombardum sententia sequi aliquid contra summam fidei, imo ejusdem fidei studio ipsum impugnasse Lombardum, satis eruitur ex iis, quæ contra Arii & Sabellii hæreses in aliis libris scribit. Hæc incidenter de Joachimo Abbate Pretia Fittæ prope Cosentiam qui obiit Anno 1202. 30. Maji æt. 72. in monasterio Floris, qui Canalis dicitur.

§. IV. Fuerunt & alii, qui spiritu Pythonico tumidi, aut Astrologiâ judiciariâ imbuti futurorum Pontificum seriem aliquam præfagire voluerunt. Inter hos sibi nomen aliquod comparavit Michael Nostradamus natus in Provincia Anno 1503, sub cujus larvâ multa vaticinia edita: ejusque versus recenter conditos, quasi ab ipso scriptos, quidam malè feriati ediderunt, ut rudi plebeculæ imponerent, huicque Prophetæ nomen adsciscerent, quod tamen Nostradamo merito concedendum nonnulli putant. Virum bonum fuisse scribunt, & hoc cœlesti munere ob ingenuitatem non indignum putant Stephanus Godellus,
Gui-

Guinaldus &c. E contra Flor. Remond., Spondanus, Galsendius eum vix mediocriter scientiâ astrologicâ imbutum dicunt, nihil de ejus sanctimoniâ & doctrinâ sentientes. Naudæus illum vocat monstrum & omnium errorum compendium. Salsè in eum scripsit satyricus.

Nostra damus cum falsa damus: nam fallere nostrum

Et cum falsa damus, nonnisi nostra damus.

Vaticinia ab anno 1550. usque ad annum 1567. pertingunt. Centuriæ sunt 10., in quibus multa æquivoca, adeoque aliqua vera. Obiit Salone propè Aquas Sextias, apud Franciscanos sepultus partim in, partim extra Ecclesiam ætatis anno 62.

§. V. Claudius Franciscus Menetrier Malachiæ Prophetiam tanquam supposititiam impugnavit contra Arnoldum Wion. E contra eam propugnavit Samuel Andreæ in disquisitione historicâ de successione Pontificum Romanorum secundum prænotationem Malachiæ Hyberno adscriptam.



CAPUT

CAPUT XI.
HISTORICI.

§. I. **I**nnumeri propemodum extitere variarum nationum scrip-
tores, qui ex instituto proprio Romanorum Pontificum
Chronologiam, seriem eorumque res gestas consignâ-
runt. Primus illorum communitè putatur Damasus Papa au-
thor libri Pontificalis. In hoc tamen eruditi modò conveniunt
quod liber is conscriptus sit ab alio quodam bardo stupidòque,
qui operi præfixerit titulum inanem, cum nihil minus in eo re-
periatur quam gesta Pontificum, sed contineat plures barbaris-
mos & palpabiles Solæcismos. Circumfertur quoque nomine
Anastasio Bibliothecarii, qui se dicit Abbatem, floruitque Sæcu-
lo nono, quasi author hujus libri Pontificalis. Verum plurimo-
rum recentiorum criticorum opinio est, quod duntaxat conti-
nuaverit à Liberio usque ad Nicolaum I., ut vult Vossius, malè
hunc confundens cum Anastasio Bibliothecario Gregorii IV. Car-
dinale presbytero tit. S. Marcelli & Antipapæ contra Benedi-
ctum III, vel usque ad Stephanum VI. quod prætendit Baro-
nius. Pauci deinde longo intervallo hoc institutum sunt profe-
cuti, quando mediante Sæculo XIV. vitam Pontificum concin-
navit Landulphus de Columna Canonicus Carnotensis usque ad
Joannem XXII. Præ cæteris notissimus in hac palæstra Platina,
de quo majori contentione quàm utilitate litterati disceptant an
B. nomini propositum indicet pronomen Bartholomæi juxta Tri-
themium, Angelum Roccam, Volateranum, Bofsart, Vossium,
Warthon, qui id evincere volunt ex quâdam ipsius epistolâ Jo-
anni Cardinali Papiensi inscriptâ hoc modo: Bartholomæus Pla-
tina Joanni Cardinali Papiensi; & ex Richardo Flemingo, qui
Platinam optime novit, & pomposè laudavit. An verò indicet
Bap-

Baptistæ pronomen, quod Lambecius fufè probare nititur. Certius est, quod nomen ejus patronimicum fuerit Saccus, natione Veronensis, multa, ut ferunt injustè passus à Paulo II. quoufque vitam Pontificum produxit & Librum Sixto IV. dedicavit. Mirum videtur quibusdam, quod post hunc librum alium de re culinariâ scripserit, quod festivè ridet larvatus Aëtius Sincerus hoc epigrammate.

Ingenia & mores vitasque obitusque notasse

Pontificum, arguta lex fuit historię.

Tu tamen hinc lauta tractas pulmenta culinæ

Hoc Platina est ipsos pascere Pontifices.

Platinam continuavit usque ad Pium V. Onuphrius Panninus heluo ille historiarum ex ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini. Opus quidem imperfectum Jacobus Stata illi amicissimus surripuerat & anno 1557. Venetiis evulgaverat: Sed recognitum emendatius post annos undecim author præfato Pontifici dedicavit. Eodem fermè tempore vitas Pontificum Romanorum composuit Gonsalvus Illescas Hispanus Abbas & Prior, deduxitque usque ad Gregorium XIII. Produxit Babia usque ad annum 1605. 4 & 5. partem adjecit Marcus Guadalaxare Carmelita Hispanus, qui obyt 1631. Vitas quoque Pontificum usque ad Urbanum VIII. in compendium redegit Theodorus Petrer Carthusianus Colonienfis. Egregiam, si quis alius, in historiâ Pontificiâ navavit operam Alphonsus Ciaconius Hispanus ex ordine Prædicatorum Patriarcha Alexandrinus, qui morte præventus librum ad umbilicum nequivit perducere. Summam manum addidit Franciscus de Morales Crabrera & Anno 1601. duo volumina in folio publici juris fecit. Sed cum mendis notabilibus scateret, tradita ea est provincia Hieronymo Alexandro & Andree Victorelli. Priori mortuo substitutus fuit Lucas Wadingus. Palmam equidem labore assiduo obtinuit Victorelli in editione

ditione operis Anno 1630. Colophonem addidit Becillus Urbinas Oratorii presbyter adstipulantibus Ferdinando Ughel Abbate, Floravente, Martinello & Augustino Olduini, cujus potissimum operâ Anno 1676. impressa sunt Romæ quatuor volumina in folio, in quibus postremus Clemens IX. Augmentavit Oldoinius è Soc. Jesu. Inter recentissimos, qui telam hanc texuerunt ad nostra tempora, sunt Joannes Foresti, in cujus tamen opere desiderantur, quæ critici expetunt. Joannes Palatius J. V. D. & Professor Canonum Plebanus Canonicus Venetus S. C. M. Historicus & Consiliarius de vitis Pontificum volumina quinque horumque icones evulgavit, communem tamen plautum non obtinuit, quia sinceri historici munus non implevisse visus fuit. Georgius Eggs paucis ab hinc annis edidit Pontificum doctum seu vitas, obitus aliâque scitu digna summorum Pontificum, eorumque præcipuè, qui ingenio, doctrinâ. Scriptis libris editis usque ad Clementem XI. inclaruere. Porro immensum est agmen Historicorum ecclesiasticorum, qui acta Pontificum recensuerunt.

§. II. Pessimè meruerunt de republicâ litterariâ Barns & Ballæus excucullati culeo digni, reprehensi vel ab ipsis heterodoxis, quod meris mendacys calumniis & convitiis chartam conspurcaverint, quam legere ingenuus averfatur animus: quamvis hodie dum non desint similis farinæ infames scurræ, qui in fœtidam illam cloacam calamum mittentes putidissima inde depromant. Ut aspis à viperâ venenum mutuat.



CAPUT XII.
SCOPUS AUTORIS.

§. I. **E**x probatissimis autem historicis optimæque notæ scriptoribus composui elenchum hunc, quo continentur vitæ omnium Pontificum Romanorum usque ad Benedictum XIII. nunc cum totius orbis Christiani fructu in Cathedrâ Petri sedentem; futurus usui eorum, quibus aut non est copia authorum, aut minimè vacat grandes tomos pervolvere, neque compendiis satisfiet, in quibus vix quidquam præter nomen annosque Pontificatûs reperire licebit. Quantum ad Sedis vacantiam, cum auctores plerumque variant, nulla certitudo statui poterit, proinde quorundam Pontificum anni pariter incerti. Nec eadem est apud omnes horum series, quando aliqui intercalantur, alii rursus omittuntur à scriptoribus haud infimæ notæ. Quare ubi nulla est certitudo, veri similitudinis habenda est ratio. Stylus opusculi simplex est, quandoquidem non oratorem, sed historicum agere volui, cui proprium esse debet, veritatem nudè producere, non falsa comminisci, sed in obscuris probabiliora sequi, nihil solis conjecturis, genio, adulationi, aut animi affectibus concedere, nulli alteri numini (quod vel maximè præcipit summus ille conscribendæ historiæ Magister Lucianus *de Conscrib. Hist.*) quàm soli veritati litare: cuius potius quam proprii nominis, docente Cypriano, habenda est ratio. Scopum an feliciter assecutus fuerim, lector optime, æquo animo judicabis. Fruere labore, tuoque favore prosequere. Menda si reperies, emenda: correctricem manum tamen ne temerè applies: secus enim præpropere correctio tuimet evadet confusio.

III † ✱ † II

H

CAPUT

CAPUT



CAPUT XIII.
PONTIFICIS ROMANI
DOMINIUM TEMPORALE.

§. I. Pontifex Romanus in Italiâ Princeps est potentissimus. Præter Urbem spectant ad ipsum territoria ultra citràque Tiberim, Ducatus Beneventanus in Neapolitano regno, item Spoletanus, Urbinatensis, Ferrariensis, Marchionatus Anconitanus, diversa territoria in Hertruriâ, ut Romaniola, Flaminia, in quo Bononia & Ravenna. In Gallia Avenione. Feuda dicuntur Parma, Placentia, &c. cui contradicit Carolus VI. Imperator &c. Neapolitanum regnum feudum, & dum possessor seu feudator homagium præstat singulis annis in vigilia SS. Petri & Pauli, exhibet Pontifici album tolutarium cum crumenis binisa uro argentóque refertis.



II * * * II

CAPUT

H

CAPUT

CAPUT XIV.

PONTIFICIS ROMANI MINISTRI.

I. **P**ontifex Romanus constituit unum e Cardinalibus VICA-
RIUM. Hic obtinet jurisdictionem in Clerum, Soda-
litates, Hospitalia, Judæos &c. Inde singulis mensi-
bus proveniunt 100. Ducati. Duos habet Delegatos, quorum
unus in forensibus, alter in criminalibus præfunt, item Vice regen-
tem in Ecclesiasticis, qui est Episcopus titularis.

POENITENTIARIUS MAJOR in Casibus Pontifici re-
servatis jurisdictionem exercet & potest aliis confessariis com-
mittere facultatem absolvendi. Sumitur ex Collegio Cardina-
lium. In solemnioribus festis in Ecclesiâ Vaticanâ, aliâve sedet
in sublimi sede & publica peccata reservata dimittit. Anni
proventus adæquant 8000. Impl.

Olim SECRETARIUS Pontificis dicitur functus officio
Cancellarii, modò licèt titulum non habeat, Cardinalis eo fungi-
tur & annuè recipit 16000. Impl. Illi incumbit expedire Bre-
via Apostolica, quæ Papa subsignat & sunt ordinariè Bullæ.
Quæ sub annulo Piscatoris in formâ brevi expediuntur, non spe-
ctant ad ipsum. Habet sub se *Regentem* & duodecim *Abbrevia-
tores di parco Maggiore*, qui omnes sunt Prælati. *Regens* pollet
facultate, quascunque appellationes exhibere Rotæ & Referen-
dariis. *Abbreviatores* autem componunt Bullas & Regenti præ-
sentant. Sunt & *Abbreviatores di parco minore*, item scribæ & Can-
cellariæ officiales, qui Bullas suo nomine signant, & mittunt.

VICE CANCELLARIUS retinet Catalogum, in quo sunt Cardinalium tituli, Episcopatus & Abbatiaë consistoriales signati.

CAMERLINGUS semper est Cardinalis, & Clericos Apostolicæ Camerae, Thesaurarium & Præsidem subordinatos habet. 14000. Impl. annui illius reditus. Recognoscit omnes reditus Camerales, item appellationes fabricarum, vicorum & Pontium structorum. Sede vacante in Camera Pontificis manet, cum Helvetorum custodiâ Urbem peragrat, monetam suo nomine insignitam cudi facit, & consistorium convocat. Clavem unam de Castro S. Angeli ejusque thesauro reservat, alteram Decanus Sacri Collegii, tertiam Papa tenet.

PRAEFECTUS SIGNATURAE semper est Cardinalis. Ejus officium exigit, ut Rescripta ad supplicationes & commissiones, quæ sunt in materia justitiæ, expediat. Annue 1200. Impl. recipit. Quavis feria V. in illius palatio signatura fit, ubi assistunt 12 Prælati, qui sunt referendarii opinantes, præter alios referendarios omnes, quorum quisque duas causas exhibere potest. Item adsunt Auditor Rotæ unus & Auditor Civilis, qui sunt Cardinalis Vicarii, sed nil agunt, nisi in occurrentibus causis suum forum concernentibus.

PRAEFECTUS SIGNATURÆ Gratiaë subscribit omnibus concessis gratiis, & concessionibus, quas Pontifex indulget in Septimanali congregatione, cui interfuit. Est semper Cardinalis, revidet & subsignat composita in his causis Brevia Apostolica.

GENERALIS MILITARIS Pontificius creatur per breve Apostolicum, eique Papa fasces militares tradit in suo cubiculo & ab eo juramentum recipit: commendat is omnibus urbium præfectis militaribus. Locum Tenens potitur annue 3000. Impl.

PRÆFECTUS GENERALIS *armaturæ majoris* pariter per Breve creatur. 12000. Impl. annue reportat.

GENERALIS *Classis Navalis* singulis mensibus 300. Impl. recipit. CASTELLANUS S. Angeli annue 6000. Impl. Centum milites castrum custodes illi subsunt.

Pontifex quatuor constituit MAGISTROS CÆREMONIARUM qui violaceo colore utuntur, magnæ pœssim existimationis. Congregatio Rituum etiam duos habet, quorum unus pariter Secretarius, alter Decreta expedire solet.

MAGISTER SACRI PALATII ex Ordine Dominicanorum palatium incolit; illius est approbare libros typis vulgandos. In publico Prælatus habetur, & si Episcopus est, succedit Episcopis Coadjutoribus ut vocant, dum simul conveniunt.

SECRETARIUS Pontificis Cardinalis est & frequenter nepos, hic simul inspector est status Ecclesiastici. Conficit & subsignat litteras Apostolicas ad Reges, Principes, Nuntios &c. Cuncti Legati Romæ ipsi debent committere Negotia apud sedem Apostolicam expedienda. Cuncti Secretarii status huic vel Cardinali Patrono subsunt & litteras suas subscribendas presentare debent. Hi in palatio habitant & uestibus violaceis utuntur.

Viginti quatuor sunt *Secretarii Brevium*, quorum præcipuus incolit Vaticanum, Hi expediunt subsignantque Brevia quæ Cardinalis Præfectus Brevium recipit. Secretarius Brevium secretorum debet ea ad mandatum Cardinalis Patroni seu Secretarii Status expedire. Hujusmodi Brevia nemo legit, nisi Præfectus Brevium, qui compositionem scripto nomine approbat, & si annulo Piscatoris subsignata sint, Cardinalis Patronus epistolam adjungit. Compositiones cautè reservantur & post mortem Pontificis in Castrum S. Angeli reponuntur.

MAJOR DOMUS semper est Prælatuſ domesticuſ. *Ca-*
merarii honoris eliguntur ex præclaro ſtemmate natiſ, qui aulam
ad libitum frequentant. STABULI PRÆFECTUſ, hunc titu-
lum nunquam gerit, bene tamen functionem exercet & equili
præſt. ENSIFER eſt & inter præcipuoſ miniſtroſ computatur.

Generalis Satellitii Pontificii duas turmaſ levioris armaturæ
ſubſe habet 300. Helvetiorum. In erectâ Camera Apoſtolica
conveniunt *Gubernator Urbis* tanquam vice Camerlinguſ, *The-*
ſaurarius Generalis, Auditor & Præſes camerae, advocatuſ Fiſci &
alii plureſ. Diſponunt de reſtituſ, teloniſ, monetiſ &c.

Gubernator judicat forenſia & in Criminalibuſ habet juſ
præventioniſ ante omnia Urbis tribunalia. Munuſ Theſaurarii
erga 7000. Impl. confertur & annuè obtinet 12000. Eâdem
ſummâ gaudet Auditor Camerae & eſt judex ordinariuſ Auli-
corum, Baronum, marchionum, Epiſcopum &c. Territoriſ Ec-
cleſiaſtici Romani.

MARECHALLUſ binoſ Collateraleſ judiceſ ſecum in tri-
bunali habet, ad quod referuntur liteſ civium & incolarum Ro-
manorum. Semper eſt extraneuſ ſeu alienigena & habitat in
Capitolio, veſtitur more antiquorum Romanorum Togâ talari
holoferico rubro & catena aurea. In Capella Pontificiâ locum
poſt Legatuſ Cæſareuſ occupat.

In Provinciâ Romanâ Pontifex in Umbriâ ſeu Spoletuſ, Mar-
chiâ Anconitanâ, Ducatu Urbinatenſi, Romaniola, Ferrara, Bo-
nonia Avenione regit per Legatoſ vel vice Legatoſ. Quæviſ Pro-
vincia in Militaribuſ ſuum habet Generalem, Urbiſ Gubernato-
rem; de quibuſ Papa diſponit.

S. P E T R U S.

§. II. Galilæus è vico Bethsaida oriundus, patre Joanne five Jona, opificio piscator, aliàs dictus Simon, à Christo electus Apostolus & nuncupatus Cephas seu Petrus, quod primus ab eo esset constitutus Vicarius tradidissetquè sibi claves regni cœlorum ut esset Ecclesiæ caput: quas quidem cæteris quoque Apostolis contribuit, sed ordo hierarchicus deposcebat, ut esset in uno super omnes plenitudo potestatis. Post Christi ascensionem Petrus secundum opinionem communem præfuit Ecclesiæ Antiochenæ annis 7. Deinde Romam venit, quod hanc sedis Pontificalis dignitati convenientem æstimaret. Quot annis hanc ibidem occupaverit, non est omnino certum: quia haud satis constat, quo præcisè anno eandem constituerit. Vulgò tamen creditur annis 25. & aliquot mensibus tenuisse. Multi præferunt sententiam Cardinalis Baronii scribentis Petrum Romæ sedisse annis 24. mensibus 5. diebus 11, in choando à die 28. Januarii (hoc die celebrandam solemnitatem inceptæ sessionis decrevit Paulus IV. Ao. 1557.) ætæ Christianæ 45, usque ad 29. Junii Ao. 69, quando jussu Neronis Imperatoris in regione Transtiberina ad Janiculi verticem fuit velut alienigena crucifixus, corpore, ut petierat inverso, seu ut patientiam intuitû cœli animaret, seu quia crucem, sui Magistri thronum ob reverentiam nollet rectà inscendere. Quot annos vixerit, incertum. Provectioris fuisse ætatis colligitur 1. *Pet. cap. 5. v. 1.*, *Joan. cap. 21. v. 18.* & confirmant antiquissimæ primis sæculis confectæ imagines.

Corpus à Marcello & Apuleio fuit sepultum in Vaticano viâ Aurelia secus hortos Neronis non longè à via triumphali quæ ad Apollinis templum ducit. Cùm illud pii plagiarii aliquando auferre voluissent, referente S. Gregorio Magno cœlitus exterriti aufugerunt. Sepulchrum deinde mirificè exornatum fuit à variis Pontificibus & Imperatoribus Romanis. Ab Innocentio III. Anno 1200. muro obstructum fuit, ne pseudo Pontifices accedere pos-

posent. A Paulo V. apertum & auro condecoratum. Urbanus VIII. ex ære corinthio auro obducto mausolæum superædificavit, cujus splendorem omnis meritò mirabitur posteritas. Tota moles præter aurum, quo fulvet, æquare dicitur 286392. libras, in eaque perficienda 9 anni infumpti.

S. LINUS.

§. III. Tuscus, patriâ Volaterranus, patre Herculano, sanctitate & moribus in pretio habitus, tantæque virtutis, ut in dæmones imperium exercuerit mortuosque ad vitam revocaverit. S. Hieronymus in cap. 52. Isaiæ scribit Clementem post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam: ast è Chronico Eusebii, quod profecutus est Hieronymus, satis colligitur, quod de successione mediata intelligi debeat. Quemadmodum quidam SS. Patrum, dum Clementem in serie Pontificum constituunt secundum, intelligendi sunt, quod fuerit secundus Petri ordinatione, non Ecclesiæ nominatione; jure, non functione & administratione. Ferunt enim quod Petrus, quem universalis Ecclesiæ Sollicitudo frequenter in Asiam & alias terræ partes evocabat; ne Ecclesia tanta, quanta jam Romæ erat, necessario destitueretur sacerdotio, aut simul, aut successivè, pro ut crescens fidelium numerus exigebat, ordinaverit Episcopos Linum, quem Romæ in ipsa urbe, Cletum & Clementem, quos in suburbiis suos constituit coadjutores, qui ipsum intra extraque urbem vicariâ operâ sublevarent, ordinandis per varia loca Episcopis, & in cæteris functionibus Episcopalibus. Imminentis verò suæ passionis certus, 2. Pet. cap. 1. Clementem suum designaverit successorem: qui non tam ex humilitate, quàm Dei consilio, ne hujus nominationis exemplum forsân plurimum obeset posteritati, Linum, deinde etiam Cletum, accedente Ecclesiæ approbatione, voluerit cathedram Apostolicam conscendere. Quia futurum prævidebat (verba sunt Natalis Alexandri Hist. Eccles. Dissert. 13.)
ut

ut, si Pontifici liceret sibi designare successorem, plures in Cathedram Petri subvecti, sed Petri vestigia non secuti, revelationem carnis & sanguinis, non Spiritus Sancti aflatum attenderent: sicque summum Ecclesiae Sacerdotium, ab ordine Melchisedech in ordinem Aaronis descenderet, nec dignatio coelestis gratiae faceret, Antistitem, sed carnalis successio generaret sacerdotem. Cur autem Petrus praeterito Lino, suo jam pridem in Urbe Vicario in spem successionis lecto, sibi designaverit Clementem successorem, non solum huius praeclara exegerunt merita: sed insuper haec videtur fuisse ratio, quod prima inter Romanos generis nobilitate insignis, & Imperatoribus affinitate conjunctus aptior videretur ad Christianos contra Gentilium furias protegendos.

Linum, sicut & sequentem aliqui non recensent inter Pontifices, eumque Joannes III. è numero Pontificum in sua Decretali sustulit. Onuphrius in *Epitom. Rom. Pontif.* admittit quidem, Linum vixisse in Pontificatu annos undecim: sed vivo Petro: sic ut non fuerit successor Petri seu Papa, quippe qui tertio mense post eum obierit, quin potius Pontificius adjutor, Coepiscopus, seu in absentia Petri Episcopatus Romani administrator.

Verum cum universa Ecclesia, juxta illius certissimam traditionem annumerandus est Linus Pontificibus, ut eum annumerant S. Irenaeus *Lib. 3. cont. haer. cap. 3.*, Eusebius in *Chron.*, S. Epiphanius *Lib. 1. tom. 2. haeres. 27.*, S. August. in *epist. 165. ad Litt. Donatist.*, & alii passim omnes. Habuit Linus Ordinationes duas, & in iis in Urbe creavit presbyteros 18., Episcopos 11. Capitis truncatione Romae martyrio coronatur A. 80. 23. sept., jussu vel operâ Saturnini, non Consulis; quia in factis Cols. nullus intra triginta annorum spatium hoc nomine insignitur, sed Consularis; quomodo vocabantur illi, quos Caesar in Asiam vel Africam miserat ad Praetorias. Sedit annis 11.,

I

mens.

mens. 3., d. 13. Sepultus in Vaticano juxta corpus B. Petri. Reliquiae Ostiam translatae sunt & in templo S. Laurentii collocatae per Gregorium Loci Episcopum.

S. CLETUS.

§. IV. **R**omanus, patre Æmiliano in vico Patritii commorante. Primus putatur Populi Romani consensu electus, qui Pontificatus munus inuitus, licet doctrina & virtutibus valeret, hortante Clemente suscepit. Satagit ille pro suo ministerio, ut in cumulatissima gentium omnium congregatione, urbe Roma & fidem ampliaret, & fundamenta jaceret multis post ea tempora lucrandis animabus. Merito proinde vocatus à Platina *Vir optimus & Sanctissimus*.

Hunc ab Anacleto Successore distinguendum persuadent martyrologia vetustissima, tum Canon Missae & Doctorum virorum sententia. Quamquam non desint, qui Cletum cum Anacleto confundant, putantes eundem esse; eo quod quidam antiqui Scriptorum & Catalogi referant Anacletum solum, vel Cletum: quod ideo factum autumant, quod Anacletus fuerit, fortè brevitatis causa, dictus Cletus. Ad dirimendam hanc controversiam opinatur Papebrochius, satis esse, personam dividere in duos Pontificatus: quo fiet, ut & iis, qui Clementem praeponunt Cleto, & qui Anacletum postponunt, fiat satis. Si nempe dicatur, Cletum susceptum, post Linum, Pontificatum, promulgato de Philosophis expellendis edicto Vespasiani, non autem in Urbe subsistere, illum abdicasse; & Clementem Romana nobilitate illustrem, proindeque à suspitione sectae Philosophicae magis exemptum, fuisse assumptum. Demum pace reditâ, dum Clemens se quoque sponte abdicavit, Cletum resumpsisse sedem; atque ex eo eventu dictum fuisse Anacletum, id est, rursus Cletum. Ast haec conjectatio videri posset aptior ad concilian-

ciliandas opiniones, quam ad stabiliendam veritatem, testimoniis veterum planè destituta, qualia passim scriptor ille in caeteris meritò exigit, exigerétque, si alius illam protulisset. Non conjecturis sed probatis historica debent niti fundamentis. Forte tamen erunt, quibus haec adinventæ identitatis ratio placebit. Displicuit certè Cenforibus Romanis, qui hanc de Anacleti & Cleti identitate opinionem in operibus Natalis Alexandri nigro thetâ notârunt: quam idem author in *Scholio Dissert.* 14. secundis curis tractans, ait, ab Ecclesia filiorum suorum disputationi permissam: ubi varios adducit tum ex antiquis, tum ex recentioribus scriptores secum sentientes.

Cletus sub Domitiano ob confessionem Christi Martyr occubuit Ao. 80. 26. Apr., conspultus suis praedecessoribus. Sedit annis 12, mens. 7.

Litteris Pontificiis coepisse à Cleto praefigi: *Salutem & Apostolicam benedictionem*: ex Martino Polono passim refertur, absque ullius quidem scriptoris veteris testimonio, aut Litterarum ab eo sic scriptarum vestigio. Et licèt hoc ipsum in Breviario, jussu Pii V. edito, legatur; eruditiores tamen Critici existimant non ante sæculum VII. hanc formulam à Pontificibus usurpatam. Certe eruditissimus Mabillonius *Lib. de Re Diplom.*, quod opus vocari potest Rei Litterariæ Miraculum, profert Joannis V. & Sergii I. Pontificum Romanorum authenticas minimeque suspectas epistolas, in quibus hæc formula legitur. Vetusiores à nemine productas testantur Bolandi continuatores in *Propyl. ad Oct. Maji*. Ubi Leonem IV. primum fuisse dicunt, qui hunc morem stabiliter assumpserit, quod alii Gregorio VII. attribuunt.

Neque majorem probabilitatem induit, quod Cletus (alii de Clemente referunt) ad tuendam supremam in Ecclesia dignitatem

ratem peculiare vestes primus gestasse dicatur; quarum nequidem in sacris usum quisquam antiquorum perhibet.

S. CLEMENS.

§. V. Romanus, patre Faustino, nobilitate clarus, ac Imperatoribus sanguine junctus. Putatur primus, qui ex gentibus Evangelio crediderit. Pauli Apostoli in propagatione fidei adjutor, *ad Philipp. 4.* Humilitatis fuit studiosissimus animique submissi; quod in eo potissimum enituit, quando designatus à Petro Successor in Sede Romana, Linum & Cletum sibi præferri voluit.

Non terruit eum certa mortis cruentae expectatio: sed creditae potestatis amplissima majestas. Doctrinam quoque fuit insignis, quae in ejus scriptis resplenduit. Per illam pariter quam verbo tradidit, pietate & religione roboratam plurimum adauxit, tum Romae, tum in exilio fidelium coetum; merito à Clemente Alexandrino nuncupatus Apostolus.

Optatus Milevitanus *Lib. 2.* retexens Pontificum Catalogum, scribit Clementem Lino successisse, idemque successionis ordo tenetur ab Augustino epist. 165., & à plerisque Latinorum, teste S. Hieronymo. Verum S. Irenaeus, qui ante hos, vix uno Saeculo post Clementem floruit, item Epiphanius, Eusebius, quos Hieronymus, & deinceps ferè omnes secuti sunt Chronologi Orientales, numerant Clementem tertium ab Apostolo in cathedra Romana, eademque series ab Ecclesia communiter recepta, fuit observata à Damaso Papa in antiquissimo Canone Missae.

Fuit Clemens sub Trajano in exilium missus & in Chersoneso aërumnis consumptus Aoi 102. 23. Nov. Sedit annis 9, menses 6, dies 6. Corpus Romam translatum opera SS. Cyrilli

fi & Methodij Episcoporum Slavorum sub Adriano II., ut perhibet Anastasius Bibliothecarius, ocularis testis. Ulro se Pontificatu abdicasse illum existimavit Epiph. *in haer. Carpoc.*, eamque abdicationem significari volunt eruditi *in Ep. I. Clem. ad Corinth.*

S. ANACLETUS.

§. VI. Atheniensis, patre Antiocho, à Divo Petro presbyteratus honore decoratus, illiusque in pontificatu dignus habitus successor, ut honoris, sic reli Apostolici extitit aemulus. Constituit, ne Clerici comam vel barbam nutrent, néve Episcopus à paucioribus quàm tribus Episcopis ordinaretur; ut Clerici publicè ad Sacros Ordines adfiscerentur. Memoriam, ut vocabant olim, Petro aedificavit. Sacris Ordinibus, semel mense Decembri habitis, creavit presbyteros quinque, Diaconos tres, Episcopos 6. glorioso martyrio occubuit Ao. 111. 13. Jul., sub Trajano juxta S. Petrum Sepultus. Sedit annis 9. m. 3. d. 10.

S. EVARISTUS.

§. VII. Graecus, patre Juda Bethleemico Judaco, vir integerrimus, qui primus divisit presbyteris in Urbe titulos, quos nunc tenent S. R. E. Cardinales. Septem Diaconos adesse voluit praedicanti Episcopo, ne quid devium spargeretur. Ordinationes ternas habuit, quibus creavit mense Decembri presbyteros 6, Diaconos 2., Episcopos 5. Sub Hadriano Imp. martyrio coronatus A. 121. 26. Oct. Sedit 9. m., 3. d. appositus Patribus suis.

S. ALEXANDER.

§. VIII. Romanus, patre Alexandro, juvenis quidem aetate, moribus senex, sancti praedecessoris premens vestigia, cujus vicarius refertur in Catalogo Rom. Pontif. Insignia verae Christianae pietatis opera exercuit, ac indefessè Evangelium praedicans plurimos paganos, inter quos aliqui Senatorii Ordinis, ad fidem convertit. Mense Decembri habuit Ordinationes tres, creavitque Episcopos quinque, totidémque presbyteros, Diaconos tres. Martyrium perpeffus Ao. 122. 3. Maji, viâ Numentanâ septimo ab Urbe Lapide, ibidem conditur. Sedit annis 10., m. 5., d. 20.

S. SIXTUS.

§. IX. Romanus, patre Pastore, Vicarius sui praedecessoris, ut & de quibusdam aliis subsequenter perhibet citatus Catalogus. In magna persecutionum procella Christianos verbo & exemplo potens constantes redditit. Habuit tres ordinationes mense decembri, quando creavit Episcopos 4. Presbyteros 11, Diaconos 11. Reddidit sanguine fidei suae testimonium, A. 142. in Apr., sepultus in Vaticano. Sedit ann. 9., m. 11.

S. TELESOPHORUS.

§. X. Graecus, anachoreta. Anachoretæ nomen Platina tribuit patri. Posthabita prioris vitae solitariae tranquillitate, de salute sibi concreditarum animarum paternè sollicitus, divini verbi semina pluribus in locis jecit; ab antiquis scriptoribus meritò celebratus. Jejunium quadragesimale constituit observandum. In Sacrificio Missæ Anglicum Hymnum jussit decantari. In Natali Christi tres missas celebrari permisit, quarum una in nocte, altera circa aurorum, tertia ipso die dicatur; cum omni reliquo tempo-

tempore ante horam tertiam, quæ nobis nona matutina est, ad tempus crucifixionis Christi recolendum, celebrare interdictum esset, inquit Platina. De hac tamen sanctione variè differunt eruditi, & Decretum Telesphori extare negant. Ante tempora hujus Pontificis pervigiliis Paschalibus sacrificium noctu consuevisse Christianos peragere, multis liquet exemplis.

Habuit Telesphorus ordinationes quatuor mense Decembri, quibus creavit Episcopos 13., presbyteros 15, Diaconos 8. Doctrinam suo sanguine consignavit, sepultus in Vaticano Ao. 154. 5. Jan. Sedit a. 11., m. 9., d. 21. Irenæus hunc primum post B. Petrum vocat martyrem. Omnes à B. Petro usque ad Telesphorum martyrio defunctos esse, Damasus affirmat, cui historica traditio consonat.

S. H Y G I N U S.

§. XI. Atheniensis, Philosophus, plenus operibus bonis, Domini gregis providus extitit Pastor & Rector, infantemque scientiam ædificante temperavit charitate, quâ pauperibus & malè habentibus semper succurrit. Ejus nomine elegantissima de SS. Trinitate circumfertur epistola. Præter alia constituit dedicationem templorum, Clerumque in ordines distinguit. Cursum suum martyrio consummavit, Ao. 158., 11. Jan. postquam habuisset mense decembri ordinationes tres, creâsetque Episcopos 6, presbyteros 15, Diaconos 5. Cathedram tenuit annis 4, m. 3., d. 4. sepultus in Vaticano.

S. P I U S.

§. XII. Aquileiensis, patre Ruffino, fratrem habuit PASTOREM. Rigidus fuit errorum etiam fortuitorum in Sacrificio censor. Rogatu S. Praxedis virginis Thermas Novati dedicavit,
fon-

fontemque baptismi inibi consecravit. In Ordinationibus suis mensē ultimo anni habitis quinque creavit Episcopos 10, presbyteros 19, Diaconos 29. Sedit annis 9., m. 5., d. 27. Martyr A. 167., 11. Jul. in Vaticano sepultus. Optatus Milevitanus, S. Augustinus &c. Hygini Successorem recensent Anicetum; verūm iis praeferenda est autoritas coeva Hegeſippi apud Euseb. *H. E. Lib. 4. cap. 21, Irenaei Lib. 3. cap. 2. & 4.*, sicut & Tertulliani, Eusebii.

S. ANICETUS.

§. XIII. Syrus, patre Johanne de vico Amisa, prudentiae & discretionis Laude clarus, qui ritus cujusdam in Ecclesia uniformem observantiam posthabuit unioni animorum. Varia quoque constituit pro uniformitate conservanda. Creavit quinque Ordinationibus consueto mensē Episcopos 9, presbyteros 17, Diaconos 4. Gessit Pontificatum a. 7., m. 8, d. 24. Martyr Domino consecratus, sepelitur via Appia in eo arena-rio, quod postea cimiterium Calixti dictum fuit, Ao. 175. 17. April.

S. SOTER.

§. XI V. Campanus, patre Concordio, in specula collocatus exi-
tit vigilantissimus Ecclesiae Custos. Constituit, ne
monialis pallam contingeret, neve thus in acerram poneret, dum
sacrificia peragerentur: & alia quaedam valde salubria. Quin-
quies ordinavit mensēque Decembri creavit Episcopos 11., pres-
byteros 28, Diaconos 9. Clavum tenuit a. 3., m. 11, d. 10.,
Ao. 179., 22. Ap. Martyr sepultus apud praedeceſſorem. Ejus
corpus postea à Sergio II. translatum ad Ecclesiam SS. Sylvestri
& Martini in montibus vetustis.

S. E.

S. ELEUTHERIUS.

§. XV. Graecus ex oppido Nicopolis, patre Abundio Ethnicae superstitionis egregius debellator, statuitque, ne quis gradu suo propter infamiam dejiceretur nisi manifeste convictus. Habuit ordinationes ternas in Decembri, & creavit Episcopos 15, presbyteros 11, Diaconos 7. Martyrio gloriosus occubuisse Ao. 194, 26. May. putatur: Sed verisimilius est, quod primus sicca morte coelum adierit; vixit siquidem Romae tempora tranquilla, quando multi ex Romana nobilitate jam Christo credidissent. In Martyrologio Romano Martyribus adnumeratur, qui insuper SS. Damianum & Fugatium in Britanniam miserit, à quibus Lucius Rex unà cum uxore, familia multisque aliis sit baptizatus.

Sedit Eleutherius annis 15., m. 3., sepultus in Vaticano, translatus viâ Salariâ.

S. VICTOR.

§. XVI. Afer, Patre Felice, traditionum paternarum aemulator acerrimus. Fuit hic Sanctissimus Pontifex olim ductus, quasi docuisset Christum purum hominem: sed ab Eusebio *H. E. Lib. 5. cap. 25.* vindicatus; quandoquidem Theodotum huius Blasphemiae authorem Victor excommunicavit. Tantùm abest, ut cum Artemone senserit, quod is falsò jactavit. Asiaticis Pascha cum Judaeis Luna 14. celebrantibus fortiter restitit, & die dominicâ celebrandum duxit. Ordinationes consueto tempore habuit, quibus ab eo creati presbyteri 12, Diaconi 7, Episcopi 9. Pretiosam animam sanguine lotam Christo obtulit, cum sedisset an. 10., m. 1., d. 28, sepultus in Vaticano.

S. ZEPHERINUS.

§. XVII. **R**omanus, patre Abundantio, vitæ Sanctimonia doctrinaeque praestantia aequè ac zelo pro decore domûs Dei conspicuus. Hunc Tertullianus in Montani jam haeresin lapsus consuetâ hæreticorum fraude, qui approbationes Rom. Pontificum amant ad sui patrocinium confingere, laudat tanquam suae sententiae approbatorèm. Habuit ordinationes quatuor statuto tempore, creavitque Episcopos 13, presbyteros 14, Diaconos 7. In Martyrologio recensetur Martyr: quamquam de eo, sicut & de Anacleto & Eleutherio dubitationi locus sit. Meminit Onuphrius Panvinius cujusdam MS. Bibliotheca Vaticanae ante 600. annos in membrana exarati, in quo omnes Pontifices usque ad Sylvestrum II. ab accuratissimo scriptore referuntur, in quo hi & alii quidam subsequentes apertè & clarè Confessores, reliqui Martyres appellantur. Platina martyrio obiisse non refert. Cranzius in *Metrop.* Sanguine non fuso observat mortuum. Cum verò Tertulliani aevo, non iis tantùm, qui mortem, sed & qui tormentum aliquod Christi causâ subiissent, tribui solebat Martyris elogium, fortè ideo Zepherino Martyris titulus obvenit. Sedit annis 18., d. 18, sepultus A. 221. 26. Aug. in Caemiterio via Appia.

S. CALIXTUS.

§. XVIII. **R**omanus, ex regione Ravennatum, patre Domitio, à Praedeceffore in Carcere ordinatus fuit. Constituit, ut jejunia quatuor temporum servarentur triduo: plurimos è praecipua nobilitate Ecclesiae aggregavit. In puteum missus à furente plebe fame & inedia necatus fuit A. 226. 14. Octob., dum habuisset ordinationes consuetas quinquies, creassetque Episcopos 7, presbyteros 15, Diaconos 4. Sedit annis. 5. 1.

m. 1. 1

m. r., d. 12. Sepultus via Aurelia in cimiterio Calepodii tertio
b Urbe milliario.

S. URBANUS.

§. XIX. Romanus, patre Pontiano, praedecessoribus suis pluri-
ma obsequia pro fide & religione praestitit, multos
sanctitate & doctrinae exemplo ad veram fidem perduxit. Ali-
menta clericis ex communibus praediis distribuit. Habuit Or-
dinationes quinque mense Decembri & creavit Episcopos 7,
presbyteros 18, Diaconos 6. Martyrio coronatus sepelitur à
Beato Tiburtio via Appia in coemeterio praetextati, fuitque po-
stea in oppositam Urbis partem translatus. Sedit. a. 6. m. 7.
d. 4.

S. PONTIANUS.

§. XX. Romanus, patre Calpurnio, Orthodoxae Religionis vin-
dex acerrimus, sollicitatione Gentilium sacrificulo-
rum pro fide exul in Sardinia Insula moratus fuit, ibidem 237,
30. Oct. fustibus mactatus obdormivit, cum habuisset Ordi-
nationes binas anni mense ultimo & creasset Episcopos 6., presby-
teros 5, Diaconos 5. Corpus Fabianus Pontifex maximus ad-
duxit navigio Romam, & sepelivit in coemeterio Calixti viâ
Appiâ.

Inter Pontianum & Anterum aliqui locant Cyriacum quen-
dam natione Britannum, quod se evincere purant ex revelati-
onibus Beatae Elisabethae Schonaugiensis. Ejus quippe aetate
Ao. 1156. legitur Coloniae Agripinae repertus Sarcophagus in
Loco martyrii S. Ursulae & Sociarum cum inscriptione: *Cyria-
cus Papa Romanus, Martyr.* Consultam verò Elisabetham respon-
disse ferunt, quod sibi divinitus fuerit revelatum, Cyriacum
illum

illum Pontiani fuisse successorem, qui sedisset a. 1, m. 10, Anterumque in locum suum ordinasset, quando sedem relinquens cum virginibus illis discessisset. Quia verò invito Clero id fecisset, nomen suum è Pontificum catalogo erasum fuit. Haec etiam referunt scriptores 12, & 13. Saeculi. Legitur quoque de Cyriaco *in Glossa Ordinaria in 6. Decret. L. 1. tit. 7.* quod Cardinales sibi persuaserint, quòd non ob devotionem, sed propter oblectamenta virginum Papatum reliquerit.

Talia, cum jam inde ab Anno 1330 (inquit Papeprochius *in Propyl. Dissert. 5.*) in omnibus studiorum Universitatibus praelegerent Magistri, audirent discipuli, inter certissima juris Canonici Decreta; quid attinet nominare celebres omnis professionis conditionisque scriptores, cum colligendis undique Sanctorum historiis multa opera coepit impendi, fecernendis verò perquam exigua. Certum istud, ut Glossator appellat, exemplum in cunctanter protulerunt, laudaveruntque. Et quoniam partitis quaquaversum Ursularum Virginum reliquiis longè latèquè propagatus etiam fuerat earum cultus, simul cum earundem Legendà Ecclesiasticis Legendariis insertà, postquam his propter prolixitatem sepositis successerunt, quae appellantur Breviaria, antiquiora hujus generis pleraque nihil quidem habent de Cyriaco: quia veteres Legendae priorem duntaxat particulam exhibent, quantum uni tribusve Lectionibus satis erat. Ubi verò solemnior cultus vel plures, vel prolixiores lectiones adhibendas suasit; etiam de illo referunt praecitata. Sic Romanum Breviarium Ao. 1522. excusum Venetiis cum totis novem de ipsa Passione Lectionibus ac reliquo officio proprio in earundem Lectione 6. Narrato Romam Virginum appulsu dicit, quod ad earum adventum Cyriacus valde laetatus, cum ipse esset de Britannia oriundus, eas cum summo honore suscepit cum omni Clero & populo. Angelus autem Domini apparuit Papae in ipsa nocte, monens, ut cum eis iret & palmam perciperet martyrii.

rii. Quod apud se celans coram omnibus Cardinalibus cessit, licet reclamantibus & dicentibus, non decere, Papam post quasdam mulierculas abire &c.

Verum nunc propemodum omnes hanc narratiunculam, nonnisi nongentis pluribusque annis post aetatem S. Pontiani confictam rejiciunt. De libris revelationum S. Elisabethae varia sunt eruditorum Critiria, quorum aliqui ut mera figmenta eas absolute rejiciunt: quidam tanquam fucis illitas non audent absque discrimine cuncta, ut à Deo immissa & non à libera mente conscripta admittere. Solet quidem Deus ad arcana quaedam pandenda varias dare, aperireque significationum vias: at in iis non semper tanquam insignitae notae apparent veritatis. Atque in hac ipsa scientia tam remotae abstrusaeque vetustatis, quam de Virginibus hausit Elisabetha, partim à libera mente fluxisse, partim ejus significationem supernè datam existimari potest, ut in praesentia, flagitantibus etiam, ut fit, curiosè multis, haud plus perceperit, quam quantum nosse iis expedire Divino Numini placuerit. Certe accurati critirii historicus haud opinatur se constringi, ad habendum illud tanquam revera gestum, quidquid uni alterivè revelatum vulgo praetenditur: gnarus illius quod S. Augustinus *Lib. de verit. Eccles. cap. 29.* scribit: Neque enim verum ideo, quia ille Frater noster, aut illa Soror nostra tale visum vigilans vidit; aut tale visum dormiens somniavit. Nec quorundam juniorum simplici testimonio prudens ducitur: sed synchronorum, supparitumve scriptorum assertione, aut Ecclesiasticae traditionis consensu constringitur. Glossa Joannis Andreae è Corpore Juris Canonici correcti meritò erasa fuit. In revisis Breviariis tota S. Ursulae historia omissa fuit.

S. ANTHERUS.

§. XXI. **G**raecus, patre Romulo, iussit conscribi martyrum passiones; quae utinam diligentius scriptae fuissent, optat cum multis Cranzius. Naturali morte obiisse A. 237, 3. Jan. indicatur in Catalogo. Martyr creditur. Sedit m. I.

S. FABIANUS.

§. XXII. **R**omanus, patre Fabio. Dum Pontifex crearetur, columba, ut creditum est, super caput ejus volans, indicavit à Deo assumptum, ut Ecclesiae suae praeesset. Regiones divisit Diaconis, & multas fabricas per caemiteria fieri iussit. Constituit 7. Subdiaconos, qui Notariis imminerent, ut gesta Martyrum fideliter colligerentur. Ordinationes habuit mense Decembri quinque & in iis creavit Episcopos 14, presbyteros 22, Diaconos 7. Apud Jordanem pro defensione fidei occisus, A. 253., 20. Jan. sepultus in coemiterio Calixti. Sedit annis 14., m. II., d. 10.

S. CORNELIUS.

§. XXIII. **R**omanus, patre Castino. Corpora SS. Petri & Pauli ad loca tutiora transferri fecit. Ob schisma & persecutiones nullas Ordinationes habuit. Martyrii quoque laurea, domini dignatione honoratus, ut S. Cyprianus *Epist.* 68., de illo scribit; Quo mortis genere, non constat. Nam refertur à quibusdam Centum cellis, ubi relegatus fuerat, Romam perductus ante templum Martis plumbatis & fustibus caesus, & demum obruncatus. Alii contra verius putant, quod postquam diu Romae in carcere fuisset, inde Centum cellas, nunc Cincellas, oppidum in Tuscia, fuerit relegatus, ubi mortem acrumnis in carcere Romano toleratis, accedente gravitate aeris

ris

ris verifimiliter acceleratam obierit A. 255., 5. Aug.; Cujus corpus fortè 15. Septembris fuit Romæ depositum, quod aliàs Lucina clam in arenario praedii sui, haud longè á coemiterio Calixti, sepelierat. Sedit a. 1., m. 4., d. 15.

S. LUCIUS.

§. XXIV. Romanus, patre Porphyrio, verbo & exemplo omnibus praelucere studuit. In exilio aliquamdiu fuit, & postea, Deo disponente, reversus, gregem Dominicum sedulò pavit. Clericos praesertim ab omni specie mali abstinere voluit. Unde hoc fertur illius Decretum: *Si quis Deo militans ad foeminae tabernaculum solus accesserit, deponitor: Foemina verò á templi Limitibus arcetor.* Ordinationes duas juxta ritum praedecessorum habuit, creando Episcopos 6, presbyteros uti & Diaconos 4. Martyrium perpeffus sub Valeriano Imp., A. 257., 4. mart., quod miratur Baronius. Sedit a. 1., m. 4., d. 14. Sepultus in Coemiterio Calixti.

S. STEPHANUS.

§. XXV. Romanus, patre Julio, vir per omnia rectus & intrepidus, multos ad fidem perduxit. Anabaptismum, quia ab haereticis prolatum prohibuit. Falsum, quod omnium haereticorum baptismum approbaverit. Constituit, ut sacrarum vestium usus esset solùm in divinis mysteriis. Constituto tempore habuit Ordinationes duas, in quibus creavit Episcopos 3, presbyteros 6, Diaconos 5. Dignus, qui inter sacrificandum A. 260. 2. Aug. hostia Deo immolaretur & coronam, quam nomine praeferebat, reciperet immarcessibilem. Sedit a. 3., m. 3., d. 20. Sepultus fuit in coemiterio Calixti, á Paulo I. postea in Ecclesiam SS. Stephani & Sylvestri translatus. Anno autem 1160. Trantum Apuliae Urbem, per quendam monachum

chum Benedictinum clam transportatus, à Franciscanis deinde istius monasterii incolis repertus, ante annos centum circiter elevatus. Demum Anno 1682. jussu magni Ducis Florentiae Pisas translatus fuit.

S. SIXTUS II.

§.XXVI. Atheniensis, ex Philosopho Christianus, constantissimus & prophetiae dono clarus. Ordinationibus binis creavit Episcopos 2, presbyteros 4, Diaconos 7. Accusatus quod Christum contra Principum edicta praedicaret, & Marti sacrificare renueret, in ipso fano truncatur cum 6. Diaconis, triduo ante S. Laurentium. Sedit menses 11, d. 13. praedecessoribus consepultus.

S. DIONYSIVS.

§.XXVII. Cujus genus patriaque nescitur. Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech, ex monacho Pontifex, haereticorum insectator, presbyteris Ecclesias & coemiteria in urbe Roma statim divisit. Parochias & Dioeceses constituisse refertur, non tamen parochos primò instituit, quos jure divino institutos esse certum est. Ordinationes duas stato mense habuit, & creavit Episcopos 7, presbyteros 12, Diaconos 6. Quo mortis genere A. 273., 26. Dec. obierit, passim non refertur. Martyr tamen plerumque nuncupatur, sepultus in coemiterio Calixti. Sedit annis 11, mens. 3., d. 14.

S. FELIX.

§.XXVIII. Romanus, patre Constantio. Statuit, ut quot annis Martyrum festa celebrarentur & in honorem eorum sacrificia fierent. Mense Decembri binis Ordinationibus crea-

creavit Episcopos 5, presbyteros 9, Diaconos 5. Hostia Christi cruenta effectus A. 275., 30. May., sepelitur in Basilica à se condita. Sedit a. 2., m. 5.

S. EUTYCHIANUS.

§. XXIX. Tuscus ex civitate Lunensi, *aliis Lucensi*, (eo quod Luna non in Tuscia, sed Liguria sita sit) Patre Marino. Vir religiosissimus, qui 300. Martyres sua manu sepelivit. Binis Ordinationibus solitis creavit Episcopos 9, presbyteros 14, Diaconos 5, Martyr & ipse A. 283, 18. Dec. Sartzanae, quae nunc est Cathedralis, post Lunam poenitus everfam corpus translatum colitur. Sedit ann. 8., m. 6.

S. CAJUS.

§. XXX. Dalmata, patre Cajo ex genere Diocletiani postea Imperatoris, pietate insignis ac praedeccessoris sui in honorando martyres premens vestigia, milites quoque Tribaecos ex Oriente accersitos cum Duce suo Mauritio Romae baptizavit. Ordinationes quatuor habuit, creans Episcopos 5., presbyt. 25., Diac. 8. Obyt in Cryptis latitans; alii inde ereptum A. 296.. 3. Maji trucidatum notant. Sepelitur in coemiterio Calixti, postquam sedisset a. 12., m. 4., d. 5.

S. MARCELLINUS.

§. XXXI. Romanus, patre Projecto, quem nonnulli maxime Graeci post Eusebium confundunt cum Marcello; quos S. Hieronymus, qui in Palaestina scripsit, fuit secutus. De ejus lapsu pluribus olim saeculis credito actum est in *Controversiis Ecclesiastico Historicis*. Habuit Ordinationes duas solito tempore, creando Episcopos 5. presbyteros 4., Diaconos

conos 2. Cum Diocletianum in faciem argueret, pro Christo
 mactatus occubuit A. 304, 26. Ap. Ejus corpus à Marcello
 presbytero clam sublatum sepultum fuit viâ Salariâ in coemite-
 rio Priscillae. Sedit a. 7., m. 11., d. 23.

S. MARCELLUS.

§. XXXII. Romanus, patre Benedicto. Orationibus & jejniis
 usque ad extremum diem deditus Ecclesiae curam
 gessit in mediis persecutionum procellis. Ordinationibus qua-
 tuor mense consueto creavit Episcopos 21., presbyteros 25, Dia-
 conos 2. Comprehensus, in catibulum missus, poedore loci ae-
 rumnisque confectus moritur A. 309, sepultus in coemiterio
 Priscillae. Sedit a. 5., m. 2., d. 25.

S. EUSEBIUS.

§. XXXIII. Graecus, patre Medico, plurimos haereticos ad
 gremium Ecclesiae revertentes benignè suscepit.
 Nonnulla alia in sacris & judiciis observanda decrevit. Tribus
 vicibus ordines contulit mense anni ultimo, creavitque Episco-
 pos 14., presbyteros 13., Diaconos 3. Romae in pace quievit
 A. 311., 26. Sept. Suis appositus patribus in coemiterio Calix-
 ti viâ Appiâ. Sedit annis 2., m. 2., d. 7.

S. MELCHIADES.

§. XXXIV. Afer. Patris nomen ignoratur. Virum optimum,
 filium Christianae pacis & patrem Christianae ple-
 bis illum vocat S. Augustinus *epist.* 162. Eundem Constantinus
 in honore & amore habuit. Sub hujus Pontificatu Imperatorem
 illum fuisse Christianum refert Platina, & assentitur Cranzius,
 simulac S. Crucem inventam, Judam Crucis inventorem bapti-
 zatum,

zatum; quae quidem in epistola Pontifici adscripta leguntur: sed reponi debet inter putridas Isidori merces. Ordinavit semel Episcopos 11., presbyteros 4., Diaconos tres. Quia multa perpeffus, martyr reputatus, morte naturali obiit A. 313., 10. Dec. Sedit a. 2., m. 2., d. 7.

S. SYLVESTER.

§. XXXV. Romanus, patre Ruffino. Justitiae tenax, Clericos à Laicorum judiciis vindicavit. Egenos benignè fovit. Zelum Domûs Dei Zelatus quam plurima praeclara sancivit. De baptifmo per eum Constantino Romae collato actum in *Controversiis Eccles. Histor.* De orbe Christiano optimè meritus, dum sex ordinationibus habitis creâffet episcopos 65., presbyteros 42., Diaconos 36., placidè obdormivit in Domino A. 335., 31. Decembr., in coemiterio Priscillae sepultus. Sedit annis 21., m. 10., d. 1.

S. MARCUS.

§. XXXVI. Romanus, patre Prisco, varias construxit Ecclesias. Ostiensem Episcopum Pontificis inauguratorem Pallio donâsse fertur. Ordinavit mense Decembri Episcopos 9, presbyteros 8, Diaconos 2. Vita ejus inclyta fortita finem sanctum A. 336., 7. Oct. Sepultus in caemiterio Balbinae à se aedificato. Sedit. m. 8, d. 22.

S. JULIUS.

§. XXXVII. Romanus, patre Rustico. Roboris invicti, & in peregrinos admodum hospitalis, multas basilicas praeter tria coemiteria construi fecit. Arianorum tote ferè orbe tumultuantium confregit superbiam, à Constantio in exilium

lium missus, post decem mensium spatium reversus fuit. Mense Decembri tres Ordinationes habuit creavitque Episcopos 8, presbyteros 18, Diaconos --. Constituit salubriter multa, prohibuit varia, mortemque nactus quietam A. 352. 12. Ap., sepultus in Calopodii coemiterio á se constructo. Sedit a. 15, m. 5, d. 17.

S. LIBERIUS.

§. XXXVIII. Romanus, patre Augusto. Multa ab Arianis perpetratus; quod videretur remissius sentire. An autem planè deflexerit, controversatur; de quo actum in *Controv. Eccles. Hist.* Certum est, quòd fedi suae restitutus Strenuum Catholicae Doctrinae se exhibuerit defensore. Atque hinc á diversis Patribus mirè laudatus & Sanctitatis titulo decoratus, obijt A. 367, 13. Sept. in Domino, seditque a. 13, m. 4, d. 2. Alii aliter computant.

S. FELIX II.

§. XXXIX. Romanus, archidiaconus, pulso Liberio ab Arianis praeficitur, sperantibus, fore, ut cum illis sentiret. Ast cum vir optimus haeresi fortiter resisteret, restituto Liberio pulsus, haud multo post devixit, quem aliqui inter Martyres referunt. Interim de illius Pontificatu, sanctitate & martyrio non eadem omnium est sententia. De quo *in cit. Controvers.* Obiisse scribitur A. 365, 29. Julij.

S. DAMASUS.

§. XL. Hispanus, *aliis* Lusitanus, patre Antonio, anno aetatis 62. Liberio in Pontificatu successit, vir vitae integerrimae miraculis condecoratae, traductus tamen á falsis fratribus,

tribus, & maledicorum libellis diffamatus, probatâ morum innocentia vitam irreprehensibilem servavit. Bonitati disciplinam & scientiam adjunxit: quippe Graecae pariter & Latinae linguae egregiè peritus, in metro & prosa excellens, saluberrima in Ecclesia condidit decreta, psalmodiam ad meliorem methodum redegit, Hieronymi operâ novum Testamentum emendatius promulgavit, haereses profligavit, Basilicas aedificavit condecoravitque, & plenus meritis in Domino obdormivit A. 384, 11. Dec. Sedit a. 17, m. 2, d. 27. Sepultus viâ ardeatina, nec multò post translatus ad Ecclesiam S. Laurentii, in Damasco abinde nuncupatam.

SIRICIUS.

§. XLI. Romanus, patre Tiburtio. Manichaeos haereticos Urbe expulit. Poenitentes non nisi rigidâ peractâ poenitentia recipi voluit. Jovinianum Haeresiarcham damnavit. Censuit ordines sacros per interstitia temporis conferendos. Ab Origenistis deceptus cum illis imprudenter communicavit, aegrè id ferente S. Hieronymo. Habuit Ordinationes quinque, in quibus creavit Episcopos 32, presbyteros 26, Diaconos 16. Vita excessit A. 398, 22. Feb., postquam sedisset annis 13, m. 1, d. 14. Sepultus in coemiterio Priscillae.

Syracium sacerdotum & Diaconorum continentiam lege lata sancivisse, cum antea coelibatus nullâ esset Ecclesiasticâ lege, sed sola consuetudine sacris Ordinibus annexus, scribit Natalis Alexander. *H. E. saeculo 4, cap. 2.* A Cenforibus Romanis notatus, in scholio respondet, nullam legem ante Siricium latam de Clericorum majorum coelibatu, quae generalis esset, ad universam pertinens Ecclesiam. Nunquam arbitraria fuit in Romano Patriarchatu amplissimo continentia sacerdotalis, ut patet *ex epist. Siricii.*

Hujus Pontificis sanctimoniam nequaquam praedecessoribus aequiparandam censet Baronius, & multa in ipso non laudanda fugessit: quae tamen Florentinius *ad Diem 22. Februarii* accuratè discutit, ut Syricii sanctitatem vendicet, adducitque epistolam S. Ambrosii *Lib. 10.*, ad Siricium exaratam, in qua damnationem Joviniani commendans, *Recognovimus*, inquit, *Sanctitatis tuae boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi januam serves, & pro sollicitudine Christi ovile custodias, dignum, quem oves Domini audiant & sequantur.* Perhibent antiquorum quorundam scripta, quod Syricius ob, sive veram, sive falsam cum Origenistis communicationem plurimorum dieteris sese exposuerit. SS. Papa Benedictus XIV. in litteris Apostolicis novae Martyrologii Rom. editioni praefixis S. Syricii Sanctitatem uberrimè vindicavit, ejusque nomen Sacris fastis inferi jussit. Vide Bullam à n. 49. usque ad 94.

Putida calumnia est Calvinii, quasi Syricius conjugium vocaverit pollutionem *in epist. ad Hispanos*, in qua loquitur de illicita concubinariorum, post poenitentiam conjunctione.

S. ANASTASIUS.

§. XLII. Romanus, patre Maximo. Vir eximiae sanctitatis, de quo testatur S. Hieronymus *epist. ad Demetr.* quod fuerit ditissimae paupertatis & Apostolicae Sollicitudinis, quem diu Roma habere non meruit &c. Africanæ Ecclesiae indigenti sacris ministris providit. De reducendis ad Ecclesiam Donatistis multùm curavit. Constituit, ut presbyteri inclinati, Laici erecti starent ad lectionem Evangelii: Vetuit peregrinos absque Episcoporum testimonialibus, mancos, morbosos quoscunque ad sacra ministeria recipi. Binis ordinationibus creavit Episcopos 10, presbyteros 8, Diaconos 5., mortuus in senectute bona A. 402, 27. Apr. Sepultus fuit in suo coemiterio ad
Ursum

Ursum pileatum. Postea à Sergio II. translatus ad templum
SS. Sylvestri & Martini. Sedit annis 4, m. 1, d. 13.

S. INNOCENTIUS.

§. XLIII. **A**lbanus, patre Innocentio. Ecclesiasticae Disciplinae
conservator zelosissimus; quod testantur ejus Epi-
stolae Decretales ad Macedoniae Episcopos, ad Exuperium To-
losanum &c. Multa insuper ad Ecclesiae dignitatem cohone-
standam constituit. Sabbathinum jejunium indixit, Novatianos
& Cathaphrygas urbe expulit. Pelagium & Caelestium damna-
vit. S. Chrysostronum exulem adjuvit. Ordinationes quatuor
habuit, creavitque Episcopos 4, presbyteros 30, Diaconos 12.
Obiit vir Deo plenus A. 417. in Martio, ut *ex epistola Paschasii
Lilebytani* asseritur (licet alii in Julio mortuum velint) conse-
pultus praedecessori pariterque cum eo translatus. Sedit an. 15,
m. 1, d. 10.

Huic Pontifici Magdeburgenses Centuriatores affingunt,
quod decreverit ad poenitentiam non debere recipi puellas, quo
ad usque earum viveret amasius; quod tamen intelligendum,
si ab eo nolint separari. Item quod Arianorum baptismus sit
validus & tamen non conferat Spiritum Sanctum: quod intelli-
gendum, si ab adulto recipiatur. Denique affingunt illi, quasi
censuerit Christianos teneri Legibus Judaicis, eo quod sacerdos
non possit ducere viduam in uxorem: Cum tamen Innocentius
solum ex congruentia argumentum desumat. Eundem sicut
Baronius à calumniis Rufini Ethnici scriptoris, ita Bellarminus
à Magdeburgensium convitiis defendit.

Quod refertur de Innocentio, quasi Arcadium & Eudoxi-
am excommunicationis fulmine perstrinxisset, Natalis Alexan-
der *Loc. cit.* falsum vult esse, & litteras, quibus hujusmodi
excom-

excommunicationis figmentum superstructum est, perhibet, ab eruditis tanquam fictitias rejici: Quapropter à Censoribus vapulavit.

S. ZOSIMUS.

§. XLIV. **G**raecus, Caesariensis, *aliis* Capadox, patre Abrahamo vel Apronio. Perlata ad se Synodalia Decreta Concilii Carthaginensis, quibus Pelagiana haeresis damnata, confirmavit. Vetuit, ne Clerici publicè biberent, néve tabernas foverent; Ne servi in clerum reciperentur. Cerei paschalis usum majoribus tantùm Ecclesiis permissum, ad Parochias extendit. Ordinavit semel Episcopos 8, presbyteros 10, Diaconos 3, piè defunctus A. 418, 26. Dec., sepelitur via Tiburtina apud S. Laurentium. Sedit a. 1, m. 4, d. 7.

S. BONIFAIUS.

§. XLV. **R**omanus, patre Jucundo, *aliis* Secundo, presbytero, virtute, doctrinâ & rerum peritiâ ad regimen universalis Ecclesiae perquam idoneus. Huic S. Augustinus fuit amicissimus, eique libros 4 contra 2 epistolas Petiliani scriptos, dedicavit. Plurimas epistolas Decretales ad instructionem fidelium, & pro utilitate Ecclesiae exaravit. Ordinationem unicam habuit, creando Episcopos 36, presbyteros 13, Diaconos 3. Factis bonis commendabilis cessit è vita A. 423, 25. Oct. Seditque a. 4, m. 3, d. 21. Sepultus in caemiterio S. Felicitatis.

S. COELESTINUS.

§. XLVI. **R**omanus, seu Campanus, patre Prisco, vitae innocentia, eruditione, ac fidei integritate conspicuus, Nestorianae impietatis profligator acerrimus; quem proinde eâ imbu-

imbutum mentitur Laur. Valla, deceptus nominis similitudine, quod Caelestinus quidam seu Caelestius Pelagii errores propalaverit. Multa in altaris ministerio appofuit. Introitum, Graduale, Responforium adjecit. S. Joannis Chryfoftomi memoriam annuâ celebri- tate re- coli in Ecclefia mandavit. Britanniam, miffô Palladio, à Pelagiana haerefi mundare ftuduit. In coelum migravit A. 432, 6. Apr. poft habitas ordinationes fex, quibus creavit Epifcopos 42, presbyteros 32, Diaconos 12, fepultus in coemiterio Prifcillae. Sedit a. 8, m. 5, d. 3.

S. SIXTUS III.

§. XLVII. Romanus, patre Sixto, prudentia & magnarum rerum gerendarum capacitate in- fignis adeo, ut earum enarratio, cenfente Baronio *in not. Martyrol.* prae- grande volumen requirat. Illo Sedente Basilica B. M. V. ad praefepe fuit aedificata, quam pretiofis donis exornavit, & Valentiniano Imperatori, fuo exemplo, perfuafit, ut Basilicas alias Romanas condecoraret. Ordinavit Epifcopos 52, presbyt. 28, Diaconos 22, Sancteque moritur A. 440. 28. Mart. cum fediffet an. 7, m. 11, fepultus juxta corpus S. Laurentii.

De Sixto refertur, quod à Baffo quodam reus facrilegi ftupri in judicium actus fuerit, atque fuam innocentiam mon- ftraverit in Romana Synodo. Verùm illa fupposititia ab eruditionibus habetur & Acta ftylî barbarie falſaque confignatione Confulatûs falſitatem produunt. Acta quoque de ſynodali accuſatione Polychronii Epifcopi Hieroſolymitani pſeudepigrapha ſunt: quia nullus in Sede Hieroſolymitana illo tempore fuit illius nominis; Licet à Nicolao I. *in epift. ad Michäel. Imp.* & à B. Petro Damiani *in epift. ad Henr. Raven.* laudentur. Obſeſſio Hieroſolymitana hoc tempore nulla fuit.

M

Falfum

Falsum est quod unquam Pelagianus fuerit Sixtus, ut falso putavit Garnerius, scriptor S. J. Ejus quippe fidei integritas satis evincitur in *epist. ad Aurel. Carthag.* & Libri Hypognosticon ei perperam inscribuntur: perperam quoque Pelagiani sunt moliti, virum fortissimum suae impietatis fautorem conciliare, quorum errores perpetuò detestatus fuit.

S. L E O.

§. XLVIII. Tuscus, patre Quintiano, vir incomparabilis eruditione ac sapientiae non minus quam eloquentiae suavitate Magni cognomine celebratissimus. Juribus & praerogativis sedis suae addictissimus, sua tamen potestate moderatè usus: extollebat auctoritatem Pontificiam, sed ad aedificationem, non ad destructionem. Diaconus, ex Gallia redux, Legatus fuit electus. Atiliae & Genèrici ferocitatem vultu & sermone placavit: plurium haeresum monstra admirandâ prorsus prudentiâ compescuit, sic, ut Petro in throno Vicariatûs Christi, Paulo in ambone assimilari possit. Ei in oecumenico Concilio Chalcedonensi Patres aeclamârunt: *Sanctissimus Apostolicus & Oecumenicus Patriarcha per multos annos vivat.* Plurima scripsit stylo terfo & succoso. Ordinavit Episcopos 86, presbyteros 8, Diaconos 31. Laboribus & senio consumptus migravit ad Dominum A. 461, 11. Apr., sepultus in Vaticano apud S. Petrum. Sedit a. 20, m. II.

Errores, qui viro sanctissimo à Magdeburgensibus Centuriatoribus affinguntur, non merentur refutari: Siquidem ejus praeclarissima monumenta abundè testantur, illum à recto tramite nec in minimo quidem defecisse.

Quae circumferuntur de hujus Pontificis peccatis ex indigna manuum impositione; quae narrantur de ejusdem manu abscisâ, ac a B. M. V. restitutâ, fidem non reperiunt.

Quod

Quod Attila inter alloquium Leonis viderit duos viros stri-
ctos gladios tenentes &c. Maimbourg *in Hist. Gallic. Pontif.*
Leonis fabulam dicit, & *in Breviario Parisiensi* jussu Archi-Epis-
copi Harlaei omissum. Silent de eo Jornandes, Marcellinus
Comes, Cassiodorus, Prosper Suidas &c. Nec primus author,
qui putatur Paulus Diaconus, verè id scripsit; & ideo ad famam
recurritur. Neque Leo fuisset miraculum dissimulaturus. De
uno gladium stringente ab Attila viso legitur in Breviario Ro-
mano.

S. HILARIVS.

§. XLIX. Calaritanus, patre Crispiniano, legationibus praecla-
rè obitis illustris, ob inconcussum, quem erga hae-
reticos gessit animum, de Ecclesia bene meritus, ad Apostoli-
cae dignitatis culmen evehctus fuit. Quae ad redarguendos hae-
reticos sancita fuerant, firmiter observavit, animosè defendit; in-
super quae ad optimum Pontificem pertinebant, tum in exstru-
endis ornandisque templis, tum etiam docendo, admonendo,
castigando, pauperibus providendo, executus est. Mortem hi-
laris oppetiit A. 467, 10. Sept., cum ordinasset Episcopos 22,
presbyteros 15, Diaconos 5, sepultus ad S. Laurentium juxta
Corpus S. Sixti. Sedit a. 5, m. 9, d. 28.

S. SIMPLICIVS.

§. L. Tiburtinus, patre Castino, scientiâ & moribus venerabi-
lis, officium boni Pastoris implevit. Constituit, ne
quis invitus crearetur episcopus; quod castissimè nostra servant
tempora: cum multa caeterorum transferint in oblivionem, in-
quit Cranzius *in Metrop.* Cum ambulasset in simplicitate cor-
dis sui, ad beatam vitam transit A. 483, 2. Mart. juxta illud
Prov. 28. *Qui ambulat simpliciter, salvus erit.* Ordinavit pres-
byteros

byteros 57, Diaconos 11, Episcopos 82, sepultus in Basilica S. Petri. Sedit in ejus Cathedra, annis 15, m. 5, d. 10.

S. FELIX III., aliàs II.

§. LI. Romanus, patre Foelice, presbytero. Fuit is quoque ante susceptum presbyteratum matrimonio junctus, & S. Gregorii Magni atavus: id quod perperam de Foelice IV. scripsit Joannes Diaconus, ut temporum series & ipsa evincit profapia. Vir aequi rectique tenax. Zelus Apostolicus passim in eo celebratur, qui Zenonis Imperatoris Enoticon, id est, Unitivum, quasi Catholicae fidei pernitiem rejecit, & sub poenâ anathematis recipi vetuit. Cumque Ordinâisset presbyteros 28, Diaconos 5, Episcopos 31, foeliciter migravit hinc A. 492, 25. Feb. Sedit annis 9, minus 12, diebus, sepultus in Basilica S. Pauli Apostoli.

S. GELASIUS.

§. LII. Afer, patre Valerio, vir regularis, ex Clericis S. Augustini regulam profitentibus creditur ad Pontificatum assumptus. Egregiis gratiae & naturae donis instructus, nihil intermisit, quae optimum Pastorem decerent. Mores & disciplinam Romanae Ecclesiae habebat in promptu. Lateranenses Canonicos instituisse, praefationes, ante Canonem Missae, à se quoque concinnatum, ordinâsse, collectas praescripsisse traditur. SS. Patrum scripta authentica ab apocryphis fecernerè coacto Concilio molitus fuit: optimè de Ecclesia militante meritis migravit ad triumphantem A. 496, 21. Nov., qui duabus ordinationibus creaverat Episcopos 67, presbyteros 32, Diaconos 20. Sedit a. 4, m. 8, d. 10, tumultus in Basilica S. Petri.

ANASTASIUS II.

§. LIII. Romanus, patre Petro, divinâ gratia praeſulgens, pro-
vidus Dominici gregis Ductor, etiam devios in
caulam redigere ſtudit. Frivola ſunt, quae Laurentiani ſchis-
matis aſſectae ad denigrandam ejus famam ſparſerunt, quaſi
Acacium à Praedeceſſoribus damnatum revocare voluiſſet: quod
author Pontificalis nimium credulus perhibuit. Acacius ſiqui-
dem dudum obierat. Fuit quidem familiaris Photino Theſſa-
loniceni Diacono, Acacii quondam diſcipulo; ſed poſt reſipif-
centiam abſoluto. Occaſionem vero maledicentiae arripuerunt,
quod Pontifex pravae communionis reis pacem obtulerit, & ſa-
cramenta per Acacium adminiſtrata rata habere voluerit: hinc
inconſulto clero plus nimium egiſſe viſus fuit. Ordinavit pre-
byteros 12, Episcopos 8, cùmque ſediſſet annis 2, minus 8
diebus, pretioſâ morte vitam finiit A. 498, 19. Nov., tumu-
lùmque accepit in Baſilica S. Petri. Deſenditur a Bellarmino,
& Gratianus *Diſt. XIX.* imperitiae arguitur. Vid. illum *de Rom.*
Pontif. L. 4; cap. 10.

S. SYMMACHUS.

§. LIV. Sardus, patre Fortunato, diſſidentibus Cleri popu-
lique Romani ſtudiis interveniente Theodorici Regis
Gothorum, qui tunc Italiae praeerat, authoritate, factus fuit
indubitatus Pontifex. Officium ſolliciti Paſtoris omnibus nu-
meris abſolvit, erigendo Baſilicas, & noſocomia, redimendo
captivos, revocando exules, adjuvando pauperes. Mortalita-
tem exiit A. 514, 18. Jul. poſtquam praefuiſſet a. 15, m. 6,
d. 25, ſepultus apud S. Petrum.

S. HORMISDAS.

§. LV. Campanus, ex civitate Fruscinone, nunc Traselone, patre Justo, Romanae Ecclesiae Diaconus, commendandus à fidei zelo, munificentia & pietate. Collapsae, in Hispania praesertim Disciplinae Ecclesiasticae reformator sedulus. Ad coelestem vitam abiit A. 523, 6. Aug. sepultus in Basilica Apostolorum Principis. Sedit annis 9, d. 10.

S. JOANNES.

§. LVI. Tuscus (Sinensem quidam dicunt) patre Constantio, presbyter titulo S. Pammachii. A Theodorico Rege pro parte Arianorum coactus Legationem obire ad Justinum Constantinopolitanum regem, redux, licet miraculorum gloria illustris, tanquam re male peractâ in carcerem Ravennae conjectus, ubi pedore, situ, & inedia enecatus, patientiâ immeritae mortis vitae sanctitatem testatus est A. 526, 21. Maj., coliturque martyr ab Ecclesia. Sedit annis 2, m. 9, d. 14, translatus Romam ad Patres suos.

FELIX IV. aliàs III.

§. LVII. Samnita, patre Castorio. Theodorici potius auctoritate, quam suffragiis cleri populique Romani Pontifex constitutus, receptus tamen, vir probatissimus vitâ & moribus, simplicitate, humilitate & beneficentia spectatissimus, ut ejus perhibet Epitaphium. An verò ejus nomen sacris dypticis fuerit insertum, dubitatur. In pace quievit A. 530, 12. Oct. cum sedisset a. 4, m. 2, d. 18. Sepultus ad S. Petrum.

BONIFACIUS II.

§.LVIII. Romanus, Gothus genere, patre Sigibaldo vel Sigivulto, votis quidem minimè concordantibus in Pontificem electus, attamen eius competitoris mortuo, fuit à Rege approbata ejus electio. Cum schisma fortè post mortem suam in eligendo successore suboriturum vellet praecavere, & inflicto Ecclesiasticae libertati in dandis suffragiis vulnus curare, majus effecit; quando coacta Romae synodo poenitendum & sacris Canonibus adversum, pessimo exemplo designando Vigilium, decretum condidit: Ast postea convocata synodo altera rescidit & combussit, quod ambitiosi Vigilii consilio confecerat. Non longè post obiit A. 531, 17. Oct., cum sedisset a. 1, d. 2, sepultus prioribus.

JOANNES II.

§.LIX. Romanus, cognomento Mercurius, patre Projecto, presbyter titulo S. Clementis, Anthemium Ariantum damnavit. Acaemetarum monachorum dogma, negantium, S. Mariam esse Deiparam; asserentium, unum de Trinitate incarnatum, proscripsit. Vitam amisit A. 535, postquam sedisset an. 4. In Basilica S. Petri nactus tumulum, ubi visitur Epitaphium ab Agapeto confectum.

S. AGAPETUS.

§.LX. Romanus, patre Gordiano presbytero, R. E. Archidiaconus. Illum S. Gregorius Magnus Vas Catholicum, Evangelii tubam, justitiae praeconem nominat. In causa Theodati Regis, sibi ad Imperatore Justiniano metuentis, Constantinopolim directus, cuncta composuit; liberum ac intrepidum se contra impia postulata Imperatoris, exilium intermitantis,
lau-

laudabiliter gessit. In deponendo Archi-Episcopo Constantino-
politano, & alium substituendo gloriosè primatum exercuit.
Miraculorum gratiâ fulsit. Publicas Romae scholas, in quibus
scriptura sacra explicaretur, erigere molitus fuit: sed morte praev-
ventus 536, 17. Ap., cum Romam redire medicaretur, patriam
coelestem affectus, cum annum Pontificatus primum nondum
explevisset. Corpus 20. Sept. Romam in plumbeo loculo trans-
latum, in Basilica S. Petri reconditum fuit: quo die Ecclesia La-
tina ejus memoriam recolit.

S. SYLVERIUS.

§. LXI. Campanus, Hormisdæ Papæ ex præcedente legitimo
matrimonio filius, absque legitimâ electione, solâ
Theodati Regis interveniente autoritate Pontifex creatur.
Quamquam Liberatus Diaconus, illius aevi historicus, duntaxat
referat, quosdam presbyteros reluctantes Sylverium nonnisi
post suam ordinationem agnovisse Pontificem. Per eum emp-
tum à Rege Pontificatum, non est veri simile; quin potius cre-
dendum, quod à Rege barbaro promotus sit, metuente, ne a-
lius ab Imperatore offenso constitueretur. Hic super omnes huma-
nos respectus altissimi & constantis animi vir, jam populo Romano
acceptissimus, cum Anthimum haeticum, sedi Constantino-
politanae, ut Theodora Augusta exigebat, restituere nollet,
falso traductus, quasi urbem obsessam Gothis tradere intendis-
set, suasu Vigilii Archidiaconi à Bellifario Principe in monaste-
rium intrusus, deinde in exilium Pontias missus fuit. Inde in
Insulam Palmariam relegatus, ubi adversus Vigilium Romanae
sedis invasorem anathematis tulit sententiam, ideoque arctiori
custodiae traditus, gravibus pressuris toleratis, miraculorum
gloriâ conspicuus, animam Deo redditit A. 540, 20. Jun., mar-
tyr ab Ecclesia cultus. Sedit a. 3, m. 6, d. 10., sepultus ibidem.

VIGI.

VIGILIUS.

§. LXII. Romanus, patre Joanne Consule. Hic jam dudum, violando omnia jura, Pontificatum ambiverat, & exule Sylverio in locum illius intrusus Antipapa fuit: quo jam vitâ functo non quidem se abdicavit, ut Baronius autumat; sed Romanus Clerus, ex necessitate consilium sumens, suis suffragiis Legitimum Pontificem, tum Bellisarii potentiâ adactus, tum schismatis odio & pacis studio eum agnovit. Verùm is, qui malis artibus Pontificatum prendiderat, sese ipsum corrigens, mutatus in virum alium, optimis moribus laudabiliter administravit; Et, qui sub conditione restituendi Anthimium, hæreticum excommunicatum, à Theodora officium illud obtinuerat, gnarus, in malis promissis rescindendam fidem, hoc constanter renuit: quin Constantinopoli ferendo tum in Imperatricem, tum postea in Mennam, Urbis Patriarcham, aliósque hæreticis Eutychianis faventes excommunicationis sententiam, fortissimum sese exhibuit. Chalcedonem abiens, in Basilica S. Euphemie alapis percussus & homicida Sylverii vocatus, patienter sustinuit. Quando pro tribus Capitulis fortiter fuit disceptatum, de scriptis scilicet Theodoret, Ibae & Theodori: inter utrumque diu fluctuans, morem gessit Justiniano, mox suspendens sententiam suam, ac tandem animis in contrarias factiones distractis, renuit arbiter fieri: sed illam voluit Synodali judicio terminari. Coacto conciliabulo interesse recusans, exulare cogitur, ac in carcere dedit prensatos magistratus sacros, nunquam ambitiosis hominibus faustos. Ab exilio demum revocatus, dum Romam proficisci vellet, Syracusis in via calculi doloribus attritus ex hac vita migravit A. 555. Corpus inde delatum Romam viâ Salaria in Ecclesia S. Marcelli reconditum fuit. Sedit annis 15, m. 10. Illum S. Gregorius Magnus commendat & Cassiodorus beatissimum deprædicat.

N

PELA-

PELAGIUS.

§. LXIII. Romanus, patre Vicariano, Archidiaconus à Justiniano Imperatore promotus: & quia ob suspicionem illatae Vigilio necis tres Episcopos consecrantes nancisci non potuit, duo solum in inauguratione adhibiti, adjunctusque presbyter quidam Ostiensis. Ast cum sese coram universo populo, apud S. Petrum Apostolum, tactis sacris Evangeliiis purgasset, & Simoniacos anathemate perculisset, ut verus Pontifex reputatus fuit. Synodum V. ut praedecessor, approbavit, & tria Capitula damnavit: quare in suspicionem haeresis adductus, apud Francos se pariter purgavit. Cum verò totum se dedisset, ut unione Praesulum Ecclesiasticorum commissa sibi sponsa concederetur, vivere desiit A. 559, 2. Mart. Sedit annis 4, m. 10, d. 18. Sepultus apud S. Petrum. Ejus Epitaphium praeclarissima continet elogia: quamquam nullum cultus Ecclesiastici ei aliquando exhibitum sit reperire vestigium.

JOANNES III.

§. LXIV. Romanus, cognomento Catellinus, patre Anastasio, Natalium splendore illustris, restaurando SS. Martyrum coemiteria sedulus fuit. Iratum Narsetem Urbi placitum reddidit. Alia ferè rerum gestarum monumenta, ob barbaricam Longobardorum irruptionem interierunt. Moritur A. 572, 13. Julii, dum sedisset annis 12, d. 16, appositus ad Patres suos.

BENEDICTUS.

§. LXV. Romanus, cognomento Bonofus, patre Bonifacio, quem aliqui è Benedictina familia esse volunt. Ob Barbarorum quaquaversum Italiam depopulantium frequentiam in multis tribulationibus, quas Deus tum ad exercendos justos, cum

tum ad coercendos peccatores populo Christiano immisit, praefuit, paternam curam sibi commissis adhibuit; sic ut sollicitudine & animi doloribus fractus vitam excefferit A. 577, 30. Jul. cum sedisset an. 4, m. 2, d. 25, in secretario S. Petri tumultatus.

PELAGIUS II.

§. LXVI. Romanus, patre Winigildo, in obsidione Urbis inconsulto Imperatore, aut ejus Exarcho suffectus, illius beneplacitum postea obtinuit. Fuit vir misericordiarum, beneficentissimus in pauperes praesertim senes, quos propria domo, conversam in Xenodochium excepit & liberaliter pavit. Divi Laurentii Basilicam erexit, illam S. Petri tabulis argenteis exornavit. Talia pietatis & religionis opera laudabiliter exercuit, donec pestilentiam inguinariam sublatus fuerit A. 590, 8. Feb. Sedem tenuit annis 12, m. 2, d. 27. In Basilica S. Petri sepultus. Eum Benedictini suis annumerant.

S. GREGORIUS.

§. LXVII. Romanus, illustri prosapia ortus, patre Gordiano, matre Sylvia, reluctans ad summum sacerdotii gradum meruit promoveri divinitus, in disciplina Ecclesiastica aequè ac Monastica apprimè exercitatus, plurima monasteria aedificavit. An Ordinis S. Benedicti, an verò S. Equitii alumnus extiterit, disceptatur; De quo videre est in *Controv. Ecclesiastico-Hist.* Virtutis suae ac sapientiae radiis quaquaversum diffusis, Magni nomen affectus fuit: Licet ipse minimus esse voluerit, cum se servum servorum Dei nuncupaverit; quod successores imitati sunt. Unde versus:

Servierant tibi, Roma: diu Domini Dominorum;

Servorum servi nunc tibi sunt Domini.

Haereticos ac Schismaticos vehementer infectatus fuit, Pauperes & miseros adjuvit, suaeque mensae adhibuit. Saluberrimas Constitutiones in Ecclesiam invexit, officium divinum nitidius reddidit, Cantum emendavit. Servatis domi civibus, foris pariter Christianam religionem amplificavit, Anglorum Apostolus dicitur. Visigothos & Longobardos Arianam haeresin abjurare fecit. Tempora & tempora sacris stationibus assignavit. Asperisionem sacrorum cinerum in Capite jejunii quadragesimalis induxit. Primus legitur, qui dispensavit in matrimonio consanguineorum. Admirabilia sunt, quae dixit, fecit, scripsit, infirmam semper valetudine, stomachi doloribus, & curis gravissimis attritus, podagrae doloribus consumptus, A. 604, 12. Mart. migravit ad coelestem tantopere exoptatam vitam, vivus & mortuus miraculis coruscans. Praefuit & profuit universae Ecclesiae annis 13, m. 6, d. 10, in censum Doctorum relatus, sepultus in extrema porticu Basilicae S. Petri, a Gregorio IV. elevatus & in locum nobiliorem intra ipsam Ecclesiam sub altare S. Andreae collocatus. Nunc requiescit in Sacello, quod Paulus V. in illius honorem splendidissimum construi curavit.

SABINIANUS.

§. LXVIII. **T**huscus, de civitate Blera, patre Bono, Romanae Ecclesiae Archidiaconus, suique praedecessoris legatus Cpolit. Carpitur passim, quasi in pauperes avarus, in S. Gregorium iniquus, ejus famae & sanctitati detraxisset, narraturque, illum ideo ter à Sancto praedecessore per noctem apparente increpitum, quartam vice in capite percussum, mox obiisse. Sed haec temere conficta à vaniloquo Sigeberto Gembl. & per Eminentissimum adoptata fabula, nullo antiquitatis monumento suffulta est. Certè Anastasius Bibliothecarius inter alias virtutes commendat Sabinianum; quod, cum esset Romae famae gravis, factam cum Lombardis pace, jussit aperire

re

re horrea Ecclesiae & venundari frumentum populo 13 solidis (in quibusdam exemplaribus 1 Solido) triginta modios tritici: sed quia in nonnullis forte MSS. olim legebatur, Sabinianum pro modio tritici 30. Solidos exegisse, hoc figmento ejus virtutes fuerunt obscuratae. Statuit, ut ignis in Lampadibus ante Altare semper esset: & cum antea ad discernendas horas mundus non nisi clepsydris, seu horologiis sciotericis uteretur, Sabiniani ordinatione aeris campani sonu distingui coeperunt. Vitam cum morte mutavit A. 605, 19. Febr., cum sedisset m. 5, d. 19, sepultus in Basilica S. Petri.

BONIFACIUS III.

§. LXIX. Romanus, patre Johanne Catadioce, R. E. Archidiaconus, S. Gregorii quondam etiam Legatus apud Imperatorem. Solebant autem hoc tempore, ut Baronius observat, Legati potissimum assumi ad Pontificatum, eo quod electio Pontificis dependeret à Beneplacito Imperatoris, proindeque gratiosè sperabantur approbandi. Hunc Bonifacium ab Imperatore Phoca obtinuisse, ut Romanus Episcopus esset Universalis Pontifex, atque adeo primatum Romanae Sedis à Phoca introductum, pervicaciter contendunt Centuriatores Magdeburgenses, nec minù insolenter jactant, qui Romanam Sedem infectantur: quamquam in aprico sit, quod oecumenici primatus Diploma ultro ab Imperatore concessum fuerit; quo divinae ordinationi sententia humanae potestatis accessit, & summam in omnes fideles praefecturam, viva Christi voce Petro Apostolorum Principi contributam, ejusdem successoribus regia auctoritas ratificavit. *Imperator declaravit, quod Christus firmavit,* scribit Cranzius in *Metropol.* Diem extremum obiit, longiore vita dignus Bonifacius, cum sedisset tantum m. 8, d. 23, in Basilica S. Petri sepultus.

S. BONIFACIUS IV.

§. LXX. **M**arfus, patria Valerientis, patre Joanne, Medico, presbyter Romanus, & juxta quorundam opinionem professione monachus, qui, mox ut Cathedram conscendit, propriam domum Deo dicavit, & in monasterium convertit. Item celeberrimum fanum, quod Pantheon dicebatur, Jovi vindici olim dicatum, á Marco Agrippa ter Consule tempore Augusti aedificatum circulariter ad mundi formam, Deo deorum vero Numini consecravit in honorem B. M. V. & omnium SS. Martyrum: quae Ecclesia deinceps ad S. Mariam rotundam fuit nuncupata; quò plurimorum Martyrum reliquias ex coemeteriis, extra Urbem positis, transtulit. Laudatur in epitaphio, quod S. Gregorii Magni monita & exempla vitâ opere ac probis moribus sectatus fuerit. Rebus humanis excessit sancta morte A. 614, 25. May, sedi que ann. 6, m. 7, d. 20. Colitur ab Ecclesia die emortuali, sepultus apud suos praedecessores.

S. DEUS DEDIT.

§. LXXI. **R**omanus, patre Stephano, Subdiacono, ipse vero presbyter SS. Joannis & Pauli, tit. Pammachii. Vir eximiae sanctitatis, Dilectus Deo & hominibus, qui in clericos integrè viventes largus, tanti apud Deum meriti fuit, ut leprosum osculo sanaret. Illo siquidem tempore morbus leprae seu elephantiae proximus hominis faciem planè deturpans fervebat. Redditus coelo per obitum beatissimum A. 617, 8. Nov., cum sedisset annis 2, m. 11, d. 26. Positus ad Patres suos in terris, sanctis in coelo annumeratus. Hunc Pontificem quidam volunt Spiritualis cognationis authorem ex quadam epistola: sed supposititiam hanc esse manifestè evincitur, quod inscribatur Gordiano Episcopo Hispalensi, qualis nullus tunc exiit, quòdque falsas constitutiones Julii, Innocentii, Coelestini Pon-

Pontificum de Spirituali cognatione, matrimonium dirimente,
falsò alleget.

BONIFACIUS V.

§. LXXII. Neapolitanus, patre Joanne, Archipresbyter titulo
S. Sixti. Clementiae & mansuetudinis laude
fuit insignis, illumquè simpliciter sapientem solertemque fuisse
testatur à successore positum epitaphium; quo docemur, vivere
eum desiisse A. 625, 25. Oct. in senectute bona scilicet annorum
73, sacerdotii 40. Sedit ann. 7, m. 10, d. 1, ad S. Petrum con-
lachrymantibus cunctis depositus.

Bonifacium hunc fuisse authorem immunitatis Ecclesiasticae,
quidam scriptores citimae vetustatis observant, silentibus anti-
quioribus. Quod verò Centuriatores illi imponunt, quasi in
epist. ad Eduinum Regem Angl. relata à Beda *Lib. 2. Hist. Angl.*
cap. 10. docuisset, Christum à solo peccato Originali nos rede-
misisse, decumanum est convitium, quandoquidem *Solo* à falsa-
riis fuisse malitiosè interpolatum, certum sit.

HONORIUS.

§. LXXIII. Campanus, patre Petronio, viro Consulari, Mag-
ni illius Gregorii quondam discipulus, cui ob
singularem curam & magnam diligentiam, quam in extruen-
dis ornandisque Basilicis, extinguendo schismate Istriae, extir-
pandis perfidis Judaeis, disponendis rebus Ecclesiasticis navavit,
plurimum debuit Ecclesia. Monotheismo nominis sui clarita-
tem obscurasse, quorundam est opinio; de quo actum in
Controv. Eccles. Hist. Defenditur à S. Maximo Martyre, lauda-
tur à Venerabili Beda aliisque. Exiit hominem A. 638, 12. Oct.,
cum

cum egisset Pontificem annis 12, m. 4, d. 27, sepultus apud S. Petrum.

SEVERINUS.

§.LXXIV. Romanus, patre Labieno, singularis pietatis ac modestiae, pro religione strenuè decertans, multa perpeffus fuit, quod Heraclii Ec̄thesin, seu fidei formulam haereticam nomine Imperatoris sibi oblaram rejecisset & condemnasset, licet confirmationem Pontificatus, quam Imperatores sibi arrogabant, impediri praevideret. Extinctus est, cum vix bimestre in Pontificatu explevisset, sepultus apud S. Petrum.

JOANNES IV.

§.LXXV. Dalmata, patre Venantio, Scholastico, non tam ad honorem, quàm ad laborem maximum evectus, quando Reges Longobardorum binos in quavis Dioecesi praetendebant Episcopos, ut Arianam haeresin ampliarent. In redimendis captivis sedulus, nullis parcens mediis, ad immortalem vitam A. 641, 12. Oct., transiens uberem laborum suorum recepit mercedem. Sedit annis 1, m. 9, d. 6., in Vaticano Sepultus.

THEODORUS.

§.LXXVI. Graecus, patre Theodoro, Hierosolymis oriundo, non Episcopo, ut perperam quidam scribunt. Praedecessoris vestigia premens, magnam pecuniae summam impendit pro redimendis fidelibus è captivitate Slavorum. Pyrrhum Archiepiscopum Cpolitanum in haeresin relapsum excommunicavit: & majoris solemnitatis gratiâ ad S. Petri sepulchrum accedens de sanguine Christi distillato in atramento anathemati sub-

subscripsit. Plura templa aedificavit & restauravit, sacras reliquias thecis argenteis aureisvè inclusit. Sanctis operibus insistendo praemia capescit aeterna A. 649, 14. May, cum sedisset an. 7, m. 5, d. 10, sepultus apud patres suos. Hunc Pontificem in Martyrologio Florentino MS., tertioque impresso sanctis annumerari refert Papebrochius in *Conatu Chron-Historico*.

S. MARTINUS.

§. LXXVII. **T**udertinus patre Fabritio, initio sui Pontificatus invicto sanè animo persecutiones propter justitiam, multasque tribulationes perpeffus; postquam coactâ Romae Synodo Typum Constantis Imp. (sic vocabatur recens ab eo credendi praescripta formula) insuper Monothelitas damnâset. Quæsitus frustra ad necem, Deo immiffione caecitatis licetorem puniente, tandem vincetus clam abductus in Naxum insulam primò, deinde ad carceres teterrimos Constantinopolim relegatus, demum in Chersonesum missus, quietem in patria coelesti reperit A. 654, 12. Nov. Inde postea Romam translatus, ut sanctus Martyr solemnè cultu recognoscitur. Sedit a. 6, m. 3, d. 12.

EUGENIUS.

§. LXXVIII. **R**omanus, patre Ruffiniano, vir mitissimi genii, raræ pietatis ac commendandæ religionis, ex ipsis ferè cunabulis Dei famulatu devotus. Biennio ante mortem exulis praedecefforis assumptus ad vicariam duntaxat praefecturam, ne alius ab Imperatore subornaretur haereticus. Defuncto autem Pontifice Martino, accedente Cleri consensu legitime sedere coepit. Fertur hic primus, qui alias vagantes, monachos intrâ monasterium conclusit. Sedit m. 6, morte sublatus A. 655, 2. Junii, aliis consepultus.

S. VI.

S. VITALIANUS.

§.LXXIX. Signiensis ex oppido Volscorum, patre Anastasio, cujus sedulâ curâ & acri vigiliâ ab incurfibus praepotentium Monothelitarum Ecclesia fuit praefervata, Principibus & omnibus orthodoxis gratiffimus. Vita piè defunctus apud S. Petrum: atque ab univerfa Ecclesia velut Sanctus merito colitur. Sedit an. 13, m. 5, d.28.

ADEODATUS.

§.LXXX. Romanus, patre Joviniano, Monachus Ord. S. Benedicti in caenobio S. Erasmi in Coelio monte. Omni virtute dotatus officium sibi conereditum omnibus numeris absolvit; quamquam ejus res gestae singulares infoeliciter fuerint oblitteratae. Receptus in coelum A.676, 26. Jun. ab eo â quo fuerat terris datus, quo ad corpus tumulum nactus in Basilica Apostolorum Principis. Sedit annis 7, m. 2, d. 17.

De hoc Pontifice legitur, quod Monachis S. Martini Turonis primum privilegium Exemptionis dederit, litteris scriptis ad Galliae Episcopos: sed â criticis in dubium vocatur ob variantia exemplaria, aliâsque rationes gravis momenti.

DONUS.

§.LXXXI. Romanus, patre Mauritio, aliâs Domnus, Domnion, Conus, sive Cunon appellatus, in obeundis Pontificiae dignitatis muneribus acris & vigilantis ingenii, qui & Orientales ad communionem Ecclesiae Catholicae reducere molitus, & Nestorianos Monachos in Urbe vagantes in diversâ monasteria reclufit ad poenitentiam, nec diu post praematurè

turè in fata concessit A. 678, 11. Apr., sepultus, ubi praede-
cessores. Sedit a. 1, m. 5, d. 10.

S. A G A T H O.

§.LXXXII. Siculus, patre Romano, monachus Panormitanus,
consummatae virtutis laudibus abundans, & ad
gerendum munus Apostolicum maturus, in ipso limine diffi-
dium, quod inter Ecclesias Orientis & Occidentis diu viguerat,
foeliciter fustulit. Pro extirpanda tamen radicitus Monotheli-
tica haeresi egregiè operam impendit: ac demum sanctitatis suae
nomen, Ecclesiae Dyptichis insertum relinquens, naturae tribu-
tum exsolvit A. 682, 10. Jan. Praedecefforibus appositus. Sedit
an. 12, cum dimidio.

S. L E O II.

§.LXXXIII. Siculus, patre Paulo, scientiae & eloquentiae fa-
ma celebratus, Graecae pariter ac Latinae lin-
guae peritus, paupertatis amator, & in pauperes beneficus.
Instituit, ne Archiepiscopi pro usu pallii quidquam persolve-
rent: quod utinam hodie, scribit Cranzius in *Metrop.* servare-
tur! Sed alia sunt tempora. Leo cum omnes verbo & exem-
plo ad justitiam; fortitudinem, humanitatem & benignitatem
hortatus fuisset, meritis plenus obdormivit A. 684, 28. Jun.,
Sanctorum Catalogo insertus, in Basilica S. Petri conditus. Se-
dit ann. 10, d. 17.

S. B E N E D I C T U S II.

§.LXXXIV. Romanus, patre Joanne, virtutum splendore,
& divinarum scripturarum scientia, quam in
monasterio acquisiverat, jam par culmini Apostolico, humani-
tate,

tate, pietate & benevolentia in omnes hominum animos penetraverat, illudque consecutus, ut Imperator Constantinus IV. missio ad eum decreto sanciverit, quatenus is, quem Clerus & populus Romanus deinceps eligeret Romanum Pontificem, absque Imperatoris consensu talis haberetur legitimus: adeoque sui tunc juris facta Ecclesia, quae a Theodorici Regis seu Justiniani Imp. temporibus alieno regebatur arbitrio. Maturè nimis A. 685, 17. May, ereptus ex hac vita, praefuit duntaxat m. 8. d. 17. Sepultus ad S. Petrum & Martyrologio Romano insertus.

JOANNES V.

§. LXXXV. Antiochenus, patre Cyriaco, S. R. E. Diaconus, ab Ostiensi, Portuensi & Veliterno primus Consecratus; qui ritus deinde observatus fuit. Corpore quidem imbecillus: sed animo fortis, morum gravitate & litterarum cognitione in pretio habitus. In alta pace Ecclesiae oves suas pascens, iis subtrahitur A. 686, 2. Aug., cum sedisset a. 1, d. 11. Sepultus ad S. Petrum.

CONON

§. LXXXVI. Thrax, in Sicilia educatus, Romae presbyter, quem venerabilis canities, simplex animus, insignis litteratura, compositi mores, justitiae amor & prudentiae fama, repudiatis competitoribus, in sedem eminentissimam sublevavit, in qua ita se gessit, ut Angelici nomen sit sortitus. Hanc tenuit nonnisi anno uno demptis 7. diebus A. 687, 13. Oct. Appositus ad Patres suos.

S. S E R G I U S.

§. LXXXVII. **A**ntiochenus, patre Tiberio, S. R. E. presbyter titulo S. Susannae, ejectis tandem duobus aliis ineptis, Pontificatum ambientibus, divinâ dispositione ad summum sacerdotii gradum meruit promoveri, ac in ministerio sui officii, pietatis ac devotionis laude plurimum commendatus. Basilicam S. Petri renovavit ornavitque, alia templa, quae edax rerum vetustas consumpserat, restituit. Imperatori, falsos Canones pseudosynodi Trullanae obtrudenti fortiter restitit, & æmulum calumnias innocentiae testimonio irrefragabili elisit. Constituit, ut in Sacrificio Missae ter *Agnus Dei* à Clero cantaretur. Coelum adipiscitur A. 701, 9. Sept., cum sedem tenuisset a. 3, m. 8, d. 14, sepultus in Basilica S. Petri, inter Divos relatus.

JOANNES IV.

§. LXXXVIII. **G**raecus, patre Petronio, seu Paterno, ob religionis studium in reficiendis Basilicis exhibitum, in tuenda vera fide, tum ob eximiam animi fortitudinem Ecclesiae plurimum profuit, quamplurimos pauperes pavit, multosque captivos redemit; quod Dux Beneventanus Romanae ditioni infestus abduxerat. Diem supremam confecit A. 705, 10. Jan., postquam sedisset a. 3, m. 2, d. 12. ad S. Petrum tumulatus.

JOANNES VII.

§. LXXXIX. **G**raecus, patre Platone, vir multae eloquentiae nec minoris pietatis; qui ex eo, quod dilexerit decorem domus Dei, id, quod in aedificandis, sacrandis, ornandisque templis ostendit, à posteris valde celebratur. Apud aliquos

aliquos tamen pusillanimitatis notam incurrit, quod per Legatos Imperatoris oblatos sibi Canones á Graecis Sextae Synodo affutos instar sui praedecessoris non rejecerit nec castigaverit. Ex humanis abiit A. 707, 28. Oct., cum fuisset Pontifex annis 2, m. 7, d. 17, sepultus in templo S. Petri, ante oratorium B. M. V. quod ipse vivus construxerat.

S I S I N N I U S.

§. XC. Syrus, patre Joanne, podagrae & arthridis doloribus ita confectus, ut manuum pedumque usum sibi ademptum sentiret: nihilo secius tanta de eo spes rerum gerendarum exitit, ut prae caeteris eligeretur: ast magni animi & publicae rei studiosus 20. dierum Pontifex subito ex humanis erupit A. 708. 7. Feb., Quiescens apud S. Petrum.

C O N S T A N T I N U S.

§. XCI. Syrus, patre Joanne, mitissimus, humillimus & subditorum pater amantissimus, in imaginum cultum curando, in patrum traditionibus asserendis constantissimus. Constantinopolim Justiniani navibus vectus, ibique magno cum applausu receptus, finem imposuit controversiae de Canonibus ad quintam & sextam synodum appositis. In penuria temporis nihil intermisit officii, quo pauperes sublevarentur, sic, ut ingentem de administrato Papatu sibi gloriam comparaverit. Mortem oppetiit A. 714, 19. Apr., maximo omnibus sui desiderio relicto, Consepultus aliis. Sedit annis 6, m. 1, d. 1.

S. GREGORIUS II.

§. XCII. Romanus, patre Marcello, matre Honestâ, S. R. E. Diaconus & Bibliothecae Praefectus, qui Magni illius Gregorii spiritum affectus, magna & perquam utilia pro Ecclesia gessit, Doctrinâ, facundiâ, constantiâ, indefesso studio pro fide & religione spectatissimus. Moenia Urbis restauravit; Leonis Isaurici impietati generosè restitit. Ejus operâ Germani magna ex parte ad fidem conversi, missô Bonifacio, quem Moguntinum creavit Archiepiscopum. Meritis cumulatissimus praemium in coelo recepturus migravit, sanctis ab Ecclesia quoque adscriptus. Sedit annis 16, m. 8, d. 20, sepultus, ubi alii Gregorium II. non tantùm anathemate Leonem III. Isauricum percussisse: Sed tum Romanos, tum Italos, ab hujus obedientia recedere penitus fecisse, Baronius in *Annal. ad annum Christi 730.* observat, addens: *Sic tota Italia & Roma Imperatori subtracta.* Sic Graeci & Latini scriptores passim. Unde moderni inferunt, Papam posse ob schisma vel haeresin Reges exauthorare. Ast subtractae Italiae non meminit Anastasius, nec Joannes Damascenus, nec Nicephorus, non Paulus Diaconus, ferè coetaneus. Quare Petrus de Marca, P. le Cointe, Natalis Alexander & passim Galli contendunt fabulosum esse, quidquid de Gregorio II. excutiente Leonis jugum, Romamque ac Italiam ab illius obedientia abstrahente referunt recentiores historici. Obstant interim testes omni exceptione majores in contrarium. Horum autoritate Ludovicus Maimbourg utique permotus, aliàs tenacissimus jurium regionum assertor, & Pontifices Imperatoribus ut Dominis subjiciens, hoc factum Gregorii Leonem imperio exuentis, haereseos causâ, non tantùm asserit, sed & laudat: quin in facto illo fundat translationem imperii mox subsequituram ad Francos, quam tamen alibi negat Papae adscribendam.

S. GRE-

S. GREGORIUS. III.

§. XCIII. Syrus, patre Joanne, S. R. E. presbyter, Graecè & Latinè doctissimus, psalmodum, quos omnes memoriâ complectebatur, intelligentiâ, facundia & rerum agenda- rum dexteritate, nec non fidei conservandae industria laudes im- mortales promeruit. Non solum paupertatis amans sed pau- peres, subveniendos, etiam diligebat, quasi omnes ipse genuif- fet. Viduis & orphanis sublevandis totus incumbens, pia sollici- tudine pariter in religiosos ferebatur. Hinc omnis populus, ut Anastasius perhibet, divina inspiratione, dum in obsequia sui praedecessoris esset ante feretrum intentus, vi attollens eum in Pontificatus ordinem elegit. Multis pro Ecclesia gestis praeliis, gloriosus migrat ad superiores A. 741, 28. Nov., quibuscum recen- setur ab Ecclesia. Sedit a. 10, m. 9, d. 12. Sepultus in Basilica S. Petri.

S. ZACHARIAS.

§. XCIV. Graecus, patre Polychronio, mitissimi ingenii, ad iram lentus, ad clementiam promptissimus, persecuten- tibus se beneficus. Quatuor libros Dialogorum S. Gregorii è Latino in graecum transtulit. Quod damnaverit eos, qui anti- podes credunt existere, sciolorum est commentum. Hanc dam- nationem alii referunt ad Virgilium presbyterum, docentem, antipodes esse aliud genus hominum ab Adamo non propagato- rum. Baronius existimat quod Virgilius non solum sacerdotio exu- tus non fuerit, sed ad Salisburgensem Episcopatum promotus etiam fuerit & sanctorum Fastis adscriptus. P. le Cointe in *Ann. Eccles. Franc.* Virgilium, cui fuerunt cum S. Bonifacio similitudines, distinguit ab eo, qui Salisburgensis Episcopus fuit: de quo alii- qui observant, quod solum jurisdictione, non consecratione E- piscopus extiterit. Zacharias ad instantiam S. Bonifacii Mogun- tiam

tiam erexit in Metropolim: quod aliqui de Ecclesia Colonienſi perhibent, olim ſub Archiepiſcopatu Trevirenſi: ſed quia conſtat nonniſi decennio, poſt Archiepiſcopatum Moguntinenſem, Colonienſi Eccleſiae hunc honorem obveniſſe: Succeſſori Zachariae id adſcribendum. Porro ex reſponſione Zachariae ad Bonifacium Chriſtianis prohibetur eſus graculorum, fibrorum & leporum. Optimis Pontificibus annumerandus ad gaudia tranſiit Angelorum An. 752, 15. Mart., poſtquam ſediſſet a. 10, m. 3, d. 10, conſepultus prioribus Pontificibus.

Quod Zacharias ex Monacho Benediſtino ad Pontificatum aſſumptus fuerit, minus certum eſt. Quod, Childerico Rege Francorum propter inertiam deſiſto, ſceptrum in Pipinum, Caroli Martelli filium, conſenſu gentis tranſtulerit, multi ſcribunt; inter quos etiam Centuriatores Magdeburgenſes: ſed negat Nat. Alexander *H. E. Saec. 8, Diſſert. 2,* & hos impudentes dicit imponere in odium Romanae Eccleſiae. Nihilominus ex Eginhardo habetur, miſſum tandem Româ juſſum, ſeu mandatum de Pipino Rege conſtituendo, datâque authoritate ſua, mandaſſe illum, Pipinum Regem inſtitui. In quo Maimbourg plus concedit quàm petitum. Fuitque Binio Hiſtoricorum ſerè omnium tam certa viſa opinio, ut in *Not. ad vitam Zachariae* haereticis adſcribat, qui ſentiunt, quod citra authoritatem ſedis Apoſtolicæ fuerit facta translatio, quam interveniſſe agnoſcunt Galli recentiores communiter. Addunt aliqui Pontificem hunc Pipino jam coronato & inuncto indulgiſſe nominationem ſeu poſtulationem Gallicorum Episcoporum: Cum tamen à Stephano fuerit coronatus.

STEPHANUS II.

§. XCV. Romanus, presbyter, qui tertio assumptionis ſuae die à ſomno ſurgens, negotiis intentus, apoplexiâ tactus

tractus linguae usum amisit, & postridie fatis cessit. Expectationi de se conceptae utique corresponsum, si diutius vixisset. Et quia Ordinatus non fuit, ab antiquis scriptoribus non numeratur: quasi verò, Pontificem faceret non electio seu autoritas, sed longaeuitas & annorum ratio.

S T E P H A N U S III. aliàs II.

§. XCVI. **R**omanus, patre Constantino, R. E. Diaconus, ab universo Clero populòque electus, & humeris Romanorum in Ecclesiam deportatus. Amator Cleri, & Christianae doctrinae Zelosissimus praedicator, pater pauperum, ac traditionum fidelissimus custos. In Gallia à Pipino Rege honorificentissimè exceptus, quem in Italiam cum exercitu adversus Longobardos precibus traxit. Animam Deo reddidit A. 757, 26. Apr., cum sedisset ann. 5, d. 28. Sepultus in Basilica S. Petri.

Stephanus in Galliis agens, in *Responsionibus ad quaesita Britannici monasterii* inter alia *Resp. I Ima.* ratum esse iubet baptismum in vino administratum, aquae defectu, apud *Jac. Sirmondum* & *tom. 6. Concil. 1652.* Infans sic permaneat in ipso baptismo. Sed Nat. Alexander lectionem ex aliis invertit, ac Negativam instituit.

S. P A U L U S.

§. XCVII. **R**omanus, Stephani frater germanus, ejus virtutum vestigia premens, noctu visitabat infirmos, eisque alimenta ministrabat, lustrabat carceres, vinctos solvebat, eorum inopiam, qui alieno aere oppressi erant, sublevabat: cunctis, sed praecipuè desolatis se patrem exhibuit. Qui in sanctis hujusmodi operibus perseverans, sanctâ morte defunctus, A. 767, 29. Jun., sanctis adscribi meruit. Sedit an. 10, m. 1, sepultus

sepultus in Ecclesia S. Pauli, post trimestre praedecessoribus ad-
 junctus in Basilica S. Petri.

S T E P H A N U S IV. aliàs III.

§. XCVIII. Siculus, monachus, patre Olivo, presbyter S. Ce-
 ciliae, vir strenuus, ac divinarum litterarum pe-
 ritissimus, simulque Ecclesiasticarum traditionum observantissi-
 mus; cui potissimum in votis, Orthodoxae religioni consulere,
 ac dignitatem clericalem amplificare bonis moribus ac vitâ exem-
 plari. Iconomachos compescuit, suisque hostibus intrepidè re-
 stitit. Memoriam in benedictione reliquit, dum hominem exiit
 A. 772, in Febr. Sedit ann. 3, m. 5, d. 28, sepultus apud S.
 Petrum.

H A D R I A N U S.

§. XCIX. Romanus, patre Theodoro, S. R. E. Diaconus, ge-
 neris nobilitate clarus; sed vitae sanctimonia do-
 ctrinaequè praestantia, magnanimitate, zelo pro defensione Ec-
 clesiae sibi commissae clarissimus. In atrio Lateranensi quotidie
 100. pauperibus alimoniam tribuit, candelabrum ad formam
 Crucis confectum ante altare S. Petri pendere fecit, cui pote-
 rant 1370. candelae aptè & distinctè imponi. Corpus S. Pauli
 argenteis laminis inclusit. Plurima egit, decrevit, fierique
 mandavit: nihil eorum praetermisit, quae in Ecclesiae utilita-
 tem cedere potuissent, quaeque ad bonum Principem & opti-
 mum Praefulem pertinerent. A Carolo M., excussis Longobar-
 dis, Exarchatum Ravennatensem accepit. Cursus sui bravium
 consecutus est A. 795, 26. Dec., cumque deponeretur apud S.
 Petrum, ei Carolus parentavit & epitaphium posuit. Sedit
 annis 23, m. 10, d. 18.

A Petro nullus rexit tot Papa per annos.

An Carolo Magno Adrianus dederit jus designandi Pontificem Romanum, multum disceptant scriptores. Id tradit Sigebertus *in Chron. ad an. 773.* Ex quo Gratianus *Dist. 63.*, fere ad verbum descripsit *Can. Hadrianus*, item *Can. 23. ibid.* Legitur similis concessio facta Ottoni I. à Leone VIII. Sed illam concessionem fictam esse probat silentium Eginhardi, Anastasii & aliorum antiquorum, qui res gestas Caroli accuratè notârunt. Neque Carolus, neque ejus filii fictitio illo jure unquam usi sunt. Eodem die, quo mortuus Hadrianus, electus fuit Leo; unde patet, Sigebertum imposuisse. Sigebertum secuti sunt Waldramus, Wilhelmus Malmesbur., Matthias Paris, Sigonius, Naclerus, Platina *in vita Paschalis I. Gregorii IV.* Aventinus, Mutius, Onuphrius, Mazeræus, Mabillonius, Baluzius: & habetur *in Chron. Veteri Ivonis.* Multorum quoque est opinio, quod concessione illa usi fuerint Imperatores usque ad Hadrianum III. Eandem oppugnant Baronius, Petrus de Marca fultè, & doctè Nat. Alexander.

LEO III.

§. C. Romanus, patre Azzuppio, presbyter, &, ut quidam volunt, Monachus. Quod die emortuali praedecefforis sui fuerit electus, argumentum est, hunc virum eximia vitae sanctimonia prae caeteris enituisse, ac omnium in se oculos convertisse animosque rapuisse. Fuit sane vir integer, castus, facundus, doctorum & religiosorum amicissimus, fortissimus rerum Ecclesiasticarum & honoris divini procurator aequè ac defensor; Pontifex, qui condolebat miseris, fovebat bonos, dexterè regebat sibi commissos, omnibus omnia factus. Ex publica proceffione à conjuratis Hadriani cognatis tractus fuit in carcerem malèque habitus: an verò etiam oculis privatus linguàquè mutilatus fuerit; sunt, qui in dubium revocant. Ex fide actis habetur, quod falso traductus in praesentia Caroli ac multo-

multorum Praefulum publicè tactis sacris Evangeliiis se innocentem esse juraverit. Qui ingentem sibi de bene administrato Pontificatu gloriam acquisivit, aeternam pariter est affecutus A. 816, 12. Jun., postquam rexisset annis 20, m. 5 d. 17, sepultus apud Patres suos in Basilica S. Petri.

De Leone hoc (alii de Leone I. narrant) à quibusdam refertur, quod manum sibi ademerit, ob carnis incendium, quia osculum formosa mulier impresserat: quodque ideo ordinaverit, ut deinceps Pontificis pedes calceati osculo honorarentur. Verùm Baronius aliique fabulam dicunt: uti & illud, quod in fine, conspirantes in se manu propria occiderit; quod, dum du Pin refert, non diffitetur.

Passim quoque creditur, quod Leo Anno 804. in Germaniam profectus Caesaris Insulam, seu Werdam se contulerit, ut Swibertum Episcopum solemniter praesentibus Carolo Magno multisque proceribus in Sanctorum album referret; quod ex epistola S. Ludgeri Mimigardevordensis (Monasteriensis) primi Episcopi ad Rixfridum Trajectensem Episcopum commemorat Card. Baronius in *Annal. ad annum citatum*. Verùm tota illa narratio falsitatis, ut Ludgeri epistola suppositionis à viris eruditissimis jam olim convicta est. Quia Leo, cum Natale Domini celebraverit, illo Anno in Corsiaco cum Carolo, & octo solum diebus, apud eum substitit in Francia, ut veteres Francorum Annales referunt, Swibertum canonizare pridie Nonae Septembris Carolo praesente, minimè potuit. Deinde epistola, S. Ludgeri nomine ornata, narrat, S. Swiberti in Catalogum Ss. relationem eo modo & ordine peractam, quo nunc ab annis 400. celebrari solet: Cum tamen ex Ecclesiasticis monumentis certum sit, solemnem Canonizationis ritum primùm servatum fuisse in S. Hugone Gratianopolitano Episcopo ab Innocentio II, postea in S. Bernardo ab Alexandro III. Antea simplex admodum erat canonizationis ritus. Obtinebatur à Sede Apostolica facultas erigendi Altare supra defuncti corpus, in eoque cele-

brandi; quâ obtentâ, peracta erat canonizationis solemnitas, ut colligitur ex vita S. Romualdi per S. Petrum Damiani, fate-
turquè ipse Baronius *in Annal. ad annum 1020*. In eadem Episto-
la ante Archi-Episcopos & Episcopos referuntur Cardinales as-
sistentes Pontifici, qui tamen adhuc post tria elapsa Sæcula tem-
pore Innocentii II. tertio loco sedebant. Meminit insuper indul-
gentiarum; quarum ævo illo largitio usitata non fuit. Aliae ra-
tiones obstantes referuntur ab aliis. Expungatur itaque ex actis
Leonis III. S. Swiberti canonizatio, præsentè Carolo Werdzæ ce-
lebrata, scribit Nat: Alexand. *H. E. Tom. 5. Sæc. 9. A. 1.*

De translatione Imperii per Leonem factâ actum est in *Con-
trov. Eccles. Historicis.*

S T E P H A N U S V. *aliàs IV.*

§. CI. Romanus, nobilis, patre Julio, *aliis*, Marino, ratione
rei Christianæ in melius constituendæ in Galliam pro-
fectus, honorificentissimè exceptus, bonis operibus intentus,
redux, coelum adiit A. 817, 25. Jan., miraculis clarus. Se-
dit m. 7, d. 3, sepultus apud S. Petrum.

S. P A S C H A L I S.

§. CII. Romanus, patre Bonoso, Ord. S. Benedicti in monaste-
rio S. Stephani Antistes, Castimoniâ, pietate & as-
siduitate in orationibus omnibus spectabilis, in vigiliis & ora-
tionibus exercitatus, sacris litteris egregiè imbutus, omnium ju-
dicio, præterquam suo, dignus reputatus fuit, qui culmen
Apostolicum conscenderet: in quo velut lucerna ardens supra
candelabrum positus, omni virtutum genere illuxit. Sacrorum
Canonum observator, paternarumque traditionum parastates.
Lotharium Romæ coronavit, Graecis monachis construxit asce-
terium.

terium. Corpus S. Caeciliae aliorumque plurimorum Martyrum elevavit. Miraculorum gratiâ dotatus superis confociatur A. 824, 14. Maji. Sedit annis 7, m. 3, d. 17, sepultus in Basilica S. Petri.

Hic primus epistolas annis Pontificatûs consignavit, cum alii Imperatorum annos adhibuissent.

EUGENIUS II.

§. CIII. Romanus, patre Boëmundo, S. R. E. Presbyter titulo S. Sabinae, tam corporis quàm animi praestantiâ conspicuus ac generis nobilitate insignis, munus suum adaequatè implevit. Simpliciter humilitatè raræ eruditioni conjunxit: in pastu vivifici verbi divini assiduus; rem quoque frumentariam ita auxit, ut videretur pascendis hominibus natus, Evergetes & pater pauperum meritò appellatus. Sacrarum imaginum cultum masculè tuitus fuit. Ecclesiasticam disciplinam coactâ Synodo stabilivit, ac demum in pace quievit A. 827, 11. Aug., sepultus in templo S. Sabinae. Sedit an. 3, m. 2, d. 23.

Eugenium ritum probationis per aquam frigidam confirmasse & injunxisse constat ex membrana pervetusta apud Mabilonium. *Tom. 1. Analect.*

VALENTINUS.

§. CIV. Romanus, patre Petro, S. R. E. Archidiaconus, praedecessoribus ob virtutes egregias & raras dotes charissimus, & ab his edoctus, reluctans iis sufficitur; qui, cum magnam rerum foeliciter gerendarum spem cunctis praebuisset, subito eripitur intrâ dies 40, A. 827, 20. Sept. Sepultus ad S. Petrum.

GRE-

GREGORIUS IV.

§. CV. Romanus, patre Joanne, presbyter tit. S. Marci, nobilitate generis, statura corporis, virtutum fama & doctrinae excellentiâ ab omnibus aestimatus, ipse submisit se sentiens, & ad tantum onus expavescens, non nisi per vim extractus ex templo SS. Cosmae & Damiani, quod confugerat, ad hocce fastigium adduci potuit. Multa sanctorum corpora in loca honestiora transferri curavit. Solemnitatem omnium sanctorum necdum in Germania Galliâque receptam & 1. Nov. deinceps à populo Christiano celebrari voluit. Quod primitus Ludovici pii filiiis rebellibus adhaeserit, Baronius quidem inficiatur, affirmant Aimonius *in vita*, Chronicon Dionysianum & alii cum Baluzio. Certum est, quod pacis studio in Gallias profectus, inde re infectâ Romam redux, exauctoratum Imperatorem adjuverit, ut thronum rursus conscenderit. Ex hujus vitae ergastulo recessit A. 844, 25. Jan., postquam sedisset a. 16, m. 4 d. 1, sepultus in Ecclesia S. Petri.

SERGIUS II.

§. CVI. Romanus, patre Sergio, illustri familia prognatus, S. R. E. Archipresbyter, spectatâ vitae integritate ac haud vulgari litteraturâ insignis, pietati semper studuit, postquam plura sacra loca exornasset, rémq; ecclesiasticam praeclarè gubernasset, viam universae carnis ingressus est A. 847, 12. Apr. Sedit an. 3, m. 1, d. 3.

Recentiores plerique notant, quod hic Pontifex primus nomen patronymicum immutaverit, quoniam antea os porci vocatus fuisset: sed nemo veterum historicorum ante Godefridum Viterbiensem & Martinum Polonum id tradidit. Imò ex Anastasio scriptore synchrono colligitur, ante Pontificatum Sergium fuisse vocatum nomine Patris sui.

S. LEO IV.

S. L E O IV.

§. CVII. Romanus, patre Rodoaldo, S. R. E. presbyter SS. quatuor Coronatorum; quem aliqui monachum dicunt. In temporalibus pariter & spiritualibus plurimum Ecclesiae profuit; de quo Platina scribit, quod vir fuerit in omni vitâ privatâ etiam religione, innocentia, pietate, humanitate, gratiâ, liberalitate, doctrinâ Ecclesiasticâ præcipue insignis, tantae praeterea prudentiae & virtutis, ut, Evangelii sententiâ, serpentis astutiam, ubi oportebat, & columbae simplicitatem imitaretur. Saracenos profligavit, & ex manubiis Vaticanum collem, in quo templum S. Petri, muris turribusque munivit, diciturque ex cujus nomine Civitas Leonina, ipsumque templum per Saracenos devastatum restauravit. Ecclesiam B. M. V. in Vico Saxonum aedificavit. Octavam Assumptionis ejusdem Virginis celebrem jussit. Demum terram coelo permutavit. A. 855, 15. Jul. sepultus in Ecclesia Vaticana, Fastis Romanis inscriptus. Sedit annis 8, m. 3, d. 5.

Scribit Baronius Lotharium & Ludovicum Imperatores pactis cum Leone IV. initis remisisse confirmationem Pontificis Romani, quam sibi vendicabant, vel quaecunque jus, quod sibi in ejusdem electione aut investitura arrogare tentassent. Ast haec conciliari nequeunt cum iis, quae coevus Anastasius Bibliothecarius perhibet, nimirum Benedictum III. Electionis decretum Cleri procerumque subscriptionibus munitum ad eosdem Imperatores per Legatos misisse, ut prisca consuetudo poscebat. Constat insuper quod Lotharius Romam veniens ob quorundam delationem, quasi Leo attentasset Imperium ad Graecos transferre, sumpto de accusatoribus malevolis supplicio, Pontificem innocentem declaraverit: atque inter utrumque amicitia redintegrata fuerit. Quod verò jus in Confirmationem Pontificum remisit, antiquorum tradit nemo.

Q

De

De fabulamento mulieris Leoni succedentis, in quo heterodoxi tanquam in equulio triumphare volunt, prolixè actum in *Controversiis Ecclesiast. historicis.*

B E N E D I C T U S III.

§. CVIII. **R**omanus, patre Petro, presbyter, tit. S. Calixti, flens & reluctans, paucis diebus interjectis, teste Anastasio praesente, Leoni suffectus fuit: in Pontificatu aequè ac antea humilis & perhumanus. Lucis hujus usuram A. 858, 16. Febr. amisit, ut aeternam consequeretur. Sedit an. 2, m. 6, d. 10, sepultus juxta portam argenteam apud S. Petrum, de foris, ubi ex humilitate condi voluit.

N I C O L A U S.

§. CIX. **R**omanus, patre Theodoro, Diaconus, profapia & omni virtutum genere illustris, è latebris extractus, praesente Imperatore consecratus fuit. Vir excellentissimus, cui nullus Pontificum post Gregorium Magnum equiparandus, quemadmodum Rhegino scribit, qui doctâ & Sanctâ Spiritûs animositate res Ecclesiae administravit. A Latinis pariter & Graecis ut novus Elias & novus Phinees habitus, ab omnibus, ut Platina prodit, tanquam Numen cultus. Magnus Canonistae Majestatis suae fedis defensor heroicus. Bulgaros ad fidem veram perduxit, S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, rejecto Photio eunucho laico, sedi suae restituit. Plurimos Principes exorbitantes compefcuit, seu ad saniora reduxit. A modernis Nicolâus notatur in eo, quod, defectu accurati criterii, veterum Pontificum epistolas supposititias indifferenter admiserit: & sine sufficiente indagine indiscretè pro canonizatis ad confirmationem rerum non gestarum haberi voluerit. Post immensos Labores pro Ecclesia Dei exantlatos requiem aeternam invenit
A.

A. 868, 13. Nov., appositus Praedecessori, quem successor sanctum nuncupavit, coliturque à Graecis. Sedit a. 9, m. 6, d. 21.

H A D R I A N U S I I.

§. CX. Romanus, patre Talero, postea Episcopo, presbyter tit. S. Marci, aetatis anno 75, sed in viridi adhuc senectute assumptus, cujus Deus erogationes in pauperes miraculis illustravit. Ingenio mansuetus, pro pace & Ecclesia Ze-
 losus, Nicolao tamen in Ecclesiastica disciplina mollior. Sub eo Photinus damnatus in Synodo VIII. Cpolitana. Mortales reliquit A. 872, 1. Nov. cum sedisset annis 4, m. 10, d. 17, sepultus in Basilica Vaticana.

J O A N N E S V I I I.

§. CXI. Romanus, patre Gundo, S. R. E. Archidiaconus, Pontificatum multis exercitum curis gessit, sibi-
 que Imperatores Orientis & Occidentis eodem tempore adversantes sensit. Tres Imperatores coronasse dicitur: quamquam Ludovicum Balbam non Imperatorem sed Regem Galliae ab eoduntaxat coronatum, veriùs quidam opinentur. Notatur à ple-
 risque, quod remissior fuerit, quàm officium postulabat, quandoquidem malesuadâ carnis prudentiâ inductus, nervos Aposto-
 lici vigoris dissolvens, olim excommunicatum Photium, mor-
 tuo S. Ignatio, in Patriarchatum Constantinopolitanum absque praevia poenitentia, ad requisitionem Basilii Imp. reposuerit: adeoque victus à semiviro, non jam vir, sed mulier appellari meruerit. Verum tamen à quibusdam rectificatur; quia Pho-
 tium falsificatione Litterarum Apostolicarum, sedem occupasse credunt. A suis incarceratus in Galliam sese recepit, ibidemque in Synodo Trecenti res Ecclesiasticas plurimùm turbatas, aliqua-
 tenus composuit. Ad Dalmatiae Principem scripsit, non adver-
 sari

fari fidei sacraeque religioni, quod missae & preces Canonicae linguâ Moravicâ, seu Illyricâ persolvantur. Saracenos Italia & Sicilia expulit. Varias quoque Synodos celebrandas indixit. Graecè & Latinè doctus, vitam S. Gregorii M. scripsisse perhibetur: licet eruditi observent hunc Joannem malè confundi cum Joanne Diacono, qui jubente Pontifice opus aggressus est, & illi dedicavit. Aerumnis, curis & moerore consumptus ex hac miseriarum valle abiit A. 882, 15. Dec. cum sedisset annis 10. d. 1, sepultus ante portam vaticanam, quae appellatur Judicii, in cujus epitaphio legitur.

*Judicii custos mansit pietatis amicus;
Solertem sese qui omnibus exhibuit.*

MARTINUS II.

§.CXII. Tuscus, non Gallus, ut quidam volunt, ex Galestio oppido, perperam, notante Platinâ, Marinus vocatus, patre Palumbo, presbytero, Episcopus nullius determinatae sedis: haud malis artibus, quemadmodum malè aliqui sentiunt: Sed exigentibus suis meritis in Apostolica sede collocatur; cujus olim Constantinopoli fuerat Legatus, deinde Arcarius. Magnitudine animi & ad res Ecclesiae gerendas praestans, qui ob Photii iteratam damnationem Basilii gravissimam indignationem incurrit, exorsus adeo, ut, à Shismaticis adjutus, factam sui electionem irritam reddere nifus fuerit. Sed aequè minus rectè Marinus ipse egisse visus est, quod facta Joannis praedecessoris sui irrita declaraverit. Abiit ad plures, postquam sedisset anno 1, d.29. Ubi sepultus fuerit, non reperitur.

HADRIA-

HADRIANUS III.

§. CXIII. Romanus, patre Benedicto, vir generosi pectoris, & exploratae virtutis, qui fortiter iniquis postulatis resistere perrexit, voluitquè deinde liberam electionem Papae absque interventu Imperatoris; quod quidem Nicolaus irrito conatu attentaverat. Magnarum rerum agendarum de se spem praebuit, quando praeter spem ereptus fuit A. 885, 9. Maji. Sedit an. 1, m. 3, d. 19, sepultus Nonantulae, ubi velut sanctus ab incolis habetur.

STEPHANUS VI. *alias V.*

§. CXIV. Romanus, patre Hadriano, natalium splendore clarus, presbyter SS. quatuor Coronatorum. Consummatae erat sanctimoniae, etiam miraculis, ut perhibetur, illustratae: quippe qui aquâ à se benedictâ locustas Italiam invadentes abegerit. Cum post obitum praedecessoris, jam inolito more palatii Apostolici suppelles harpagantibus cessisset, de residuo patrimonii sui egenis largè subvenit. Cum iis, quos Photius schismaticus ordinaverat, benignè dispensavit. Purgationem vulgarem ferri candentis & aquae frigidae, quae in causis controversis temerè adhibebatur, abrogavit. Saluti ovium, ut Pastorem oportebat, jugiter invigilans, diem vitae ultimum affectus est foelicissimè A. 890, sepultus apud S. Petrum. Sedisse putatur, A. 6, ut Baronius ex Epitaphio colligi posse censet.

F O R M O S U S .

§. CXV. Civis & Episcopus Portuensis, patre Leone, Religio-
nis integritate divinarumque scripturarum scientiâ
laudatissimus: ut de eo testatur scriptor synchronus Luitprandus
lib. 1, histor. cap. 8. Adeoque iniqua videri debet Crazii censu-
ra, dum *in Metropoli* scribit *lib. 5, cap. 1,* de Formoso: *Nomen*
assumptum in Pontificatu insinuat hominem insolentem. Neque
enim constat, an illud nomen assumpserit: neque exinde de no-
minato quid statui poterit, secundum Aufonium:

Nam divinare est, nomen componere, quod sit
Fortunae, morum, vel meriti indicium.

Certè Formosus à sui temporis scriptoribus, qui familiariter eum
novisse potuerunt, plurimum commendatur, sic, ut credere pos-
simus, quod fuerit in eo consentiens corporeae venustati morum
virtutumque elegantia, sicque secundum utrumque hominem
verificatum: *Conveniunt rebus nomina saepè suis.* Ab Anastasio
vocatur Magnae sanctitatis Episcopus; ab Auxilio perhibetur,
quod vinum non biberit, carnis gustum nesciverit, foemineae
copulae expers octogenarius virgineum suum corpus terrae
commiserit. A Nicolao I. ad Bulgaros missus, magna cum uti-
litate Ecclesiae fide Christiana eos imbuit. Redux apud Joannem
Papam suspicionem incurrit, sive quod conscius fuisset suae cap-
tivitatis, sive quasi Bulgaris persuasisset, ne Episcopum alium,
quam se, reciperent, sedemque Apostolicam ambitiosè affecta-
ret contra Ecclesiae Canones, vetantes, à minore Ecclesia in
majorem profilire. Episcopatum Portuensem deseruit, in Gal-
liam profugus, sub interminato anathemate revocatus, redire
renuit; tandemque reversus in profanum ordinem, omni digni-
tate exutus, fuit actus: atque juramento interposito, promisit,
se nunquam Romam, vel ad Episcopatum rediturum. Per Mar-
tinum denique à juramento absolutus, non absque contestatio-
ne,

ne, tumultuante scilicet Sergio Diacono, plurium votis de Simonia suspectus, ad summum Pontificatum pervenit; In quo forma gregis factus adimplevit ea, quae muneris sui esse videbantur: in eo tamen notatus, quod laesa patientia Arnulphum Imperatorem instigaverit ad sumendam vindictam de suis inimicis. Mortuus in senectute bona A. 896, 14. Dec. dum sedisset annis 5, m. 6, d. 18.

Animadversio.

Hactenus plerosque laudabiles probosque Catholica Ecclesia nacta fuerat Pontifices: succedunt nunc luctuosa tempora, pora, quando probrosi, vitaeque infames Apostolicam sedem occuparunt; Quo licet Christi sponsa nonnihil obfuscata fuerit: ejus tamen sanctitas minimè violata. In vanum ergo laborant heterodoxi ex horum vita, doctrinam Catholicam arguere: siquidem non ex personis fidem: sed personas ex fide judicare oportet. Et sicut non excusatur, qui dignitatem Apostolicam contemneret & contemnendam doceret, quia Judas fuerat ad ipsam provectus: ita non excusantur illi, cum Pontificiam dignitatem, item Ecclesiasticum divinumque Pontificis Primatum contemnunt & impugnant, licet nonnulli Pontifices flagitiosi fuerint; ut bene infert Nat. Alexander *H. E. Saec. IX & X. cap. I. a. 6.* Passim verò observant scriptores, singulari Dei beneficentia contigisse, ut, hoc rerum statu, nullum schisma, nulla haereticis oborta fuerit. Noluìt scilicet Ecclesiae suae prospiciens Deus, duplici eam tribulatione atteri & afflictæ addere afflictionem.

Mortuo Formoso Sedem invasit Bonifacius quidam Romanus, homo nefarius, semel à subdiaconatu, rursus à presbyteratu depositus; cujus memoriam damnavit Synodus Romana sub Joanne IX. adeoque inter Pontifices non recensetur, licet alii id faciant cum Platina, qui eum dicit rectè & legitime Pontificem

tificem creatum, & 26 diebus in Pontificatu vixisse, quid quod aliqui annos 12 ei attribuerent.

STEPHANUS VII. aliàs VI.

§.CXVI. Romanus, patre Joanne presbytero, intrusus ab Adelberto Marchione Tusciae, post, accedente consensu Cleri, ad impediendum schisma toleratus fuit. Hic tanto odio nomen Formosi, sui quondam competitoris, profecutus fuit, ut statim ejus res gestas resciderit; decreta abrogaverit, ordinationes factas irritas declaraverit: quin insuper majori, quàm Schytica barbarie, habitâ Synodo scedicâ, ejus corpus tumulo extractum, Pontificali habitu spoliatum, abscissis pollice & dextrae manus digitis, ac in Tyberim projectis deturpatum, foràs laicali sepulturae tradi jussit. Alii Tyberi immersum referunt. Ob hoc & alia horrenda facta populo Romano invisus, & per eum sede dejectus, in carcerem trusus, inibi strangulatus fuit anno 3, m. 8, circiter: nam praecisè de mense aut die non constat.

Probrosus factum illud Stephani oggerere solent heterodoxi: atque exinde Pontificis aut sanctitatem, aut infallibilitatem oppugnare moliuntur. Sed hujus qualiscunque demum Pontificis error, non praedicationis, sed conversationis fuit. Non spectabat ad articulos fidei, quod Stephanus de Formoso sensit; Sed quaestio facti erat: an Formosi promotio ad Pontificatum fuisset canonica, & an Episcopus depositus & degradatus validè Ordines sacros conferret. Stephanus itaque odio plus quàm Vatiniano in Formosum praeoccupatus, & vel nesciens, vel credere nolens, per Martinum fuisse absolutum à juramento, in concilio non libero decernit, nunquam fuisse legitimum Pontificem; in quo illum errasse tres subsequentes Pontifices (ultimus concilium convocavit) decreverunt: licèt quartus rursus Stephani errori adhaeserit.

ROMA.

ROMANUS.

§. CXVII. **T**usculus, patre Constantino, Martini Papæ fratruelis, qui, an per ostium, an aliunde intraverit, in comperito minimè habetur; in eo laudandus, quod Stephani acta improbaverit. Vix ultra trimestre Pontificatum protraxit, quando inter mortales esse desiit.

THEODORUS II.

§. CXIIX. **R**omanus, patre Photio, de cujus actis nil extat, nisi quod pariter acta Stephani improbaverit, & Formosi corpus ad Apostolicam tumbam honorificè transferri curaverit. Exiguo tempore praefuit.

JOANNES IX.

§. CXIX. **T**iburtinus, patre Rampoaldo, ex Ordine S. Benedicti Diaconus, cujus notabilis valde exitit modestia. Tum Romæ, tum Ravennate coactâ Synodo Stephani & Conciliabuli decreta reprobavit, atque à Formoso legitimè ordinatos suis functionibus restituit. Dum labentem Ecclesiae statum pia sollicitudine erigere moliebatûr, mortis falce corruiit. Sedit a. 3, d. 15, sepultus ad S. Petrum.

S. BENEDICTUS IV.

§. CXX. **R**omanus, patre Mammolo, vir misericordiarum, & eximiae in egenos charitatis, adeoque dilectus Deo & hominibus. Illius caetera acta non leguntur, sive quod tempore sui Pontificatûs rerum magnarum patrandarum occasio non effulserit, sive quod scriptorum socordia patrata neglecta fuerint. Exinde probandus equidem, quod illum tot prava non
R
fece-

fecerint exempla deteriorem, juxta illud Juvenalis Sat. 14

Sic natura jubet: velocius & citius nos

Corrumpunt vitiorum exempla domestica.

Sedit annis 2, mens. 4, sepultus ante Ecclesiam S. Petri.

LEO V.

§. CXXI. Ardeatinus, Ord. S. Benedicti, vir optimus, exagitatatus à pessimo Christophoro presbytero domestico, & dominandi cupiditate allecto, à quo in vincula coniectus quadragesimo sui Pontificatus die prae animi dolore contabescens, ex hoc ergastulo transit A. 907. ad gaudia sempiterna. Omnium Pontificum primus sepultus in Laterano.

CHRISTOPHORUS.

§. CXXII. Romanus, patre Leone, presbyter tit. S. Laurentii in Damaso, cujus regnandi fuit tam dira cupiditas, ut Legitimum Pontificem carceri mancipaverit. Toleratus tamen in vasor à clero verisimiliter: Sed à Sergio dejectus mense septimo & in monasterio reclusus, dein in arctissimum carcerem coniectus didicit illud Rhadamanti verum esse.

Iusta malis hæc est, admissio crimine, poena.

Si, quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi.

SERGIUS III.

§. CXXIII. Romanus, patre Benedicto, quondam diaconus existens Formosi corrivialis, tandem Pontificatum nefariè adeptus, acta Stephani, quæ suggererat, ratificat, ipsiusque Formosi nomen abolere nisus fuit, quando ejus cadaver

daver reeffoffum, capitali fupplicio, acfi viveret, affecit, & in Tyberim projecit. Refert Platina, fed vacillante fide, corpus ipfum inter pifcandum repertum, ad Basilicam S. Petri pifcatores tuliffe, & Sanctorum imagines in templo locatas corpus ipfum veneratas fuiiffe; Idem à religiofiffimis Romanae urbis faepe fe audiviffe teftatur huic aevo proximus Luitprandus Diaconus *Lib. I. cap. 8.*, & Formofi religionem commendat. Fuit Sergius homo Spurcus, deteftabile Ecclefiae opprobrium, qui ex Nobili Scorto Marocia, jam in Sede Apoftolica toleratus, genuit Joannem poftea Pontificem illius nominis XI. Et licet caetera ejus acta, aut excufabilia, aut etiam laudabilia Papebrochius in *Conatu Hift.* conetur reddere: antiquiores tamen paffim fic eum depingunt, ut potius Lupus quam pastor reputandus fit. Factum in Formofum quidam, inter quos Onuphrius, fabulofum volunt: aft teftimoniis videntium, inter quos Luitprandus Sincerus historicus, temere pofthabit.

Quamdiu Sergius in Pontificatu vitam protraxerit, incertum: alii fiquidem duos, alii feptem annos notant. Sepulchrum naetus fuit in Basilica Lateranenfis à fe reftaurata.

A N A S T A S I U S III.

§. CXXIV. Romanus, patre Luciano, vitae fuit irreprehensibilis & fingularis modestiae: à quo etfi nihil memoria dignum legatur: in eo tamen laudabilis, quod neminem praedecefforum fuorum quadam ignominiae nota affecerit: neque approbans neque reprobans cujusdam acta. Non fine Urbis & Orbis planctu immatura morte furreptus ex hoc faeculo nequam A. 912, poftquam Sedem tenuiffet annis 2, m. 2, in Basilica S. Petri confepultus.

L A N D O.

§. CXXV. Sabinus, patre Trano. Nec diu præfuit, nec multum profuit: Sic ut aliqui dedignati fuerint illum inter Pontifices recensere. Rogatu Theodoræ Scorti & Marozie matris, Joannem vultu liberalem, quem alia filia Theodora deperibat, ex Bononiensi Episcopatu ad Ravennatensem extulit, qui ei in Pontificatu Romano successit. Trimestri necdum evoluto extinctus fuit Anno supra notato.

J O A N N E S X.

§. CXXVI. Romanus, patre Joanne, Episcopus Ravennatis deturbatus, malis artibus Theodoræ fororæ junioris Marozie sedem Pontificalem obtinuit, & ad majora mala evitanda utcunque toleratus, malè tenuit. Quemadmodum verò non potuit non esse summè probrosum, quod in castris Veneris militaret, sic temporum ratio illum commendat, quod castra Martis secutus, Saracenos, Italiam devastantes, profligaverit. Fuit nihilominus in pretio apud Principes & viros sanctos: qui aliquando stimulis conscientie agitatus, ad faniora se reflexit; & missò ad Lipsana S. Jacobi Compostellam Legato, literis Loci Episcopum convenit, ut preces apud eundem Apostolum pro se persolveret. Ad extremum Widonis, Tuscie Marchionis autoritate, impellente conjuge sua Marozia, quae hunc Sororis suae amasium summè oderat, exautoratus, suffocatus fuit, imposito super os cervicali, ejusque corpus in porticu ante fores Basilicæ sepultum. Secundum non nullos Princeps hoc exitu nequaquam dignus, si ejus praeclara acta spectemus; sed quem faeminae studium extulit odium feminae abstulit A. 928. Rubeus L. 5. *Hist. Ravenn.* Refert ex aliis Tra grediam hanc Luitprandus: Sed Frodoardus narrat, diutissimè in carcere Sergium fuisse detentum. Quare de annis Pontificatus quos 15. quidam numerant, non liquidò constat.

LEO. VI.

LEO. VI.

§. CXXVII. Romanus, patre Christophoro, ab omni tyrannide abhorrens, Italiae statum pacatum redere studuit, hostes externos absterruit, conatus meliora perficere, praecipite morte interruptus, septimo mense nondum evoluto, non sine suspitione veneni vitâ excessit A. 929, magno sui relicto desiderio. Baronius refert in carcerem detrusum: sed sine veterum suffragio. Ad S. Petrum terrae mandatus.

STEPHANUS VIII. *aliàs VII.*

§. CXXVIII. Romanus, patre Theutemonto, à religionis integritate & mansuetudinis laude multum commendabilis, dumque urbem Romanam componere meditaretur, medio vitae cursu subtrahitur A. 930, 17. Dec., anno Pontificatûs 2, m. 1, d. 15. In Basilica S. Petri sepultus, sed nullo, quod ad posteros venit, monumento.

JOANNES XI.

§. CXXIX. Romanus, nothus Sergii III, anno aetatis circiter 24, à Widone vitrico & matre Marozia tandem intrusus, qui praeter natalium infamiam & immaturam tanto muneris aetatem, nullo alio notabilis probro videtur fuisse: sed nec aliquid laude dignum egisse constat. Mortuo Widone cum Maroza hujus fratrem uterinum Hugonem Italiae Regem in conjugem duxisset, & ab hoc Albericus Widonis filius, ob nimis incite effusam manibus aquam talisset alapam, is excitata seditione, ac vitrico pulso, Joannem Papam & fratrem uterinum, matrem quoque in carcerem conjecit, ubi vitam posuit anno Pontif. 4, m. 10, sepultus in Laterano.

LEO VII.

§. CXXX. Romanus, renitens ad Pontificatum assumptus affiduis precibus deditus, dum opera sua in mansuetudine perageret, sic per hominum gloriam dilectus fuit, ut ex metrico Flodoardi Pontificale hinc finientis liquet, proinde immerito vir remissus à Stella vocatus, qui nil memoriâ dignum post se reliquerit. Siquidem inter caetera ad non exiguam ejus commendationem facit, quod ope Odonis, Romam vocati, collapsam in Italia monasticen restaurare studuerit, concordem reddiderit Hugonem Regem & Albericum Principem, urbemque ab interminatâ obsidione suo interventu liberaverit. Plura servus Dei, ut à citato Flodoardo nuncupatur, pro Ecclesia Dei executus fuisset nisi mors invida illum hinc sustulisset A. 939. Seddit annis 3, m. 6, sepultus in Basilica Apostolorum Principis.

STEPHANUS IX. aliàs VIII.

§. CXXXI. Germanus. Hunc Ottonis Regis Germanorum operâ electum passim scribunt Chronographi Ecclesiastici; quod mirum videri posset; cum Otto ea tempestate nullum in Italia jus habuerit, neque sese electioni Pontificis immiscere potuerit, bello intestino occupatissimus, & longius absens; quàm, ut, nuntio de morte praedecessoris accepto Stephani electionem urgere valuisset. Nisi forte dicatur, hunc Ottonis, quod quidam referunt, cognatum à Romanis in favorem Regis electum, ea spe, ut à tyrannide Hugonis, per ipsum valentior, aliquando liberarentur. Fuit aliquando, permittente Alberico, ob odium exterae nationis in populari tumultu tanturpiter vir mitissimus fauciatus ut cicatricum deformitate admodum foedatus in publicum prodire renuerit, ut facile appareret, illum invitis Dominis Romanis, in sede esse Apostolica. Vitae terminum reperit A. 942, cum sedisset an. 3, m. 4, d. 5.

MAR-

MARTINUS III.

§. CXXXII. Romanus, à quibusdam appellatus Marinus II. Curandae Ecclesiasticae disciplinae, pauperibus sublevandis, bellis sopiendis, templis restaurandis totum se dedit. Prophetiae dono illustris, S. Udalrico futuram ad Episcopatum assumptionem praedixit. Denique vita functus est, A. 946, dum sedisset annis 3, m. 6, d. 13, sepultus apud S. Petrum.

AGAPETUS II.

§. CXXXIII. Romanus, vitae exemplaris & probatae virtutis, Republicae Christianae amator, qui Ecclesiae res, crebris bellorum motibus & inopia bonorum morum accisas, pro virili redigere in integrum, atque monasteria contra Principum invasiones acerrimè tueri studuit. Ottonem Regem Germaniae in Italiam evocavit, & hujus fratri Brunoni Archiepiscopo Colonienfi pallium concessit, quo, quandocunque vellet, uteretur; cui nil denegandum esse & propria autoritas (hic enim primus Ecclesiasticorum pedum gladio conjunxit) & potentia fratris admonebat. Exspiravit dum gesserat Pontificatum an. 9, m. 10, sepultus in Ecclesia Lateranensi.

JOANNES XII.

§. CXXXIV. Romanus, patricius, patre Alberico, post cujus mortem Romae principatum adeptus, etiam violenter Pontificatum invasit, annum aetatis 18 necdum egressus: accedente tamen Ecclesiae consensu legitimus Pontifex fuit: satius quippe visum Pontificem penè puerum, nec legitimis suffragiis electum colere, quam schismati locum dare. Vitam duxit sceleratam, voluptatum omnium generi deditus, studio

vena.

ventionis, sacrorum Canonum contemptu, rectéque sententiam persecutione pessimum universo orbi Christiano praebeuit exemplum. In Synodo quorundam Episcoporum Italiae & Germaniae ab Ottone Imperatore convocata, de incestibus, stupris, adulteriis, homicidiis, Daemonum invocationibus, aliisque planè horrendis criminibus accusatus, cum ipse contumax in sylvis lateret, exauthoratus fuit. Demum à suis reductus, in quodam coacto concilio, qui eum deponere attentaverant, excommunicavit. Nec multò post, dum cujusdam viri nobilis uxori adjaceret, à Daemone percussus Luitprandus perhibet, quod alii ab adulterae viro larvato factum tradunt. Infra Octiduum ex vulneribus succubuit, A. 964, 14. Maji, cum sedisset a. 9.

Huic Pontifici attribuitur à plerisque prima nominis immutatio, qui, ante Octavianus dictus, voluit nuncupari Joannes in memoriam Joannis XI. sui avunculi: aut, ut ita sese conformaret nominae tenus adulatorum acclamationibus vociferantium illa in ejus consensu: *Fuit Homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* Quem quidem Deus suum permisit agere vicarium officio, licèt ab illius legibus multum abscederet. Liceat hinc subjungere illud Platinae in Sergio III. *Vide quaeso, quantum isti Pontifices degeneraverint à majoribus suis. Illi enim, utpote viri sanctissimi dignitatem ultro oblatam contemnebant, orationi & doctrinae Christianae vacantes: hi verò largitione & ambitione Pontificatum quaerentes & adepti, posthabito divino cultu, inimicitias, non secus ac saevissimi tyranni, inter se exercebant; suas voluptates postea securius expleturi, cum nullibi extarent, qui eorum vitia coercerent.*

LEO VIII.

§. CXXXV. Romanus, Lateranensis protoscriniarius, à Clero populoque Romano, pulso Joanne, Pontifex creatur; quem quidem Otto Imperator primo legitimum agnovit: Sed postquam Joannes reversus esset, mutatâ sententia abrogatum voluit. Hunc proinde multi tum veteres, tum moderni scriptores verum, pseudo Pontificem alii contendunt; de quo latius in *Controv. Eccles. Historicis*. Porro Leo ille in quadam Constitutione relatâ à Gratiano *Dist. 63. Cap. In Synodo* auctoritatem omnem eligendi Pontificis à Clero populoque Romano ad Imperatorem transtulit. De qua Constitutione pariter disceptant Historici inter se & Canonistae. Leoni A. 965, vitâ functo in Pontificatu passim attribuuntur menses 4. ultra annum. *Ejus litterae antiquitatis indices sunt in nostra Saxonia, scribit Cranzius in Metrop.*

BENEDICTUS V.

§. CXXXVI. Romanus, dictus Grammaticus, R.E. Diaconus, vir aequè sanctus ac litteratus, qui à Clero populoque Romano, post mortem Joannis, ejecto Leone, assumptus: verum Ottonis indiscretus zelus adegit illos, ut Leonem reciperent, & Benedictum cum Adaldago Cancellario suo Archi-Episcopo Hamburgensi misit exulatum in Hamburgum, ut habetur ex Dithmaro historico coevo, fuitque à praefato Archi-Episcopo Benedictus, quia vir sanctus ac sede Apostolica dignus, honorificè habitus, quod Adam Bremensis perhibet qui saeculo sequenti scripsit. Attamen moerore confectus in pace quievit anno vix evoluto, cum post Leonis obitum Imperator placatus repetitum secum Romam adducere medicaretur. Sepultus fuit Hamburgi in Ecclesia Metropolitana B. M. V., ubi ejus epitaphium, licet haud adeo vetustum, etiamnum extat. Regnante autem Ottone III. Romam trans-

translatus ad decessorum suorum communem sepulturam. Fabula est, quod scribitur, à Wandalis fuisse trucidatum, confecta in gratiam Ottonis, ne Imperatoribus persecutoribus annumeretur.

JOANNES XIII.

§. CXXXVII. Romanus, patre Joanne Episcopo, ipse Episcopus Narniensis, autoritate potius Imperatoris, quàm legitimis suffragiis constitutus; cum asperioris esset genii, & severius in Romanos quosdam animadverteret, a tribunis & Consulibus in Campaniam relegatus fuit. Sed post annum necdum evolutum ab Imperatore restitutus, & supplicio sumpto de factionum coriphæis, satis tranquillè præfuit. Capuam, ubi hospitatus fuerat, Archi-Episcopali dignitate auxit. Ottonem II. Imperatorem coronavit unà cum conjugè Theophania, Imperatoris Orientis filia. Vitâ functus A. 972, 8. Oct., postquam sedisset annis 7, minùs uno mense.

Hunc quidam cum Baronio pseudo pontificem volunt, quod vivente Benedicto, nullus alius potuerit eligi: Sed Benedictum fuisse mortuum in comperto est ex veterum supputatione. Quamquam aliàs tempora haec adeo sint obscura, ut neque, quo loco, neque, quo ordine quidam Pontifices reponendi sint, satis liqueat. Quidam etiàm referuntur tanquam legitimi, quos alii ex albo verorum Pontificum tanquam Antipapas & schismaticos expungendos censent.

DONUS II.

§. CXXXVIII. Romanus, quem alii Donnum seu Domnionem appellant: alii, inter Pontifices numerandum, perperam omittunt, nonnulli Benedicto successori post-

postponunt. Quamquam nullâ re gestâ ad posteritatis memoriam insignis extiterit, virum tamen integrum fuisse perhibent, qui nec laudem magnam nec reprehensionem promeruerit. Post trimestre defunctus fuit in Vaticano sepultus.

B E N E D I C T U S VI.

§. CXXXIX. Romanus, patre Hildebrando, de familia Albericorum Bonifacius quidam, cognomento Franco, primo tempore comprehendit illum per Cencium, Theodorae filium, & in castro S. Angeli reclusit: & haud multo post, ne ex Germania evocare posset Imperatorem, strangulae mandavit. Quamquam aliqui referant, in ergastulo fuisse fame consumptum, anno 974, secundo sui Pontificatûs. Sunt, qui hunc Bonifacium Pontificem recensent: Sed à nullo Antiquorum homicida ille crudelissimus numeratur.

Quare Papebrochius scribens, se ignorare, quinim Bonifacium excludant à vero Pontificatu, quem putat obtinuisse tolerantiâ Cleri, in *paralipomenis ad conatum* se corrigit hisce verbis: *Maneat Antipapa Bonifacius etiam hac vice.* Et ut verum esset, antiquiores quosdam Bonifacium inserere Pontificum numero: neque tamen ideo confendus foret verus Petri successor: Scriptorum namque veterum error nullum adferre potest veritati praejudicium: Nec usitatus Pontificum numerus esse facit, quod non est: quin, quod ab antiquis perperam factum, à posteris cautè emendatum fuit. Eodem autem errore quo Bonifacius VI, etiam hic VII. Pontificibus adnumeratur; qui, cum repentina morte interiisset, cadaver, fune ad pedes alligato per plateas tractum ac lanceis confossum, turpiterquè denudatum fuit relictum: donec quidam Clerici humaniores inhumanum monstrum in Basilica Lateranensi populari sepulturae terrae mandarunt.

B E N E D I C T U S VII.

§. CXL. **R**omanus, patre David, comite Tusculano, Episcopus Sutrinus, pulso raptore Bonifacio, ad Pontificatum omnium applausu assumptus in magna rerum & temporum vicissitudine satis tranquillè clavum tenuit. Ottonem III. a Germanis electum ad evitandum seditionem Imperatorem agnovit. Ob misericordiam in pauperes, aliarumquè virtutum specimina nomen immortale reliquit. Animam Deo reddidit A. 984, 10. Jul. cum sedisset an. 9, m. 1, d. 10. Sepultus in Basilica S. Crucis in Jerusalem.

J O A N N E S XIV.

§. CXLI. **L**ombardus, Archi-Cancellarius Ottonis Imp., Episcopus Papiensis, comitate ac morum suavitate perquam acceptus, à Bonifacio ex Graecia clanculum reduce, octavo Pontificatus sui mense, coniectus in molem S. Hadriani vel Castrum S. Angeli, poedore carceris, corporis inedia, animi molestia interemptus fuit A. 985, 20. Aug. Venerandum ejus corpus transportatum fuit in Basilicam S. Petri.

J O A N N E S XV.

§. CXLII. **R**omanus, patre Leone presbytero, tyrannidem Crescentii viri consularis ac potentissimi metuens in Tusciam recedens, haud multò post honorificà legatione ab univèrsa Urbe revocatus fuit. Vir erat prudentiae exquisitae, quae in reconciliatione inter Regem Angliae & Ducein Normannorum per ipsam procuratà emicuit. Immeritò hunc perstringit Platina, quique hunc sequuntur, ob Nepotismum, quasi cognatis suis nimium tribuisset. Idque Ideo factum deprehenditur, quod duo trèsvè ejusdem nominis aut veri aut perperam

peram unus interjectus Pontifex confundantur cum hoc Joanne XV. Siquidem Joannes filius Roberti, quem Marianus scotus, Godefridus Viterbiensis aliique intercalant, nunquam tamen consecratus, obstante fortiter clero, exosos habuit Clericos, & Clerici eum fuerunt averfati, qui cuncta suis consobrinis & agnatis, religioni & merito nihil deferebat. Joannes verò senio laboribusque confectus cum S. Udalricum Episcopum ritu solemni canonizasset, non diu post discessit, A. 996, 7. May. Sedit a. 10, m. 4, d. 12, in Vaticano sepultus.

S. GREGORIUS V.

§. CXLIII. Saxo, antea Bruno, patre Ottone Marchione Veronensi, matre Judith, Ottonis Imperatoris cognatus, in florida aetate ad summum Pontificatus apicem sublimatus, dignis moribus illum exornavit. Fuit Ecclesiasticae disciplinae studiosissimus, effusae in pauperes liberalitatis, quibus quovis sabbatho vestes distribuebat, alimenta quotidie. Germanis optimatibus perenne jus permittit, quem vellent deinceps, promovendi ad Imperii majestatem; unde multorum fert opinio, quod ipse Septemviratum Electoralem instituerit. Rebus multis praeclare gestis, & propterea à Ruperto Abbate Tuitiensi aliisque plurimum commendatus, mundum reliquit A. 999, 18. Febr. Sedit a. 2, m. 8, d. 6, sepultus in Vaticano.

S Y L V E S T E R II.

§. CXLIV. Aquitanus, antea Gerbertus dictus humili genere natus, ex Monacho Aureliacensi Ecclesiae S. Geraldii, deinde Bobiensi Abbate, à Remensi Archi-Episcopatu; ut malè occupato depositus, ad Archi-Episcopatum Ravenatensem receptus. Mathematicae imprimis Astrologiae & Geometriae

metriae peritissimus, sic, ut vulgo magus putaretur: praesertim cum saeculo illo caliginoso, quando cuncta jacebant in densissimis ignorantiae tenebris, paucissimi Matheseos essent gnari. Exiit quidem aliquando Sedi Apostolicae injurius, dum scilicet hac renitente, alienam occupasset; adeo ut, teste Baronio, nullus in Sedem Romanam promotus fuerit, qui eam ita profciderit ut hic: Sed in Pontificatu sese irreprehensibilem exhibuit. Nihilominus ex ejus Stomacho, atrâ bile aestuante emissum olim turpiter vomitum sorbentes nostri temporis Novatores in eandem rursus sanctam Ecclesiam effundunt, ut idem Cardinalis scribit. Quae autem mendacissimus pseudo Cardinalis Benno centum annis ab obitu Sylvestri commentus, quaeque creduli historici minus accurati, post Martinum Polonum, item heterodoxi moderni exceperunt, de obtento per Diabolum Papatu, fabula est, qualem Cranzius etiam agnoscit: atque ex coaeavorum & supparum scriptis manifestè destruitur. De eo Dithmarus Lib. 6. prodit: *Optime callebat astrorum cursus discernere & contemporales suos vera artis notitiâ superare.* Helgaldus vero Floriacensis monachus in *vita Roberti Regis*, scribit: *Sapientia suâ toto radiabat in mundo.* Glaber Rodolphus lib. 1. *hist. Ingenio acerrimus, artiumque liberalium studiis plenissimè instructus.* Viam universae carnis ingressus fuit Pontificatus sui a. 3, m. 4. In porticu ante fores Basilicae Petrinae sepultus; cujus epitaphium confectum à Sergio IV. Quod refertur de collisione ossium praesagâ futurae mortis pro tempore Papae, non ex epitaphio illo, sed ex officina fabulosa Martini Poloni depromitur. Cùm Anno 1648, pro reparatione illius Basilicae nova jacerentur fundamenta, repertum fuit Sylvestri corpus integrum in marmorea tumba Pontificiis vestibus amictum, brachiis in Crucis modum conformatis, capite tiara obtecto: sed confestim loco motum aëre permeante in cineres resolutum fuit, neque praeter argentam Crucem & Pontificalem anulum aliud quidpiam incorruptum permanfit.

JOANNES XVI. aliàs XVII.

§. CXLV. Romanus, cognomento Siccus, Tusculanorum Comitum factione sedem conscendit: sed ultra quimestre vix tenuit, quando non sine praebiti veneni suspitione in fata concessit A. 1003.

JOANNES XVII. aliàs XVIII.

§. CXLVI. Romanus, eadem factione, quâ praedeceffor, eventus fuit. De eo Platina scribit, quod *ad otium conversus nil dignum memoria gesserit*: quod alii modestiae illius tribuunt, quia paucis se rebus immiscuit, memor, quibus difficultatibus priores Pontifices se implicuissent. Fertur in monachos prolixè effusus, & Constantinopolitanae Ecclesiae conciliatae author. Mundo valedixit A. 1009, 18. Jul., dum sedisset a. 5, m. 7, d. 25, sepultus in Vaticano. Numeratur hic etiam, vulgi more, pseudopontifices recensentis, XIX, sic, ut exinde magna oriatur confusio & perplexitas: dum gesta quandoque tribuuntur uni, quae alii adscribunt alteri. Interim Hermannus Contractus scriptor satis accuratus hunc Joannem in Ordine XVII. appellat, quem communiter alii sequuntur.

SERGIUS IV.

§. CXLVII. Romanus, antea Petrus, patre Martino, Episcopus Albanensis, perenni sanctitatis Apostolicae & eximiae dilectionis memoria venerandus, sicut ejus testatur epitaphium:

*Pauperibus panis, nudorum vestis opima,
Doctor & egregius qui fuit in populo.*

Italiae

Italiae Principes exstimulavit ad junctim sacrum bellum Saracenis Siciliam occupantibus inferendum. Ad meliorem vitam transiit A. 1013, 13. Maji, Pontificatus sui a. 2, m. 8, die 13, sepultus in Ecclesia Lateranensi.

B E N E D I C T U S VIII.

§. CXLVIII. Romanus, antea Joannes, patre Gregorio Comite Tusculano, Episcopus Portuensis, à S. Henrico Imp. restitutus, quem Romae solemniter coronavit, eique postea devictis Saracenis manubiarum partem misit. In Germania Bambergensem Ecclesiam consecravit. E vivis abiit A. 1024, 29. Apr., cum sedisset a. 11, m. 9, d. 6. Visum Episcopo insidentem equo nigro & preces Odilonis fratrisque Joannis successoris postulantes, refert Petrus Damiani *epist. ad Nicol. II.* Quae fides huic adhibenda narrationi, non est hujus otii.

J O A N N E S XVIII. aliàs XIX.

§. CXXXXIX. Praedecessoris frater Germanus, antea Romanus dictus, ex laico statu ad Pontificatum, exemplo haecenus non viso, pervenit, autoritate patris sui, & profusa pecuniâ, quemadmodum fama ferebat. Facti poenitens vitam duxit mirificè ab omnibus laudatam. Non tamen, ut ex Petro Damiani contenditur, monachus factus ob relatam visionem. Quando Graeci totam ferè Curiam Romanam pecuniis corrumperant, ut Patriarchae Constantinopolitano titulum Oecumenici conciliarent, parum abfuit, quin Joannes consensisset, nisi Wilhelmi Divionensis Abbatis paracnesi morem detulisset. Vehementer à Principibus Romanis exagitatus, exul, suaeque Sedi per Conradum Germanorum Regem, Imperii insigniis ab ipso insignitum restitutus, morte subtractus A. 1033, 8. Nov., Pontifex

tifex annorum 9, m. 8, d. 9. Sepultus in Basilica S. Petri inter portam argenteam & Romanam.

B E N E D I C T U S IX.

§. CL. Romanus, patre Alberico comite Tusculano, frater duorum praecedentium, antea Theophilaetus, interveniente Thefaurorum pecunia Onus Angelicis humeris reverendum sibi imposuit puer decennis, ut Glaber Rodolphus, hoc ipso tempore vivens, notat: de qua re Baronius dubitat, tum quod primo anno Archi-Episcopo Hamburgensi pallium concesserit; tum quod ab exordio sui Pontificatus usque ad finem luxuriis semper inquinatus fuerit, teste Petro Damiani; tum quod Hermannus Contractus scriptor Synchronus perhibeat, illum ob inquinatissimos mores Sede indignum, de aetate tamen taceat; tum denique quod à viris sanctissimis, imò ab universa Ecclesia agnitus fuerit legitimus Petri in illa Sede Successor. Quae argumenta quibusdam videntur sufficientia ad Cardinalis conjecturam de provectiori aetate stabiliendam. Alii è contra existimant clariori opus esse contradictione, ut author Romanus, scribens suo tempore notissimam rem propter exempli abominabilis novitatem, notabiliter errasse credatur in designanda Benedicti aetate. Ut ut sit, fuit hic solo nomine Benedictus, in quo malitia superavit aetatem, in omnem libidinem effusus, suarum cupiditatum mancipium vilissimum, qui Orbis Christiani se praeferebat Dominum. Monstrum illud passa est gemens Ecclesia, quamquam pro ejusdem abolitione adhibita fuerint remedia, ipsis malis pejora. Simeonem Anachoretam Trevirensis, eodem, quo obiit, anno Sanctorum Catalogo adscripsit. Cum Casimiro monacho Cluniacensi dispensavit, ut Rex Poloniae electus thronum conscenderet, ea lege, ut in duabus Provinciis Cracoviensi & Gnesnensi à singulis capitibus quot annis unus Romanae Sedi persolveretur obulus in perpetuum, dictus deinde

T

de

de denarius S. Petri. Saepius expulsus, saepius reversus; tandem obtigit maledicto mors peccatorum pessima A. 1044. Si Petro Damiano credimus, horribilis post mortem apparuit damnati figura.

G R E G O R I U S VI.

§. CLI. **R**omanus, antea Gratianus, Archipresbyter S. Joannis ad portam Latinam, cognatus Benedicti, cum videret schisma ingravescere in maximam Ecclesiae perniciem, hos, qui nomen & dignitatem Pontificis praeferebant, zelo pietatis convénit, & quemque ad desistendum induxit. Quare de Ecclesia optimè meritis, in summum Pontificem unanimi consensu electus fuit & pro vero, germano Legitimóque Pastore agnitus. Labefactatam disciplinam solertiâ & magnanimitate sua restituit, & gregi sibi commisso perpetim invigilans, insidiantes de medio sustulit, perperam á malevolis ideo vir sanguinum habitus. Extra Italiam fama sparsa fuit, quasi Sedis incubatores pecuniâ ad renuntiandum induxisset, iisque certos proventus Ecclesiae assignasset, ut ipse hoc modo Pontificatum praefaret. Quapropter coacta per Henricum III. Imperatorem, cui Gregorius ob pietatis zelum parúm gratus, machinatione invidorum Synodo Sutrinâ, reprobatus fuit. Ipse verò, animadvertens, se malitiae obsistere non posse, ut graviora Ecclesiae mala imminencia prudenter praeveniret, voluit in bono vincere malum spontéque abdicavit; quod legitimè possidebat: quamquam non desint, qui referant, quod convictus de Simonia illico se confitentem exhibuerit, fortè inductus S. Gregorii Magni doctrinâ quod *viri religiosi sit ibi agnoscere culpam, ubi non est culpa.* Constat interim, quod ob praeclarissima gratiae & naturae dona, nec non ingentia afflictiissimae collata Ecclesiae beneficia temporalia aequè ac spiritualia á viris sanctissimis & illius temporis doctissimis fuerit commendatus: de quo videri possunt
 Gilber-

Gilbertus historicus, Wilhelmus Malmesburiensis *Lib. 2, Hist. Angl. cap. 13.* aliique. Postquam se abdicaverat, solitariae deinde vitae amore ductus ad monasterium Cluniacense secessit, ibique soli Deo vacans ad coelestem patriam tendit A. 1046. Itaque falsum est, quod Platina refert, Romae mortuum: & inanis fabula, qua citatus Wilhelmus afflatus fuit, quod corpus ejus nexibus obseratum prodigiose in signum innocentiae fuerit solutum. Sedit a. 2, m. 8.

C L E M E N S II.

§. CLII. Saxo, antea Suidgerus à Mayendorff, Episcopus Bambergensis secundus, quondam S. Henrici Cancellarius, vir eximia doctrina & virtute praeditus, reluctans Gregorio per Imperatorem substituitur in Ecclesia S. Petri, ubi Clerus populusque Romanus congregatus in ejus personam consensit, ita tamen, ut compelleretur jurare, nunquam futuram electionem sine Imperatoris approbatione. Disciplinam Ecclesiasticam valde remissam instauravit, Simoniacam pravitatem extirpare molitus fuit coacto Romae Concilio. Henricum ejusque conthoralem Agnetem ipsa Natalis Domini die coronavit & Imperialibus insigniis condecoravit. Dum in Germaniam proficisci veller (alii in comitatu Imperatoris Gregorium secum abducentis fuisse memorant) invida mors A. 1047, 9. Oct., eum abripuit, forte veneno accita: quod juxta quosdam apud Platinam Damasus successor paraverat, vel arte magistra Italicorum confectum ut Cranzius indicat. Sedit m. 9. Corpus Bambergam translatum.

D A M A S U S II.

§. CLIII. **B**avarus, antea Poppo seu Stephanus, Bagnarius, non Brixienfis nec Aquileienfis, fed Brixinenfis Epifcopus, ab Imperatore mittitur Romam, ubi honorificentiffimè fufceptus, & fuffragiis omnium eligentium comprobatus, Sedem Petri confcendit, quam nonnifi diebus 23. tenuit: quia Prenefte morte praeoccupatus A. 1048, ad S. Laurentium extra Urbem terrae mandatus fuit. Hunc ficut & praecedentem Platina intrufum fcribit, fecutus Martinum Polonum: quem proinde Onuphrius Panuinius corrigit, cum nullus antiquorum teftetur, hos cita morte fublatoſ extitiffe invafores aut exiftimatoſ fuiſſe. Non defunt, qui hunc pariter veneno fublatoſ obſervent; quod non incredibile: quia & Pontificatûs brevitâs & Italorum Germanis adverfantium, & ſcleratorum temeritâs fufpicionis fomitem miniſtrant.

S. L E O IX.

§. CLIV. **A**lfata, antea Hugo, patre Hugone comite Dagspurgenfi & Egiſheimienfi, Epifcopus Tullenſis, ab Imperatore, quem Romani, invidiâ magis alternâ, quam honore regio moti rogaverant, ut Eccleſiae de capite provideret, designatus; cùm Romam pergeret, perſuaſus ab Hildebrando Priore monaſterii Cluniacenſis, ut Pontificium habitum deponeret, quo ad uſque à Clero & Romano populo aſſumptus eſſet, nudis pedibus Urbem ingreditur: qui à cunctis eò libentius agnitus fuit; quod confiteretur Pontificis electionem ad Clerum, non ad Caefarè pertinere. Et fanè digniſſimus fuit, qui ſederet in hoc throno, quem tot ſclerati ſuis horrendis ſpurcitiis & immani tyrannide contaminaverant. Fuit enim innocentia, cordis compunctio, benignitate, patientia, humilitate, hoſpitalitate, beneficentia, morum comitate erga omnes, Apoſtoli-

stolicae religionis Zelo, ante & in Pontificatu spectatissimus. Psalterium quotidie recitabat, celebrabat, quamdiu Romae fuit, tribus per hebdomadam diebus. A lateranensi Ecclesia ad S. Petri, privato habitu, nudis pedibus, nocte orans cum paucis Clericis peragrabat. Chameuniae illi familiares, cicilio ad carnem induto. Vir simplex; sed eruditissimus, ut ejus sermones & epistolae Decretales evincunt. Sacra studia jugiter colebat. Linguam Graecam ferme quinquagenarius addidicerat, ut scripturam sacram pariter graecè intelligeret. Praestantissimis olim Pontificibus haud impar, quorum resuscitavit Deus spiritum in Leone; qui Italiam, Galliam, Germaniam, pastoralis muneris obeundi causâ in senectam usque & in senium lustravit, consecratis templis, castigatis moribus, profligata haeresi Berengariana, exterminata simoniaca pravitate, facta conciliatione inter Principes Christianos, procurata unione inter Graecos & Latinos, celebratis quamplurimis conciliis. Captus à Normannis & Beneventum ductus, nec multò post honorifice remissus, Romam reversus, invalescente indies languore, cunctis prius benedicens & admonitis valedicens, Sanctoque Petro peccata sua confessus, devotè se illi commendans, ut perhibet Hermannus contractus, Ssmæ Eucharistiae & extremæ unctionis Sacramentis piissimè susceptis, die, quo praedixerat 19. Apr. 1054. ad perennem Sanctorum gloriam transiit, sacris Dyptichis adscriptus. In vita & post mortem miraculis coruscans. Sedit a. 5. m. 2. d. 7. Episcopatum Tullensem sibi ad extremum usque reservavit, constituto suffraganeo; sepultus ad S. Petrum, juxta sepulchrum Sti. Gregorii Papæ, elevatus & reconditus supra proprium altare. Anno 1606. in Vaticanæ Basilicæ demolitione repertum ejus corpus, ut Aringus memorat, longitudine 9 palmorum & 18 Januarii in Basilicam novam translatum. Eidem Pontifici, Lessum canens inscriptit coævus.

*Victrix Roma dole, nono viduata Leone,
Ex multis talem vix habitura parem.*

Leo putatur primus Pontificum, qui sub nominis sui numero, cudi monetam fecerit. Primus quoque qui in nominis subscriptione usus est monogrammate in orbiculo ⊕ aut (L.E.) sed neque ipse, neque proximorum Sæculorum Successores confueverunt initio rescriptorum sua nomina ponere. Bullis præferebant R. P. M. Modò: *In perpetuam rei memoriam.*

VICTOR II.

§. CLV. SUEVUS, antea Gebhardus, patre Arduigo Comite, Episcopus Eistetenensis, postquam sedes diu vacasset ob Theophilacti machinationes, hic ab Imperatore, missò Româ ad ipsum Legato Hildebrando, Pontifex datus. Prædecessori aliquando molestias creaverat, indolens tamen, cum sibi ab aliis illatas persentiret, hoc dicto lenire solebat: *Merito punitur Paulus ob ea, quæ fecit Saulus.* Fuit insuper Decretorum sui prædecessoris assertor ac defensor strenuus, simoniacos, concubinariorios ac iniqua machinantes severè puniendo. Henrico Imperatori agonizanti in Germania adstitit, illiusque filium in tutelam recepit. Malis exosus, Deo bonisque dilectus, vitæ discrimen per propinatum à Subdiacono venenum evasit, quando Calicem sacrum ob gravitatem attollere non poterat, & dæmon propinantem invasit. Florentii flos vitæ suæ decidit 1057. cum sedisset an: 2. m. 3. d. 13. ibidem tumulatus.

STEPHA-

STEPHANUS X. *alias IX.*

§. CLVI. **L**otharingus, antea Junianus Fridericus patre Gozelone Duce Lotharingo, ex abbate Gassinenſi Cardinalis S. Chryſogoni, doctrina & multigena rerum experientia ac pietate præſtans, à Romanis electus fuit. Eccleſiam Mediolanenſem nimium ſefe efferentem compeſcere & Romanæ ſubefſe curavit. Petrum Damiani renitentem in ſacrum Cardinalium Collegium adoptavit, qui eum proinde ſuum vocat perſecutorem. Legationem decreverat in orientem, ut Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſchiſmate ſejunctam Occidentali communioni affociaret: Sed pium conatum mors immatura præimpedit. Florentiæ, Reipublicæ cauſâ profectus, cum ingraveſcente morbo decumberet, adfuit S. Hugo Cluniaceniſis Abbas, eumque ab inſulibus dæmonum liberavit; vitam denique felici morte finiit A. 1058, 29. Mart., clarus miraculis, quibus Deus teſtatus fuit, eum in terris pariter & in Cælis fuiſſe gratioſum. Sedit m. 7.d. 28, ſepultus in Eccleſia Cathedrali.

NICOLAUS II.

§. CLVII. **B**urgundus, antea Gerardus, Epicoſopus Florentinus; Senis, cum Romæ ob tumultum non liceret, communi pacis & unitatis ſtudioſorum ſuffragio Pontifex creatus, cui nihil magis curæ fuit quam, ut res Eccleſiæ turbatus pacatas redderet. Humilis quoque & multæ miſericordiæ, de quo Petrus Damiani Cardinalis teſtatum reliquit: quod integro anno paſſus non fuerit præterire diem unicum, quin duodecim pauperibus pedes ablueret eoque paſceret. Berengarium, coacto Romæ Concilio, ad ſaniorum mentem compulſit. Nortmannos Romanæ Eccleſiæ reconciliavit. Ordinis Monachi amantiſſimus, privilegia & immunitates ei conceſſit. Jus electio-

electionis ad Cardinales restrinxit, sic tamen, ut ea esset consensu Cleri populique Romani confirmanda. Florentiæ florere defuit morte consumptus 1061. 25. Jun: postquam sedisset an. 2. m. 6. honorificè sepultus ibidem in Ecclesia Sanctæ Reparatæ.

ALEXANDER II.

§. CLVIII. **M**ediolanensis, antea Anselmus de Badagio, patre Anselmo, Episcopo Lucensis, absens electus, Imperatoris aulam habuit infensam, cui tam fortiter restitit, ut Ecclesiam jam diu ancillatam in pristinam reduxerit libertatem, rebelles armis compeferet, morigeros beneficiis afficeret: Sibi omnes, maximè adnitente Annone Coloniensi Archi-Episcopo devinciret. Canticum *Alleluja* in Vesperis Septuagesimæ ultimò adhiberi iussit. Viros litteratos, præsertim religiosos magni fecit, & datis privilegiis continuò fovit. Lucam Episcopalem urbem exornavit, præfecitque virum eruditissimum Anselmum. Et quumquam Scriptorum communi consensu fuerit Pontifex probus juxta ac providus, in eo tamen minus prudenter egisse visus fuit, quod Henrici Imperatoris precibus fatigatus Guibertum Corrigiam, hominem seditiosum Ravennatensem Archi-Episcopum creaverit. Dono equidem miraculorum illustri, ut de eo testatur Leo ostiensis *Lib. 3. Cap. 35.* ad meliorem vitam transit. 1073. 22. Ap. Pontificatûs a. 11. m. 6. d. 22. sepultus in Vaticano.

S. GREGORIUS VII.

§. CLIX. **S**oannensis, antea Hildebrandus, patre Bonizo, Fabrico lignario, Ord. S. Benedicti, Cluniacensis olim Prior, S. R. E. Archi-Diaconus plurimis pro Ecclesia Dei confectis legationibus patratisque heroicis actibus in omnium admiratione

ratione & veneratione, Kalendis Maji in Basilica S. Petri, ab omnibus Cardinalibus, clericis, acolythis, Subdiaconis, presbyteris in praesentia Episcoporum, Abbatum, multorum tum Ecclesiasticorum tum Laicorum electus Pontifex, ut habent Litterae Electionis apud Platinam, in quibus vocatur vir multae doctrinae, magnae pietatis, prudentiae, justitiae, constantiae, religionis, modestus, sobrius, continens, domum suam gubernans, pauperibus hospitalis &c. Vix thronum conscenderat, dum maxime in hoc incubuit, ut foedatam sordibus Simoniae ac Luxuriae Ecclesiam decori pristino restitueret. Quem in finem Henricum IV. Imp. admonuit, ut deinceps ab Episcopatum, & beneficiorum venditione, aliisque excessibus scandalosis abstineret, contumacem redarguit, persecutionesque virili pectore sustinuit. Carceres, exilia, ludibria, ignominiosissima dictoria, integerrimae vitae Praesul perpeffus, a Deo confortatus victor evasit. Ipsius Regibus formidabilis, totique orbi admirabilis talis extitit, ut in eo nihil desiderari potuerit praeter feliciora tempora, atque longiorem vitam, qualem rerum circumstantiae requirebant. Ejus gloria nunquam potuit Schismaticorum scriptorum, Schismaticis Principibus faventium calumniis obscurari, vel minima sui parte minui; quin potius longe clarior est semper reddita atque illustrior. Obmutescant igitur nostri temporis heterodoxi & digitum ori imponant, qui perditissimi calumniatoris Bennonis pseudo Cardinalis testimonio falso nixi, virum incomparabilem tot laudibus a coevis & supparibus celebratum, ut hominem scelestissimum reprehendere non verecundantur, male loquentes ubique, quia nullibi bene loqui didicerunt. Et quia nihil tam probum, aut sanctum, quod malignitas vellicare non possit: etiam sacra necessitudo, quae Gregorio cum virtuosissima Mathilde comitissa intercessit, a Clericis, quibus uxorum usum aut concubinarum contubernium severissimis decretis prohibuerat, impie reprehensa fuit; quasi sub eadem furtivus amor mutuus latitaret, ut refert Lambertus historicus Synchronus

chronus. Verum inculcata integerrimi Pontificis vita & utriusque nota castimonia suapte effecerunt, nullam ut fidem apud viros prudentes, tam putidæ obrectationes & mendaciorum portenta invenirent. Sed neque ullam merentur, quæ malevolus Sigebertus effutiit, dum *in Chronico* scripsit, Gregorium sensisse, presbyterum concubinarium invalidè consecrare. Hujusmodi commatis sunt, quæ viri perversi & in reprobum sensum acti, purissimi consilii viro impingere moliti sunt. Illius dogmata inconcussa apparent luculenter in Dictatibus suis, & nullius Pontificis à tempore S. Gregorii Magni meliores, qui abundant Sententiis generosis, succo cælesti, unctione Spiritus Sancti referri. Salerni existens, tandemque exhaustus, mortiquè proximus, dixit: *Dilexi Justitiam & odi Iniquitatem, propterea morior in Exilio.* Ad patriam pervenit A. 1085, multis in vita & post mortem miraculis clarus. Martyrologio Romano insertus 1584 sepultus Salerni in Ecclesia S. Mathæi. Sedit a. 12. m. 1., d. 13. Corpus Ao. 1573. integrum repertum Sacris amictum.

VICTOR III

§. CLX. **B**eneventanus, antea Desiderius, patre Duce Beneventano, quodam Abbas Cassinensis, Monachorum Archangelus à Petro Damiani nuncupatus, S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ, ipso die Pentecostes in Diaconia S. Lucie electus: Sed aufugit in suum Monasterium, plusque laboris impendit, ne debito honore afficeretur, quàm ejus corrivalis adhibuit, ut sibi immerito obveniret, tandem plurimum instantiis victus, ut Ecclesiæ necessitatibus succurreret, Romæ inaugurari se permisit. Sed haud multò post depositis insignibus Pontificiis Cassinum rediens, integro ferè anno ibidem pacatè transegit vitam religiosam: quæ hominis fluctuatio & animi inconstantia pluribus displicuit. Alia quædam ab Hugone competitorè conficta sunt: uti & illud, quod Romæ sub sacrificio fuerit

fuerit percussus à Deo. Siquidem Benevento, ubi Concilium indixerat, infirmus Cassinum deportatus dysenteriâ obiit 1087. 26. Sep. Pontificatus a. 1, m. 3., sepultus ibidem.

U R B A N U S II.

§. CLXI. Gallus, antea Orho, patre Eucherio, matre Jfabelle, prius Canonicus Regularis, post monachus Cluniacensis, Cardinalis Episcopus Ostiensis Terracinæ in Campania Pontifex creatur, qui doctrinâ ac vitæ Sanctitate summo in Ecclesiastica hierarchia dignus erat gradu. In divinis Scripturis apprime cultus atque Ecclesiasticis traditionibus imbutus in earum observatione constantissimus est habitus. S. Brunonem, cujus olim fuerat Discipulus, ex solitudine, ut sibi assisteret, accivit. Celebratis plurimis Conciliis leges condidit illis temporibus & moribus aptissimas. Bellum sacrum ad recuperandam terram sanctam, pro viribus promovit. Primatum in Hispania Archi-Episcopo Toletano concessit, multaque alia gloriose patravit. Demum ex Gallia in Italiam rediit Romæ sancto sine quievit A. 1099, 26. Jul. Sedit a. 11, m. 4, d. 18, sepultus in Vaticano. Ejus memoria in Martyrologio Monastico, & apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum celebratur.

Ab Urbano II. creditur concessum Diploma Salerni Ao. 1097. in gratiam Roggerii Comitis Calabriae & Siciliae, & filii Simonis, & alterius, qui ejus legitimus hæres extiterit, quo putatur Princeps Siciliae Legatus à Latere natus summi Pontificis: ideoque sibi jus arrogat puniendi, absolvendique excommunicatos &c. etiam Cardinales. Baronius *Tom. II. Annal.* doctissime refutat MONARCHIAM illam, quam Hispani SPIRITUALEM appellant; & convincit instrumentum mutilatum, duntaxat Roggerio ejusque filio datum, toties revocatum, quoties Regnum Siciliae in novam familiam transit. Hujus to-

mi Baroniani Lectio severè prohibita in utroque Siciliae Regno. Fuit etiam hæc Quæstio in editione Antwerpiensi omiffa: & nihil non factum aut præteritum, ut privilegium illud in suo vigore permaneret: quod quidem à variis Pontificibus (hos inter perperam pseudo Papa Petrus Leonis recensetur) prætenditur confirmatum.

P A S C H A L I S . I I .

§. CLXII. Tuscus, antea Raynerus, patre Crescentio, matre Alfata, ex monacho Cluniacensi Abbas ad S. Laurentium extra muros, S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis, è latebris extractus, ritùque solemnè consecratus, varia imprimis loca Ecclesiæ adempta dextrè recuperavit, rebellesque comescuit. Sed dum conformiter statutis suorum prædecessorum jus investituræ & collationes beneficiorum Ecclesiasticorum Imperatori & Regi Angliæ denegat, persecutiones passus, in oppugnatione Urbis captus, 2. mensibus tentus, ad redimendam vexam Imperatori concessit investituram Episcoporum. Quam concessionem in Conc. Later. velut vi extortam rescidit & damnavit, usque adeo, ut penitentiâ ductus se ipsum Pontificatu abdicare voluisset, nisi à Patribus aliter fuisset persuasus. Variis curis arumnisque fractus cum suos ad charitatem & constantiam hortatus fuisset, Sacramentis devotè receptis, optimus Senex naturæ debitum persolvit IIII. 8., 2. Jan. Sedit a. 18, m. 5. d. 4. sepultus in Laterano.

G E L A S I U S . I I .

§. CLXIII. Campanus, antea Joannes, nobili genere natus patre Crescentio, ex Monacho Cassinensi S. R. E. Cardinalis Diaconus & Cancellarius paribus omnium votis ac desiderijs reclamans assumitur. A Cæsarianæ factionis conjuratis è thro.

è throno detractus per capillos & brachia raptus intrà ipsum templi limen calcatus, cruentatus & in carcerem coniectus fuit. Accursu populi mox ereptus in Palatium introductus jam consecrandus superveniente Imperatore aegrè evadit. Teracinæ presbyter & Pontifex consecratur. Demum in Galliam profugus, ac in monasterio Cluniacensi pleuritide ac podagrâ correptus, facta confessione Sacramentali, sumptoque sacro Viatico, cinere conspersus, humi jacens, plenus dierum animam Deo reddidit 1119. 29. Jan. cum sedisset a. i. d. 4. Sepultus in ipso monasterio Cluniacensi, martyrio incruento pro justitia venerabilis ab Arnolde Wion in *Martyrologio monastico*, à Philippo Ferrario in *additis ad Romanum*, Sanctus prædicatur.

CALIXTUS II.

§. CLXIV. Burgundus, antea Guido, patre Guilielmo Burgundiæ Comite, matre Gertrude Matisconensi, Regio stemmate illustris, Cluniaci electus, Romæ cum maxima gloria receptus. Pietate, industria, eruditione, autoritate, Principum gratia spectatissimus. Collapsam Clericorum castimoniam severis legibus adstrixit; cum Imperatore ac Rege Angliæ pacem iniit, Ecclesiæ Viennensi Primatum in Gallia tribuit. S. Jacobo Apostolo addictissimus, ad ejus sacras reliquias peregrinationes in Hispaniam etiam opere promovit. In Concilio recumenico Lateranensi, primo in Occidente, multa salutaria instituit. Pomeranos, ope Ottonis Episcopi Bambergensis, ad agnitionem Evangelii perduxit. Febri lenta consumptus post confessionem Sacramentalem & sanctissimi Viatici sumptionem pretiosa morte in æternam requiem abiit 1124. 19. Dec. Pontificatus a: 5. m. 10 d. 13. sepultus in Lateranensi Basilica. Virtutibus, scriptis ac miraculis insignis in *Martyrol: Gallic: ponitur.*

HONORIUS II.

§. CLXV. **B**ononiensis, humili loco natus, antea Lambertus de Fagnano, Episcopus olim Velletrensis, tunc Ostiensis. Ejus ad Pontificatum ingressus illegitimus. Qui postea pœnitentia ductus, evoluto septiduo coram omnibus Cardinalibus dignitati renuntiavit, & amictum Pontificalem lubens exuit. Jussus tamen illico resumere, ab omnibus pari consensu canonicè assumitur; ea dimissione dignior, quàm intrusione certior. Excelluit eruditione sanctisque moribus. Familiaritate præclarissimorum virorum mirificè delectatus, quos juxta merita promovit. Insigni præ ceteris benevolentia persecutus fuit S. Hugonem de S. Victore, Doctorem Parisiensem. Contumaces & rebelles Abbates Cassinensem & Cluniacensem in ordinem redegit, Ordines Præmonstratensium & Templariorum approbavit. &c. &c. Laterani mortem sibi imminere sentiens ad moasterium S. Andreae portatus piè obiit 1130., 14. Feb. Pontificatûs a. 5. m. 1. d. 17. sepultus in Laterano. Vacat Sedes tantùm d. 2.

INNOCENTIUS II.

§. CLXVI. **R**omanus patritius, antea Gregorius, patre Joanne De Paparefcis, Canonicus Regularis, Abbas, Cardinalis Diaconus tit: S. Angeli, electus in Galliam profugus, Romam reductus Lotharium Imperatorem coronavit, eiquè jus investituræ denegavit. Captus à Rogerio Siculo benehabitus, Regis titulum, antea malè usurpatum & Siciliae regnum concessit sub onere præstandi homagii; fuitque regnum patrimonium S. Petri deinceps nuncupatum. Extitit severissimus religionis vindex, summa tamen œconomia & mansuetudine erga Catholicos Reges, sicut in cæteris omnibus prudentiâ ac solertiâ agendi usus: quamquam parastati suo S. Bernardo Abbati

Abbati Clarevallenſi extremis temporibus non æquè ac heri & nudius tertius benevolum ſeſe exhibuerit. Graviter afflictuſ ex Romanorum conſpiratione, qui conſulatum veterèmque Reipublicæ formam inducere moliebantur, carnis ſarcinam depoſuit 1143. 24. Sept. cùm ſediſſet an. 13., m. 7. d. 8. Sepultus in Laterano in concha Porphyritide, quæ in Mauſolæo Adriani fuit.

COELESTINUS II.

§. CLXVII. Tuſcus, è Caſtro Felicitatis, quod olim Tiphernum dictum, antea Guido de Caſtello, genere obſcurus, pacificè electus, pacificum Pontificatum geſſit. Nequaquam rebus geſtis ob temporis brevitatem clarus: de quo vulgo circumferri ſolet, quod primus abſque populi conſenſu Pontificatum Romanum adeptus fuerit. Hoc tamen ſic intelligendum, ex parte populi illius nihil deſuiſſe, qui ad hujusmodi electionem conferre poterat, ac ſolebat applauſum, ſcilicet favorem & communis lætitiæ ſigna. Conſtat ſiquidem ex ſcriptorum monumentis, quod jus ſuffragii jam ab integro ſæculo illi ademptum fuerit. Cum totam Italiam lues peſtifera invaſiſſet, Cœleſtinus uno tantùm ſcelix, quod nullis perturbationibus concuſſus fuerit. Commune naturæ tributum perſolvit 1144, 8. Mart: cum duntaxat præſuiſſet m. 5. d. 13. Sepulchrum nactus in Eccleſia Lateranenſi.

LUCIUS II.

§. CLXVIII. Bononiënſis, antea Gerardus, patre Alberto Urſeo de familia Caccianimicorum, ex Canonico Regulari Congregationis S. Salvatoris Abbatix B. M. V. De Rheno quatuor Bononiâ paſſuum millibus, Cancellarius, Bibliothecarius, Cardinalis Presbyter titulo S. Crucis in Jeruſalem,

Iem, ad Ecclesiæ regimen sublimatus, laudabiliter, sed minùs tranquillè Pontificatum gessit, plurimùm agitatus à Romanis regnum Democraticum introducere volentibus. Nec minores molestias sensit à Rogerio Siciliae Rege sibi illatas. Ut planè afflictis in Asia rebus Ecclesiæ succurreret, nullâ interpositâ morâ expeditionem novam sollicitavit, & supplementa exercituum procuravit. Tædio affectus præsentis vitæ in monasterio S. Gregorii ad clivum scauri mortem oppetiit 1145. 25. Feb. Alii perhibent necatum ex lapidis ictu, incerta manu vibrati. Sedit vir longiore vitâ dignus A. 11., d. 14., sepultus in Ecclesia Laterana.

EUGENIUS III.

§. CLXIX. Pisanus, antea Petrus Bernardus, Monachus Clavallensis, Abbas Romæ Ordinis Cisterciensis, contra morem decreto Romanæ Synodi sub Stephano III. indutum, extra Collegium Cardinalium electus, majori Sanctitatis amore, quàm rerum gerendarum peritiâ Patribus allectis; præterquam quod S. P. Q. R. tumultuante ex eligendi mora Ecclesiæ certissimum periculum imminere adverterent. Rebellionum Romanorum & Arnaldistarum furorem declinans, ad Farnense monasterium secedens, ibi consecratus fuit. Factiosis compulsis ad obsequium, Romæ inter faustas acclamationes receptus, neq̄ multo post Viterbium se recipere coactus fuit, ubi Armeniorum Episcoporum Legatis receptis, remotissimo populo Sacrorum formam præscripsit. In Galliam profugus Regem in Sarzenos animat, & recuperationem terræ Sanctæ commendat. Romam denique reversus summa cum laude officii Pastoralis munia adimplevit. Humilitatem admirabilem, cum dignitatis celsitudine conjunxit, vitæque monasticæ asperitatem, quantum licuit, sectatus est. Cultor probitatis, ab avaritia, muneribus recipiendis alienus, pater justitiæ ac bonorum

rum omnium patronus. Libros quinque de Consideratione à S. Bernardo sibi inscriptos gratanter recepit, non ubiquè post-hac aequè gratos. Treviris existens plura templa consecravit, quasdam revelationes S. Hildegardis approbavit. Gloriam Christi Ecclesiaeque suae latè amplificandae vigilantissimus, majora meditans, Tiburi morte plurium fidelium comploratâ lachrymis, coelitem numerum auxit A. 1153, 8. Jul. Sedit an. 8, m. 4, d. 1. In Basilica S. Petri Romae sepultus. Post mortem miraculis claruisse, quae ad ejus tumbam contigerunt, antiquissima monumenta testantur. Hinc Kalendario Cisterciensi & Menologio Benedictino inscriptus cum titulo Beati, quamquam de publico & universali cultu non constet.

ANASTASIUS IV.

§. CLXX. Romanus patritius, antea Conradus patre Benedicto de Subura, ex Canonico Regulari, prope Valentiam in Galliis, Provinciae Arelatensis (alii in Dioecesi Veliter-nensi volunt) Abbate Episcopus Cardinalis Sabinensis, omnium Cardinalium vocis Pontifex renunciatus, durante suo Pontificatu largas elemosynas, plerumquè occultè largitus fuit, cum in-gens eo tempore fames grassaretur. Homo Veteranus, & in consuetudine Curiae Romanae egregiè exercitatus, ut continua-tor Chronici Ottonis Frisingensis testatur. Insigne palatium construxit apud vetus Pantheum, vulgò S. Mariam Rotundam. Plura insuper destinaverat, quorum executionem mors praema-tura impedivit. Nimiae facilitatis arguitur in Fridericum II. Imperatorem, qua ille postea abusus fuit. Carnis indumenta depusuit A. 1154, 2. Dec. cum sedisset a. 1. m. 4. Sepultus in Laterano.

H A D R I A N U S I V .

§. CLXXI. **A**nglus, antea Nicolaus Breckspeare seu hastifragus, parentibus infimæ fortis, in Monasterio S. Albani enutritus Canonicus Regularis, Abbas, in Gallia, Episcopus Cardinalis Albanus, Legatus in Norwegia. Pontifex Urbem sub interdicto posuit, quousque Arnaldum de Bressia haeticum expellerent. Beneventi obsessus sub duris conditionibus liberatus, Imperatorem sibi infestum sensit. Magnanimus, tantæquæ integritatis, ut nec obulum suis propinquis dederit, sic, ut matrem suam commendaverit alendam elemosynis ex Gazophilacio Ecclesiae Cantuariensis, magnum relinquens Ecclesiae Praelatis exemplum. Protestatus fuit se nihil unquam foelicitatis aut sinceræ quietis in summa illa dignitate reperisse. Anagninæ ex angina vitam amisit A. 1159, 1. Sept. unde data occasio fabulandi cuidam schismatico, eum mulca in os subeunte necatum, cum diceret Anathema Friderico Imperatori. Sedit a. 4, m. 8, d. 28. Romam translatus in Basilica S. Petri tumultatus fuit.

A L E X A N D E R . I I I .

§. CLXXII. **S**enenfis (alii dicunt Mediolanensem) antea Rolandus patre Rainuntio, ex Canonico Regulari Pisano, presbyter Cardinalis titulo S. Marci, S. R. E. Cancellarius, à 24. Cardinalibus Pontificatum à S. Bernardo prognosticatum obtinuit. Vir fuit piissimus, humanissimus, constantissimus, tamque eruditus, ut ad ejus litteraturam pauci ex prædecessoribus unius Sæculi spatio accesserint. Neque tantum diuturnitate Pontificatûs, sed rebus in eo gestis clarissimus. Imperatorem Schisma foventem, à Christianorum communione præcidit: sed ejus violentiam subterfugiens, in Campaniam, dein in Galliam recessit, ibidem à binis Regibus Galliae & Angliae, nec non ab uni-

universo clero populoque perhonorificè receptus, Turoni Synodum pro unitate Ecclesiæ celebravit. Iniquis machinationibus Regis obsistentem Thomam Archi Episcopum Cantuariensem protexit, ejusque mortem vindicavit. Ambitionem Imperatoris Orientis dextrè elusit. Ad Aethiopiae regem in fide magis instrui cupientem litteras dedit dogmaticas. Clam Venetias fugiens, ibique agnitus, summis honoribus affectus fuit. Ibi pariter cum Imperatore sese humiliante foedera pacis iniit. Addunt alii Alexandrum calcato collo Imperatoris veniam petentis dixisse: *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem.* Caesarem autem indignabundum reposuisse: *Non tibi, sed Petro;* cui Papa: *Et mihi & Petro.* Verum Alexandri mansuetudo, & coevorum Scriptorum silentium fabulam esse docent. Sancivit, ne Pontifex electus ratur haberetur, nisi ad minimum duas tertias haberet suffragiorum, atque ab eo tempore ad solos Cardinales jus eligendi restrictum & stabilitum fuit. Concilium Generale celeberrimum in Laterano coëgit: aliâque per multa heroica patravit. Hinc migravit in terram viventium 1181. 25. Aug. Pontificatus sui a. 21. m. 11. d. 23. Sepultus in Basilica Lateranensi.

LUCIUS III.

§. CLXXIII. Lucensis, antea Ubaldus, è nobili familia Allucingula, patre Bonagiunda Morlo, ex Canonico Regulari Lucensi presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis, Legatus Apostolicus in Gallia, Episcopus Ostiensis, jam Senex & plenus dierum summum honorem consecutus fuit. Quam charus ab initio, tam odiosus postea Romanis, quando Consules eorum abolere moliebatur. Fugam capere coactus Veronam se contulit, ubi coactâ Synodo Romanorum improbitatem improbat, & Principes Christianos pro recuperatione terræ sanctae adhortatus est. Ipse terras deseruit 1185. 25. Nov. postquam

fedisset. a. 4. m. 2. d. 28. Sepultus in Ecclesia Cathedrali, ubi hocce etiamnum extat epitaphium.

*Luci: Luca tibi dedit ortum, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.*

*Imo Verona dedit verum tibi vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.*

U R B A N U S III.

§. CLXXIV. Lombardus, antea Lambertus Oribelli, genere nobilis, Archi Episcopus Mediolanensis, Veronæ in Sede Petri collocatus, cum Friderico Imperatore graviter collisus. Ferrariae existens, nuntio accepto de Occupata per Saladinum Jerosolyma, mterore contabuit ibique moritur Pontificatus a 1. m. 10. d. 25; sepultus in Ecclesia Cathedrali. Post annos 128. translatus ad dextram altaris majoris in marmoream tumbam quatuor columnis sustentatam.

G R E G O R I U S VIII.

§. CLXXV. Beneventanus, antea Albertus, ex nobili familia de Mora, presbyter Cardinalis titulo S. Laurentii in Lucina, S. R. E. Cancellarius ultimus, ad Pontificatum Ferrariae assumptus, nullum sibi surrogavit: sed Moysem Canonicum Lateranensem Cancellarii vice fungi jubet, sic, ut sequentes omnes fuerint vice Cancellarii. Pisas Profectus, ut Christianos Principes adhortaretur pro recuperatione Jerusalem, morte abripitur 1187. 16. Oct. m. 2. sepultus in summo templo.

C L E M E N S III.

§. CLXXVI. Romanus, antea Paulinus patre Joanne Scholari, Pisis ab 18. Cardinalibus electus, prædecessoris conatum executioni mandare studuit. Cum Romanis jam ab annis

annis 50. de Urbis Regimine contendentibus pacem iniit, mores Cleri correxit, in decrepita aetate hominem deposuit 1191. 25. Mart. Pontificatûs a. 3. m. 3. d. 4. sepultus in Ecclesia Lateranensi.

COELESTINUS III.

§.CLXXVII. **R**omanus, antea Hyacinthus: nobili profapia, patre Petro Bobo, Diaconus Cardinalis titulo S. Mariae in Cosmedin, aetatis 85, quorum 65 in Diaconatu transegerat, legitime susceptus. Pro recuperatione Jerusalem apud Christianos Principes instare non destitit. Imperatorem Henricum VI. coronavit. Coronam Imperialem pede conculcasse, quo significaret, potestatem se habere donandi & auferendi, cui vellet; etsi moderni quidam referant, antiqui silent. Nec veri simile est mansuetissimum senem Christiano Imperatori tam palam insultare voluisse in Sacro inaugurationis ritu. Migravit, cum sedisset a. 6. m. 7. d. 5. Sepultus in Laterano.

INNOCENTIUS III.

§.CLXXVIII. **C**ampanus, antea Joannes Lotharius, patre Trasimundo Signia Comite, matre Clarina, ex Canonico, non Lateranensi, sed prius Agnino, deinde apud S. Petrum Romae, ut ipsemet in epistolis refert, Cardinalis Diaconus titulo SS. Sergii & Bacchi, summâ Ordinum Laetitia, ipse flens, & ejulans, cum ageret aetatis annum 43, electus. Vir fuit eximia pietatis, ingenii ac Sapientiae, aliisque virtutum sublimium ornamentis, omni nobilitate clarioribus excellens, scriptis quoque ac decisionibus celebratus. Beneficentiae singularis, qui cunctas Romae Ecclesias donariis locupletavit & nitore pristino restituit. Severus contra rebellus, benignus erga humiles, naturae aliquantulum indignantis: sed ad ignoscendum proclivis: Avaritiae labem iniquè ei aspersit Matthias Paris; à Luxu ab-

abhorrens ligneis & vitreis poculis usus; frugalitatem, in deliciis habuit, tribus duntaxat ferculis mensam instrui iussit. Imperatori, Regibus Franciae & Angliae magno Animi vigore obstitit. Albigenses haeredicos profligavit. Utrumque ordinem mendicantium S. Dominici & S. Francisci approbavit, horumque alumnis praedicare Evangelium indulsit. Varia Concilia celebravit praeter Generale Lateranense. Hospitalem domum S. Spiritus alendis pauperibus aedificari fecit. Perusium profectus pacis componendae causâ inter Pisanos & Genuenses, terminum suae peregrinationis assecutus est 1216. 16. Jul. ibique sepultus in Ecclesia Metropolitana. Sedit a. 18. m. 6. d. 9. Dignus, arbitrio Platinae, qui inter Sanctos Pontifices recensetur, licet perperam Petrus in *Chronol. Pont. Rom.* Scribat, in numerum Sanctorum esse relatum. Refert Thomas Cantipratanus, S. Ludgardii revelatum, Innocentii animam, purgatoriiis flammis adjudicatam, Deiparae precibus, à Suppliciis aeternis, quae tribus flagitiis promeruerat, fuisse liberatam. Ast hujusmodi narrationes parum certae eruditioribus videntur. Horret animus, scribit Odoricus Raynaldus continuator Baronii, haec de tanto Pontifice audire, & facile crediderim, illa ab inimicis conficta. Potuit esse illusio Sathanæ transformantis se in Angelum lucis.

HONORIUS III.

§. CLXXIX. Romanus, antea Cencius, ptre Heimerico, gente Sabellus, Cardinalis presbyter titulo SS. Joannis & Pauli, Perusii à Cardinalibus inclusis & subtractione ciborum coarctatis electus fuit: qui illa tempestate in omnibus negotiis ita se gessit, ut rebellibus terrorem incutiendo, & subditos in Spiritu mansuetudinis protegendo, cunctos in officio retineret. Petrum Orientis Imperatorem cum conjugè Romae in Ecclesia S. Laurentii coronavit, Fridericum II. Imperatoriis insigniis decoravit. Ordines Minorum & Praedicatorum confirmavit.

mavit. Officium Magistri Sacri Palatii instituit. Multas Eccle-
 fias aut restauravit, aut construxit. Decretales Epistolas evul-
 gavit. S. Dominicum impensè amavit. Hoc autem modo Hono-
 rius satis à rebus externis quietus, scribit Platina, bene, ac bea-
 tè vitam ducens ut bonum Pastorem decebat, ex hominum con-
 sortio abiens valedixit terrenis honoribus 1227. 18. Mart. Ponti-
 ficatus sui a. 1. m. 8., sepeliturque in Ecclesia S. Mariæ Majo-
 ris ad praesepe.

G R E G O R I U S. IX.

§. CLXXX. **A**nagninus Comes Segniae antea Hugolinus seu Hu-
 guetinus, nepos Innocentii III., Cardinalis Epi-
 scopus Ostiensis, apud Septizodium Pontifex eligitur in decre-
 pita aetate, lachrymabili contradictione recusans vestesque lace-
 rans, tandem divinae dispositioni consentit. Fuit equidem soler-
 rissimus & imperterriti animi, non cedens malis, sed contra au-
 dentior ivit, quando Fridericum II. Imperatorem haeredem avi-
 ti in Romanam Sedem odii divina humanaque jura violantem è
 piorum cœtu, non quidem pro causis frivolis & falsis ut ineptè
 praetendit Abbas Ursperg. *ad an. 1227.* Sed justissimè submo-
 vit; unde, quibusdam Imperium, plerisque Ecclesiam sectan-
 tibus, gemina Guelphorum & Gibellinorum factio exorta cre-
 ditur. Decretales epistolas per S. Raymundum compilavit. Va-
 rios Sanctos canonizavit, tandem centenarius tum animi mero-
 re tum rerum adversarum mole gravatus occubuit 1241. 21. Aug.
 cum sedisset a. 14, m. 5, d. 3, Sepultus in Basilicâ S. Petri.

C O E L E S T I N U S IV.

§. CLXXXI. **M**ediolanensis, ante Gaufridus Castellio presbyter
 Cardinalis S. Marci, Episcopus Sabinus, no-
 bili pro genie, sed magis exquisitissima negotiorum expediendo-
 rum

rum experientia, atque, qui seris venit ab annis, usu spectatiffimus, proinde par summæ huic dignitati. Sed conceptas de ille spes in animis fidelium mors improba succidit 1241. cum grandævum coronatum die 18. è medio tulit. In Basilica S. Petri tumultatus. Sunt, qui professione monachum ordinis Cisterciensis fuisse volunt.

I N N O C E N T I U S I V.

§. CLXXXII. **G**enuensis ex nobili familia Flisca, antea Sinibaldus patre Obizzone presbyter Cardinalis titulo S. Laurentii in Lucinia, Anagninae, missis è custodia Cardinalibus communi suffragio renuntiatur Pontifex. Ob eminentem scientiam & raram doctrinam dictus Pater juris & Luminare mundi. Hanc cathedram conscendens in omnes bonos, praesertim religioni addictos, mirè benevolus, in rebelles & contumaces rigidus extitit. Lugduni in Gallia celebrato Concilio Generali Fridericum Imperio regnisque privavit (Sententia est inserta Decretalibus tit. de Sent. & re judic. Cap. ad Apostolicae) Infelicibus quamvis auspiciis, quia hinc clades innumerae in Republicam Christianam redundarunt, quas illorum temporum historici commemorant. Adeo verum est, quod Ovid. L. 10. Met. fab. 12. scripsit: *In audaces non est audacia tuta.* Innocentium sententiae latae poenituisse, cum tantam tempestatem excitaret, scribit Trithemius in Chron. Hirsaug. Solum Pontificem, & non Concilium sententiam tulisse contendunt moderni Scriptores Galli. Varios ordines Religiosos approbavit. Fratribus Eremitis dispersis regulam S. Augustini dedit. Carmelitarum regulam mitigavit. Crucigeros sub Capitulo Generali Hujensi in suam protectionem recepit, Cardinalibus purpuram indulsit, pro libertate Ecclesiastica plurima sancivit. Ex Gallia proficiscens Romam declinans, cum Neapolim pervenisset, multiplicibus aerumnis confectus, ibidem ex tetro carnis carcere ad caeli palatium

tium transfivit 1254. 7. Dec. Sedit a. 11. m. 5. d. 14. Sepultus in Summo templo.

Porro quae de Innocentio referuntur à Cantipratano, ob rescissa scilicet FF. Praedicatorum & Minorum privilegia divinitus percussum, elinguem effectum, & postridie in Lecto exanimem repertum, fabulis adnumerari debent. Quando quidem coaevorum testimonio compertum habeatur, Pontificem hunc adstantium suorum consanguineorum, mortem suam, plus aequo lugentium pusillanimitatem increpasse. Quidam narrant, quod voce quadam in Judicium Dei vocatus, repertus sit mortuus cum livida in corpore plaga: verum à lividis plagaque dignis obtruduntur huiusmodi mendacia, quae ortum suum habent à Matthia Paris, nullius hac in parte iudicii viro & Pontificibus Romanis infensissimo Scriptore. Quodsi Innocentius Mendicantibus religiosi resciderit quaedam privilegia: justis utique rationibus fuit ductus, ut vel ipsemet praedicatorum ordinis Alexander ratiocinatur.

ALEXANDER IV.

§. CLXXXIII. Anagninus ex Castro Jennes, Comes Segniae, ante Raynaldus, Gregorii IX. fratruelis, Cardinalis Episcopus Ostiensis & Velitrensis, in Summa rerum perturbatione Neapoli sufficitur, doctrinâ, pietate beneficentia ac mansuetudine perillustris, qui, sicut harum aliarumque virtutum secundissimâ famâ Pontificatum gessit: ita, ut patientiae haberet documenta, incommoda Christianae Reipublicae quamplurima audire, videre lugeréque debuit. Siquidem ea tempestate Graeci Constantinopolim Latinis extorserunt, Gibellini & Guelphi terras devastarunt, S. Ludovicum Saraceni captivum detinuerunt, Manfredus Siculus Italiam depopulatus fuit. Dum interim essent foris pugnae, intus timores, Pontifex pacis studio

Y

Viter-

Viterbium se contulit, ut Genuenses & Venetos invicem reconciliaret, requievit in pace 1261. 25. Maij ibidemque in Ecclesia Cathedrali S. Laurentii sepultus. Sedit a. 6. m. 5. d. 4.

U R B A N U S IV.

§. CLXXXIV. Burgundus, patria Tricassinus, antea Jacobus Pantaleon seu de curto Pallatio, humili genere natus, Archidiaconus Laudanensis, dein Leodiensis, Episcopus Verdunensis, postea Hierosolymitanus Patriarcha, Viterbii, ubi ob negotia terrae Sanctae morabatur, ab octo regularibus Cardinalibus electus fuit. Jurium pericissimus, qui singularem prudentiam, multiplici rerum usu sibi comparaverat. Solemnitatem Ssmi. Corporis Christi instituit. Veterem Tusciae urbem novis aedificiis publicis ac privatis exornavit. Regem Franciae armavit in terram Sanctam, ac Pontificatum ita administravit, ut nihil in eo praeter prolixitatem desiderari potuerit. Aetate ac gravi infirmitate consumptus Perusiae mortem oppetiit 1264. 2. Oct. quam extraordinarium sidus trimestre apparens praesignasse referunt. Sedit a. 3. m. 1. d. 4. Sepultus ibidem in Ecclesia Cathedrali S. Petri.

C L E M E N S IV.

§. CLXXXV. Gallus, patria Narbonensis de Villa S. Aegidii ante Guido Falcodius, ex familia Grossae, Episcopus Podiensis, Archi Episcopus Narbonensis, demum Cardinalis Episcopus Sabinensis, tunc in Anglia Sedis Apostolicae Legatus, ad Pontificatum adscitus, Viterbii coronatus fuit. Vir exercitatissimus in utroque foro, qui militiam primò secturus, matrimonio junctus Jurisprudentiae operam dedit, adeo feliciter, ut famosissimus advocatus Sanctique Ludovici Regis Secretarius effectus fuerit. In Pontificatu omnium virtutum exemplar

emplar se exhibuit, assiduo orandi studio, summae abstinenciae laude, modestiae & benignitatis decore sanctissimi Patris explevit terminos, asperrimo cubabat lecto, cilicio, nunquam lineis utebatur, carnibus abstinens, sibi austerus, aliis benevolus; nullo habito respectu ad carnem & Sanguinem, propinquorum neminem ad dignitates Ecclesiasticas promovit, nullum autem Laicorum ex his passus est altiùs elevari, quam eorum familia postularet, tenui dote filias contentas esse voluit, quarum unam in monasterium collocavit, alteram maritavit. Carolum Andegavensem Regem Siciliae renuntiavit. S. Ludovico in subsidium terrae Sanctae cum exercitu properanti Decimas omnium fructum per universam Galliam sublevare indulgit. Primus Romanorum Pontificum in palatio Apostolico piarum largitionum Praefidem constituit; huicque muneri fratrem Laicum Ordinis Praedicatorum praefecit. Illius precibus & meritis Deum multas & magnas, quas tunc Ecclesia sustinebat tribulationes, extinxisse creditum fuit: Sed servi sui sanctitatem miraculis etiam post mortem contestatum fuisse à fide dignis perhibetur. Denique annis & meritis gravis exhaustisque viribus Viterbii vitam mortalem cum aeterna commutavit, ac felici commercio pro terrenis caelestia affectus fuit 1268. 29. Nov. Sedit a. 3. m. 9. d. 25. Tumulatus in Ecclesia fratrum Praedicatorum.

Vacat sedes annis 2, m. 9, d. 3.

B. GREGORIUS X.

§. CLXXXVI. Placentinus, ex familia Vice Comitum Mediolanensium, antea Theobaldus, Archidiaconus Leodiensis, seu, ut alii, Laudensis, in Syria loca Sacra invisens, à 17. residuis Cardinalibus Viterbii tunc dissidentibus, facto compromisso in Sex, adnitente potissimum S. Bonaventura electus. Unde versus Joannis Cardinalis Portuensis:

Y 2

Papa-

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
 Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.
 Romæ Coronatus, quidquid Cranzius velit, eum nunquam Romam vidisse. Levis quidem fuit litteraturæ, attamen prudens, animo fortis, in rebus expeditus, humilis pariter & benignus, mundanorum contemptor. Plurimorum dissidia composuit. Ex Concilio Lugdunensi Aretium veniens superos adiis 1276. 10. Jan. Sedit a. 4. m. 4. d. 10. Miraculis post mortem clarus, corpore diu incorrupto. De illo inter Sanctos referendo sub Pio V. deliberatum, & sub Urbano VIII. agitatum. Aretini ipsum velut patronum ritu solemniter colunt, approbante Sacra Congregatione. Nunc denuo pro Solemni Apotheosi instantiæ fiunt.

INNOCENTIUS V.

§. CLXXXVII. Bungundus, antea Petrus Tarentasius, Ordinis Prædicatorum, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor Parisiensis, Archi-Episcopus Lugdunensis, deinde Cardinalis Episcopus Ostiensis, Major penitentiarius, Aretii undecim Cardinalium suffragio electus, haud multò post Romæ Pontificiis fuit inauguratus infulis. Vir eruditissimus & lucubrationibus in libros Sententiarum atque Epistolas S. Pauli celebratus: in cujus tamen scriptis reprehensæ propositiones centum, propugnata à S. Thoma, majori quidem defendentis, quam defensori gloria. Cum Viterbii inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ de Corpore Clementis IV. orta esset contentio & Prædicatores illud sibi deberi prætenderent, his adjudicavit: quare levem offensivum unculam contraxit, alioquin vir optimus, & de quo omnia bona sperari poterant, inquit Platina. Discordantium paci incumbens, aliisque operibus piis inhaerens, veram obtinuit pacem 1276. 22. Jun. dedit m. 5. d. 5. In Basilica Lateranensi honorifice depositus.

HA-

H A D R I A N U S V.

§. CLXXXVIII. **G**enuensis, ex familia Flisca, antea Ottobonus, Innocentii IV. ex fratre Theodosio nepos, Cardinalis Diaconus titulo S. Adriani, Romæ suffragantibus decem Cardinalibus Pontificatum infirmâ valerudine adiit, & à propinquis gratulabundis salutatus, *malle sese, aiebat, Sanum Cardinalem, quàm moribundum Pontificem videri.* Nihilominus fuit ille tanto Principatu dignissimus, siue animi dotes attenderentur siue corporis ornamenta, quibus cæteris omnibus in Sacro Collegio præminebat, credebântque omnes hoc Pontifice beatiorum fore Rempublicam Christianam, quàm dudum fuerat. Moliebatur ditionem Ecclesiæ tutiorem reddere & Constitutionem Gregorianam de eligendo summo Pontifice in meliorem formam redigere. Verùm Viterbium profectus, ut Sacerdos & Pontifex consecraretur, præopero vitæ exitu, mortuus die 40. ab assumptione 1276. 18. Aug. ibique in Ecclesia fratrum minorum Sepultus, magno fuit apud omnes fideles relicto desiderio.

J O A N N E S XIX. alias XX.

§. CLXXXIX. **L**usitanus, patria Olyssipponensis, patre Juliano Medico & ipse medicus sat peritus, ut ex ejus Libro *Theaurus Pauperum*, colligitur. Antea Petrus, Episcopus Tusculanus, Viterbii novem Cardinalium voto Papa renuntiatur, in quo Socordia morumque levitas passim notatur. *Multa enim stoliditatem præferentia egit,* ait Platina: commendatus in hoc, quod dimisso fastigio cum litteratis comiter versaretur, eosque beneficiis afficeret. Religiosis infestus. Multos annos ex noticia Astrologica sibi præfagiens deceptus fuit, quando soluta contignatione camerae recenter exstructæ, inter lapides & ligna collisus, sexta die, perceptis Sacramentis exspiravit 1277. cum sedisset m. 8., d. 8. Sepultus Viterbii in Summo templo. Referunt Scriptorum hoc genus mortis illi obvenisse, ob nimium

miūm suū amorem, & incredibilem in se ipso ac sua dignitate complacentiam, quippe qui cameram illam intrans sese, toties quoties intuebatur; ac indignā levitate in risum solvebatur.

Quisquis in eventu rerum Sapienter ac modestè fert fortunam felicior est, ait Eurip. in Antig.

NICOLAUS III.

§. CXC. Romanus, è familia Ursinorum ante Joannes Cajetanus, Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai, à 6. vel 7. Cardinalibus residuis Viterbii creatus, Romæ coronatus fuit. Vir fuit ingentis animi, & perspicuæ in rebus gerendis prudentiæ; ob morum æquabilitatem rarâque modestiam *Cardinalis Compositus* dictus. Huic puero S. Franciscum Papatum præ-nuntiasse ajunt. In eo fuit humilis, admodum facilis, piissimus, qui nunquam sine lachrymis sacrificabat. Beneficia indilatè optimis conferebat, in protectione Ordinum Religiosorum indefessus. De procuranda unione Ecclesiæ orientalis cum Romana valde sollicitus. Labem famæ suæ inussit nimius in propinquos amor & studium, quo concitatus nepotum unum Hetruriæ, alterum Insubiæ Reges constituere voluit. Quodsi Gallis in Sicilia adversus fuerit, in eo fit illi injuria, quasi complex fuerit factæ cædis, quæ nonnisi biennio post mortem contigit. In Castro Surriano apoplecticus obiit 1280. 15. Aug. Sedit a. 2. m. 8. d. 24. Romæ in Vaticano sepultus.

MARTINUS IV.

§. CXCI. Gallus, patria Brigiensis, antea Simon, è Turonensi Canonico Cardinalis presbyter Viterbii reluctans & violenter detractis vestibus Cardinalitii in sedem locatur Petri. Ecclesiastici juris Zelator generosus & magnanimus, justa petentes benevolentiam sibi devinxit Principes Sæculi, violentos verò invafores

invasores satis compescuit. A cupiditate pro se suisve alienus, ut fratrem sibi congratulantem exiguo munere remisit, causatus bona esse Ecclesie, non sua, quae profundere non liceret. Ob perpetes in urbe veteri tumultus Perusium discedens, post missarum solemniam in die Paschatis febre correptus triduo post morte justorum obiit 1285. 28. Mart. postquam sedisset a. 4. m. 1. d. 7., Sepultus in Ecclesia Cathedrali S. Laurentii. Ad ejus tumulum plurimi male affecti fuere sanati, ut Martini Poloni continuator & Guilielmus Nangius testantur.

Vacat sedes tantum d. 4.

HONORIUS IV.

§. CXCII. Romanus, antea Jacobus Savelli, patre Luca, matre ex Aldebrandeschis, Cardinalis titulo S. Mariae in Cosmedin, 17. Cardinalium consensu omniumque applausu senex electus, Romae coronatus, quo Perusia abierat. Vir Sagax consiliique valens, licet podagra & chiragra vexaretur, non tamen animi magnitudine ulli inferior, quippe qui solus prope plura videret, quam omnes, qui in Urbe aderant. Gallorum fautor, Carmelitarum protector, quos mendicantibus aggregavit, iisque loco variegatarum Chlamydum albas vestes dedit. Novam Mendicantium Sectam, qui Apostolici nuncupari volebant, damnavit. Sententiam praedecessoris contra Petrum Aragonium confirmavit, cum neminem laedere; omnibus morigeris benefacere constituisset. Devotioni addictissimus pro grege sibi commisso litabat, usus instrumentis ad hujusmodi functionem aptatis. Romae in Monte Aventino vitam finivit 1287. Pontificatus a. 2. d. 1. Sepultus ad S. Petrum.

NICO.

NICOLAUS IV.

§. CXCIII. Picens, patriâ Aesculanus, antea Hieronymus, progenie obscurus, virtutum, scientiarum, ac promeritarum dignitatum splendore illustris, qui in Ordine Fratrum Minorum per omnes gradus ad Generalatum ascendens, presbyter Cardinalis, Episcopus Prænestinus ad apicem supremum provectus in hoc præcipuè collimavit, quomodo fideles coadunaret, infideles ad agnitionem veri Numinis perduceret, & Laborantibus in Syria Christianis militibus succurreret. Huic Walsinghamus Scriptor Anglus iniquior, quando eum vocat *Idolum minoritarum*, qui multa privatim statuisset, quæ eos non solum faciant superbire, sed & insanire. Quæ de ejus studio in Minoritis ad Pontificatum promovendis circumferuntur, falsa sunt, quandoquidem in aprico sit, quod ex omnibus institutis Cardinales creaverit. Tredio animi confectus obiit 1292. 4. Ap. Sedit a. 4. m. 1. d. 14. Sepultus ad S. Mariam Majorem.

S. COELESTINUS V.

§. CXCIV. Neapolitanus, patriâ Ifernienfis prope Sulmonem antea Petrus de Murone à loco, quem incoluit Perusii à Cardinalibus, urgente Carolo Rege Franciæ & interveniente Latino Cardinale Ostiensi ex eremo Majellæ Ordinis S. Damiani, sub regula S. Benedicti Abbas & Congregationis fundator, summa cunctorum admiratione, ipse fugiens & relictus, supremo in terris honore afficitur: & Aquilam aino vectus, frustra Perusii præstolantibus Cardinalibus in concursu 20000. hominum, ibidem consecratur. Deinceps Neapoli: quod multorum adversus ipsum concitavit indignationem) sedit, ubi duodecim spectatæ virtutis Cardinales creavit. Vitæ pristinæ anachoreticæ consuetudinem retinens, sibi potissimum erat intentus: unde ejus simplicitate curiales abutebantur, quorum fraudibus saepe

ſapè diverſis concedebantur eadem. Quandoque membrana pura, ſed bullata Cardinalibus dabatur, unde exorbitantia proveniebant, & dignitatis contemptus facilè oriebatur: præfertim dum Romanæ Eccleſiæ Clerum ad aliorum exemplar ſtrictè reformare vellet, quo evenit, ut derideretur juſti ſimplicitas, ac tanquam fatuus habitus fuerit. Quare poſt mortem Cardinalis Latini Frangipani, qui hucusque rerum moderator fuerat, cæteri de deſignatione Pontificis, moribus Curie neutiquam conformis, ac tractandis negotiis parum idonei, tractare cœperunt. Sed quia illius ad hoc munus inſufficientiam, cauſam deſignationis inſufficientem ſciebant: virum Sanctum divini judicii metu urſerunt, ut ſe Pontificatu liberè abdicaret, ne Dei Eccleſia, ejus imperitiâ, periclitaretur. Priuſquam tamen hoc fieret, is omnium conſenſu Conſtitutionem edidit, *Licere Pontifici ſeſe abdicare dignitate*, quam Succellor confirmavit. Cum ergo Sedifet m. 5. d. 7. Neapoli coram omnibus in Conſiſtorio Mitram annulum & ſandalia deponens (quod omnis ætas mirabitur, nulla, fors imitabitur) Pontificatu ſe exiit 1294. 13. Dec. Lectaque fuit ceſſionis formula concepta his verbis: *Ego Cæleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis, id eſt, cauſâ humilitatis & melioris vitæ & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ & malignitate plebis, & infirmitate perſonæ; & ut præterita vitæ conſolationis poſſim repetere quietem, ſponte ac Liberè cedo Papatui, & expreſſè renuntio Loco & dignitati, oneri & honori: dans poteſtatem & liberam facultatem ex nunc ſacro cætui Cardinalium, eligendi ac providendi duntaxat canonice univerſali Eccleſiæ de Paſtore.* De hac ceſſione varia fuerunt hominum judicia, quam aliqui ut cæleſtis animi argumentum, virtutis heroicæ exemplum ac modetiæ unicum miraculum laudant; alii ut abjecti vilis exiguique cordis indicium, proſtrati animi vitium fugillabilem. Deo placuiſſe, fidem faciunt miracula, etiam poſt abdicationem patrata, præfertim cum poſtridie claudum ſanaverit. Quæ ſparguntur de fictis, per ſubordinatos à Bonifacio ſucceſſore,

ope tubi, vocibus, Papam deterrentibus, & ad Renunciationem inducentibus, fidem nullam merentur. Porro ne quis hanc abdicationem amplius in dubium vocaret, ad Schisma evitandum, Bonifacius repertum Petrum in quadam arce reclusit, quo suspicionem incurrit, quasi abdicationem procurasset. Ipse verò Petrus ex gravitate aëris, ac loci situ a. I. m. I. post abdicationem ætatis 81. ann. sanctè obiit 1295. Quidam suadente Bonifacii nepote, necatum volunt, qui à Clemente V. Sanctorum fastis adscriptus fuit, sub nomine Petri Confessoris, ne, ut recens notat scriptor, coleretur tanquam martyr, cum magna successoris ignominia.

Qui ambulat simpliciter, salvus erit. Proverb. 28.

BONIFACIUS VIII

§. CXCIV. **A**nagninus, ante Benedictus Cajetanus, à loco more, patre Luitfrido Catalauno, presbyter Cardinalis, Neapoli electus, Romæ coronatus. A plurimis ille nigro theta notatur scriptoribus, ambitionis maculam, avaritiæ sordes, immoderatum gentiles locupletandi affectum in eo observantes: alii pariter indecoram sentiendi tenacitatem, factum abominabilem, iniquiorem in adversantes animum in ipso carpunt, eique vulgò attribunt: *Intravit ut vulpes, rexit ut Leo, mortuus ut canis.* Plurimi è contra illum purum fuisse ab atrocibus criminibus, quibus Columnenses, Rex Gallia, hisque addicti illum insimulant, autumant; de quibus tum ipse Bonifacius se coram Cardinalibus purgavit, & Successor Clemens V. nullo modo pollutum in Concilio Viennensi pronuntiavit. Certè Platina, valde alioquin pronus ad recensenda Pontificum vitia, ea non retulit: sed nec alii qui Pontificum vitas scripserunt, singula observant. A Petrarcha dicitur *stupor mundi, vir doctus & animosus Pontifex*, à Cranzio & S. Antonino. Aegidius Romanus è Columnensium familia *lib. de Ren. Papæ*, perhibet, Bonifacium Caelestino

stino abdicationem dissuafisse. Jacobus Cardinalis S. Georgii
 Scriptor coævus, illum lachrymantem & invitum adiiſſe Pon-
 tificatum, teſtatur. Alii illum integerrimæ fidei Præſulem, ju-
 rium Eccleſiaſticorum deſenſorem acerrimum, in merentes Li-
 beralem, Pontificatu digniſſimum deprædicant. Inter Carolum
 Siciliae & Aragoniae Reges, miſſis Legatis, pacem compoſuit.
 Regem Galliae deſtituit, Albertum Imperatorem ea conditione
 confirmavit, ut Galliam occuparet, ratus omnia mundi imperia
 & Regna eſſe in ſua manu, dicticans duos gladios ſe habere, quo
 multorum ſibi aſcivit invidiam & diſteriorum præbuit anſam.
 Jubilæum univerſale, quo omnium delictorum remiſſio viſitan-
 tibus Ss. Apoſtolorum limina, dabatur, primus inſtituit, &
 centeſimo quovis anno obſervari præcepit. Primus quoque,
 qui duas coronas Pontificiæ tiaræ impoſuit. Primus fuiſſe credi-
 tur, qui inſigne gentilitium uſurpavit. Decretalibus Librum
 Sextum adjunxit. Gibellinos plurimum inſectatus fuit. S. Lu-
 dovicum canonizavit, aliaque præclara geſſit. Anagnina à Su-
 bornatis conquiſitus, Pontificaliter indutus ultrò ſe obtulit hoſti-
 bus, quos ſola ſui conſpectus majeſtate cohibuit, ne in ſe manus
 extenderent. Exinde Romam tendens concomitantibus ſatelliti-
 bus febriliter calida ibi correptus ad pacatiorem locum morte media
 tranſiit 1303. Sepultus ad S. Petrum. Sedit a. 8. m. 9. d. 18.
 Corpus poſt tria Sæcula mirabiliter inventum integrum; illæ-
 ſum cranium, extremæ digitorum in ipsis manibus partes tanto
 temporis Spatio integræ. Quo deprehenditur fabula, quaſi Bo-
 nifacius captivus caput muro concuſſerit, digitos corroſerit &
 deſperabundus obierit: quod quidem celebrata tanti Pontificis
 magnanimitas credere vetat: ſed ne quidem ſuadet Platinae nota,
 qui *in paræneſi* ad calcem vitæ ſubjecta, regimen Bonifacii ſuper-
 bum & contumelioſum indigitat, & ipſum animi dolore con-
 ſectum ſolummodo tradit.

B. B E N E D I C T U S X. *alias II.*

§. CXCVI. **L**ombardus, antea Nicolaus Bocasinus, patre opulione, ex Ordinis Prædicatorum Generali Cardinalis Episcopus Ostiensis, Romæ à 22. Cardinalibus ad culmen Pontificium promotus, qui infimum locum à juventute semper elegerat. Parvæ staturæ sed magni ingenii, ut ejus opera testantur. Hostibus prædecessoris veniam exorantibus indulgit, sacrilegos in vasa anathematizavit. Admirandæ humilitatis exemplum in repudiata matre exquisitoribus vestibus induta se præsentante, exhibuit; quod tamen quidam alteri attribuunt. A Columnensibus vel Florentinis per sicut venenatas operâ cujusdam abbatissæ præbitas manu adolescentis habitu puellæ induci è medio sublati an. 1304. 6. Jul. ætatis 64. cum sedisset m. 8. d. 15. In sacrilegi veneficii suspicionem venit Bernardus Delitiosi Ord. Minorum, cum Arnaldo De Villa nova ad perpetuos carceres damnatus. Pontifex post mortem miraculis coruscans inter beatos cœlites recensitus, Perusii sepultus est in Ecclesia Fratrum Prædicatorum. Vacat sedes m. 9.

C L E M E N S V.

§. CXCVII. **V**asco, ex oppido Villandrav, antea Bertrandus Gottho, patre Bertrando nobili equite, ex Episcopo Cavennarum Archi-Episcopus Burdigalensis, Perusii à coarctatis Cardinalibus, interveniente potissimum Cardinali Præfensi, Regi Franciæ gratificari volente, absens Papa renunciatus, qui Lugdunum Cardinales ad se vocans in Ecclesia S. Justi coronatus Regibus Gallo, Anglo & Aragono, aliisque plurimis Magnatibus præsentibus, quando paries, onere superstantis populi ruens, plures, inter quos Britannia Dux & Pontificis frater, oppressit, Regem Gallia ejusquæ fratrem læsit, ipsum Papam tremefecit, ut casu tiaræ pretiosus inde carbunculus decessus

cussus fuerit: quod praesagium fuit subsequendum, ob translatam sedem, in Christianitate calamitatum. Notatur passim in illo propensior, quam Patrem universalem decet, animus in contraneos, Regique Galliae placendi studium; quamquam adduci non potuerit, ut, hoc instante, Bonifacium defunctum anathematizaret. Commendatur ejus in suppressione Judaica pravitatis Zelus, in damnatione Fratricellorum solertia, & in dissidentium reconciliatione dexteritas. In Concilio Viennensi oecumenico Ordinem Templariorum extirpari iussit. Decretum Urbani IV. de Solemnitate Smi. Corporis Christi renovavit, & religiosam processionis Pompam instituit. Cardinales creavit, etiamsi Episcopi essent extra illos, qui titulum Cardinalis haberent adjunctum. Sedem Apostolicam in Galliam transtulit, ubi ultra septuaginta annos persistit: quod Itali vocant transmigrationem Babylonis. Quae de illo circumlata sunt atrocissima crimina à Villano & Dante conficta sunt, à S. Antonino perperam scriptis inserta. Stomachi ac laterum dolore diu cruciatus, iter faciens Rocca-Mauri dysenteria moritur, Pontificatus. a. 8. m. 10. d. 16. translatus in Vasconiam, sepultusque Uzesae. Ejus sepulchrum à Calvinistis spoliatum & invento corpore, aliàs fortuito leviter uesto, integro, mox in cineres soluto, ejus ossa cremata sunt. De illius per Templarios ad Tribunal Dei citatione nil authenticum reperitur.

JOANNES XX. aliàs 21. passim XXII.

§. CXCVIII. Aquitanus, patria Cadurcensis, ante Jacobus de Ossa, patre Arnaldo futore, licet ex prisca nobilitate, Cardinalis Episcopus Portuensis, post diuturnam discordiam Lugduni in Conventu FF. Praedicatorum 40. dies recluso sedem Apostolicam occupat, & quidem viâ compromissi, ut asserunt Villanus, S. Antoninus, & quidam alii, quasi Cardinales illi commiserint electionem Pontificis, & is, Neapolione Urfino sua-

suadente, semet ipsum elegerit seu nominaverit; quod tamen meritò in dubium revocatur propter silentium aliorum Scriptorum, maximè hostium suorum illius depositionem molientium, item Ludovici Bavari sui antagonistæ, qui sibi non temperassent à tam impotentis ambitionis labe objicienda, qui aliàs acerbissima in eum investiva promulgârunt. Ipse Pontifex *in encyclicis epistolis de sua electione* memorat, se à Cardinalibus concorditer electum, timore ac tremore concussum hæsitassè, an tam pavendo oneri imbecilles supponeret humeros. Lugduni septuagenario major coronatus. Statura pusillus, animo sublimis, variarum scientiarum genere, ac præsertim utriusque Juris peritiâ excultus, benemeritis gratosus, obstrepentibus perquam rigidus & pene inexorabilis, eruditorum Meccenas, ipsemét studiis additissimus. Plura innovavit, ordinavit, ac ab antecessoribus statuta invertit. Diurnæ ei cum Ludovico Bavaro simultates, huicque adhærentes Minoritas severissimè multavit. Variorum impia dogmata proscripsit horumque auctores vivicomburio aliquando punivit. Plures Religiosorum Ordines approbavit, Crucigeros exemit, & sub Apostolica protectione recepit, Varios Canonizavit, Tribunal 12. Auditorum Rotæ instituit, SSmæ Trinitatis festum celebrari præcepit. Constitutiones Clementinas in scholis legi voluit, & Decretales adjunxit; Multaque alia in decrepita ætate gessit, quæ illum præcipuis Pontificibus æquipararunt; licèt Ockami aliorumque schismaticorum calamis fèdè laceratus. Avinionem profectus, curis & annis tandem confectus, debitum naturæ persolvit 1334. 4. Dec. Sedit a. 18. m. 3. d. 28. Sepultus in Ecclesia Cathedrali S. Mariæ de Donis. Ingentem pecuniarum acervum, qualem prædecessorum nullus (aliqui ad 20. milliones extendunt) reliquit. Ejus corpus mox resolutum fuit: unde magicis carminibus ejus mors adscripta fuit, quam accelerarunt æmuli, quibus illius in extrema senectute, vividæ juventutis robur intolerabile diutiùs videbatur.

Opinionem de defunctorum animabus carentibus visione beatifica usque ad extremum iudicium, cui semper tenacissime adhæsit, ex Cathedra definivit Joannes, aut, ut plurimorum est sententia, definire voluit: sed Dei providentiâ morte præventus. Quod semper continget, quoties Pontifices ex affectu, non ratione, nec afflatu Spiritus Sancti pronuntiare volunt, quæ necdum fati eliquata sunt. Sunt, qui perhibent, quod paulò ante obitum hanc opinionem solemniter retractaverit.

BENEDICTUS XI. aliàs 12.

§. CXCIX. Tolofanus, ex oppido Savarduni, antea Jacobus de Furno, seu Novelli, patre Guilielmo Moli-
tore, Prædecessoris ex fratre nepos, Ordinis Cisterciensis, SS. Theologiæ Doctor Parisiensis, Episcopus Apamiensis Mirepicensis, dein titulo S. Priscæ presbyter Cardinalis ALBUS dictus Avinione cooptatus Pontifex, in Ecclesia FF. Prædicatorum inauguratus fuit. Tantæ humilitatis, ut admiraretur & eligentes irideret, quod sibi asellum præfecissent, qui tamen maximus zelator fidei, & in omni statu hæreticorum fervidus persecutor, virum magnanimum sese exhibuit, constans ac pene durus, pius, liberalis ac profusus, Doctorum studiosus, ac nummorum ab Antecessore acervatorum fidelis dispensator. Consanguineos se habere negans, nullos fere nisi meritissimos ad beneficia promovit, nolens, ut dictitabat, lutum ornare auro. Dignos promovebat beneficiis divisim. Beneficiorum commendas abrogavit. Primus Regestum supplicationum signatarum introduxit ad removendas fraudes. Aulam ad mores decoros reformavit. Italiae motus ut plurimum composuit. Cumque Reges Gallia & Angliae reconciliare moliretur, ex tibia laborans, febri correptus, Avinione in Palatio à se constructo decessit è vivis 1342. 25. Apr. Patruo suo appositus. Sedit a. 7. m. 4. d. 10. In cujus morte lachrymas fere omnes fuderunt. Miraculis etiam effulsit, ut coæ-
vius

vus Scriptor testatur. In Martyrologio Gallicano *S. Memoria Pontifex* nuncupatur, in Indiculo SS. ac BB. Avenionensium atque à Scriptoribus Cisterciensibus *Sanctus* appellatur. Paradoxum est quod Carmelitanum pii quidam plagiarii velint, quando quidem vel ex ipsa Bulla ad Abbatem Cisterciensem, post die Coronationis data, habeatur, quod juventutis suæ tempore in ordine Cisterciensi sub Sanctæ obedientiæ imperio in observantia regulari vixerit. Calumnia est quod Petrarchæ sororem venustissimam concupiverit, oblato ei galero. Satyricon immerito vibratum in eum legitur:

*Iste fuit vero laicis mors, vipera clero,
Devius à vero, Cupa repleta mero.*

CLEMENS VI.

§.CC. Lemovicensis, ante Petrus Roggerius, patre Guilielmo Monstrio Rosei vice Domino, ordinis S. Benedicti ex canobio Casa Dei, Abbas Festcampiensis, SS. Theologie Doctor Parisiensis, Senonensis, dein Rotomagensis Archi-Episcopus, presbyter Cardinalis titulo SS. Nerei & Achillei, Avenione sedem S. Petri patrum justis suffragiis iniit. Vir multæ doctrinæ copiosæque eloquentiæ apud Platinam, in quo pariter enituit humanitas ac liberalitas haud satis deprædicanda, qui doctos omnes simul ac virtuosos præmiis amplissimis est profecutus; de quo Petrarcha ad Joan. Card. Columnam:

*Nulli major uest clementia, nomen
Dignum rebus habet.*

Miris insuper encomiis extollitur ab aliquibus propter præclara facinora Deo gratissima & Reipublicæ Christianæ proficua, quæ multum absunt à scientia Dei: liquidem vera sunt, quæ referuntur ex revelationibus S. Birgittæ, iis tamen fidem detrectabit, quisquis novit huiusmodi plura alia ex supposititiis solere depromi.

depromi. Nepotismo infectum Clementem indicat Platina, Libidinem in illo arguit Joannes Villani, cædem Andreae Regis Hungariæ imponunt alii; quod credere vetat insignis ejus mansuetudo, quâ inimicos beneficiis exornavit. Jubilæum mutavit in quinquagesimum, de cibo & potu, numero servientium in conclavi constituit. Galliarum Regi quandoque communicandi sub utraque specie privilegium dedit. Prodigiösæ fuit memoriæ ex capitis vulnere per lapsum cicatrice obducto, roboratæ, Avinione Apoftemate suffocatus 1352.6. Dec. Sedit an. 10. m. 7. Sepultus, ut petierat, in monasterio Cæsæ Dei. In devastatione Calvinistica corporis partes sectæ & combustæ; quæ ignibus ereptæ in tumulum relatæ sunt. Notatu digni sunt, quos quidam supplicans Clementi obtulit versus:

*Laus tua non tua fraus virtus non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium
Pauperibus tua das nunquam stat janua clausa
Fundere res quæris nec tua multiplicas
Couditio tua sit stabilis non tempore parvo
Vivere te faciat hic Deus omnipotens.*

Qui lecti ordine retrogrado, si supplicatio non admitteretur sensum efficiebant contrarium.

INNOCENTIUS VI.

§. CCI. Lemovix, ante Stephanus Alberti, Jurisconsultus, primarum causarum procurator, mox judex. Post Episcopus Claromontanus, Cardinalis, Episcopus Ostiensis, Avinione ad Pontificale munus adscitus. Vitæ integerrimæ scelerisque purus, in esu & potu frugalis, æconomus prudens, numerosam familiam & ipse imminuit, atque, ut alii diminuerent, voluit Beneficiatos ad residentiam compulit. Causarum arbitris Rotæ auditoribus, ne muneribus corrumperentur, salaria constituit. Vitæ probatissimæ selegit, & illos in officis

A a

officiis præferebat. In Italiam Legatum misit, qui res Ecclesie ibidem curaret. Religiosos contra definitionem Joannis Papæ de paupertate Christi & Apostolorum certantes & contumelias effutientes pro merito castigavit. Carni & sanguini nimum indulgit, promovendo suos, licet omnino non indignos. Senio exhaustus Avinione migravit è vita 1362. 12. Sept. Sedit a. 9. m. 8. d. 26. Ibidem in Carthusia depositus, post, ut perierat, in Carthusiam villæ novæ à se conditam.

U R B A N U S V.

§. CCII. Tolofanus, antea Guilelmus, patre Crimaldo, Ordinis S. Benedicti, Jurium Doctor & Theologiæ professor, Abbas S. Victoris Massiliæ Avinione absens electus fuit, ibidemque coronatus. Hic perfectionem religiosam, sincero conatu assequi studuit, proposuitque in omnibus, quæ Deo credebatur magis placitura, exercere. Libertatis Ecclesiasticæ fortissimus defensor, Simoniacæ ac Spiritualis polygamiae hostis, studentium patronus, multas academias erexit & dotavit, in solis propinquos beneficiorum temperans. Romam profectus, ibidem SS. Apostolorum Petri & Pauli capita exornavit. In Galliam rediens, haud diu post (alii, in itinere, dicunt) Avinione receptis devotissimè Sacramentis, crucis imaginem manu tenens, cuncta sua dicta Romanæ Ecclesiæ decretis subjiciens, in habitu monastico vivere desiit 1370. 13. Dec. ætatis 61. an. Pontificatus sui a. 8. m. 1. d. 23. Post obitum miraculis corruscans. Ejus memoria in Sacris Gallorum, & Benedictinorum Dyptichis recensetur. Corpus translatum Massiliam in Ecclesiam S. Victoris, sicut desideraverat.

GRE-

GREGORIUS XI.

§. CCIII. Lemovix, antea Petrus Roggerii, familia Monstria, patre Guilelmo, Comite Belfortii, Clementis VI. ex fratre nepos, Cardinalis Diaconus S. Mariæ Novæ, Avenione cunctorum votis ad Ecclesiæ gubernacula stabilitus. Magnam nominis sui famam consecutus vitæ innocentiam, quæ in vultu relucebat, omnibus amabilis. Non revelationibus tantum, sed gravissimis rationibus adductus, contemptis suorum precibus, reclamante Sacro Collegio, Romam rediit, dumque anno evolutio sentiret adversum Romanorum animum, melancholiâ correptus, accedentibus acutissimis vesicæ doloribus, Sacramentis munitus, ætatis circiter 67. an. mortales reliquit 1378. 27. Mart. Sedit a. 7. m. 2. d. 27. Sepultus, ut iusserat, in Diaconia Mariæ Novæ.

De Gregorio refert Jo. Gerson *Lib. de exam. Doct. p. 2. Confid. 3.* eum in extremis, habentem in manibus Corpus Christi, protestatum, ut caverent ab omnibus visionariis, quibus ipse deceptus Avenionem reliquisset; Quo suasiones S. Birgittæ & S. Catharinæ de Urbe repetenda ipsum indicasse existimant. Sed falsum esse probant authores coævi silentes, sicut & illius de S. Catharina existimatio.

URBANUS VI.

§. CCIV. Neapolitanus, ante Bartholomæus Prignano, aliàs Butillus, obscuris parentibus natus, Archi-Episcopus Barenfis à 16. Cardinalibus Romæ electus ac die Paschatis inthronizatus. Humilis quidem, sed morosus, rigidus, nimium suæ prudentiæ tribuens: quamquam aliàs vir doctus, justitiæ cultor & puritatis amator, Simoniam osor. Qui dum importunè Cardinales suis increpationibus laceffebat, grande sibi totique Republicæ Christianæ malum intulit. Genuæ existens quinque Car-

Cardinales, inter quos duo Ordinis FF. Minorum, velut conjurationis in se reos, fassis insutos in mare projici jussit, quosdam in carcere strangulari aut securi maētari voluit; Unde suis quoque intolerabilis visus fuit; quem aliqui Turbanum, si non piē, saltem non impropriē vocārunt. Postquam varias Italiae Urbes peragratus fuisset, Romam reversus, intoxicatus ab Adversario suo ex improviso, dolentibus paucis, sedem ac vitam dimisit 1389. 13. Oct. Pontifex a. 11, m. 6, d. 8, sepultus in Vaticano.

BONIFACIUS IX.

§. CCV. Neapolitanus, ante Petrus Tomacellus, nobilis genere sed opibus destituto. Ex Acolytha & Protodivino Diaconus Cardinalis, deinde presbyter Cardinalis titulo S. Anastasiae, Romae defuncto Urbano successus fuit in aetate florida, moribus gravis ac vitae continentiam venerabilis. Urbis imperium a S. P. Q. R. usurpatum recuperavit, rigidēque exercuit. Non levem suae famae labem intulit profusa in propinquos liberalitas, quorum ut sublevaretur inopia, aut satiaretur cupiditas, invalescenti Simoniae ansam praebuit, adeo, ut etiam cum vilipendio Pontificiae auctoritatis ad quaestum darentur, quae omnino gratis danda divina humanaeque jura praeeperant. Ex renum dolore, quem, pravo medicorum consilio, sanare vel levare noluerat, hominem exiit 1404. 1. Oct. Sedit. a. 14 m. 11. Sepultus in Basilica S. Petri.
Vacat sedes vix d. 2.

INOCENTIUS VII.

§. CCVI. Italus, patria Sulmonensis, ante Cosmatus de Melioratis, mediocris sed honestae familiae, Episcopus Bononiensis, post Archi-Episcopus Ravennatensis presbyter Cardinalis,

lis, titulo S. Crucis in Jerusalem, ab octo Cardinalibus in Conclavi congregatis Papa renuntiatus, post bimestre insignia sua inaugurationis recepit. Vir grandævus, experienciâ multa edoctus, comitate & morum integritate acceptus, aliquando tamen factione Nepotis urbe cedere coactus. Severissimas in Simoniacam pravitatem Sanctiones edidit. Notatur nimia in suos iudulgentiæ: & quod illa, quæ in prædecessoribus carpsit, ipsémet fecerit, de unione non passus audire, quando undecim Romanos cives selectos ad Schisma extirpandum è fenestris præcipitari fecit. Apoplexiâ tactus quievit in pace 1406. 7. Nov. Sedit a. 2. d. 21. Sepultus in Basilica S. Petri in Sacello olim Pontificibus dicato, in cujus renovatione Nicolaus V. Epitaphium poni curavit.
Vacat sedes d. 7.

GREGORIUS XII.

§. CCVII. Venetus, antea Angelus Corarius, Patriarcha Constantinus, presbyter Cardinalis titulo S. Marci à 14. Cardinalibus defuncto surrogatur octogenarius. Vir prisca severitate & sanctimonia venerabilis, in quo nil desideratum præter nimiam retinendæ sedis cupiditatem, quam accendit nimium in Nepotibus promovendis studium. Juramento adstrictus ante & post electionem ad cessionem à Pontificatu, dum illa ad Schisma extirpandum censeretur necessaria: quia id adimplere tergiversabatur, illum Cardinales abdicarunt, qui postea in Concilio Constantiensi cessit; deinceps Cardinalium Decanus & Marchiæ Anconitanæ perpetuus Legatus. Recanati prope Lauretum senectus fuit occasus vitæ. S. Antoninus aliique hunc vocant agnium innocentem, & sine felle columbam, semperque optasse Ecclesiæ unionem & reformationem. Sed inania sunt vota, quando ad rei executionem congrua remedia non applicantur. Observant quidam meram inter illum & corrivalem occultam collusionem.

ALEXANDER V.

§. CCVIII. Ex insula Cretensi in Græcia (*alii* ex Candia Oppido Papiensi) ante Petrus Philargus, infimæ conditionis, Ordinis S. Francisci, Archi-Episcopus Mediolanensis, presbyter Cardinalis tit. Ss. XII. Apostolorum, Pisis, depositis duobus aliis, fuit à Congregatis Patribus ad Pontificatum assumptus ibidem coronatus. Theologus profundissimus, ut ejus scripta in 4. libros sententiarum produnt. In pauperes litteratosque penè profusus, usque adeo, ut per jocum dictitaret, se divitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. Propinquos quidem ignoravit, fugillant tamen in eo, quod sine delectu beneficia distribuerit, fratresque sui ordinis, præter merita, ad Cathedrales Ecclesias præferret. Bononiæ suis pacem imprecans, venenato clystere 1410. 9. Maji extinctus refertur à S. Antonino, cum sedisset m. 10. d. 8. septuagenario major. Sepultus ibidem honorifice in Ecclesia Fratrum Minorum.

Præfatus S. Antoninus & non pauci alii recensent illum tanquam pseudo Pontificem.

JOANNES XXI. *passim* XXIII.

§. CCIX. Neapolitanus, ante Balthasar Cossa, ex cubiculario & Protonotario Apostolico Cardinalis Diaconus S. Eustachii, Bononiæ, ubi S. Sedis Legatus erat, à 16. Cardinalium suffragiis haud satis liberis Pontifex declaratus ibidemque inauguratus. Juris Consultus, sed parum sibi aliisve consuluit. Sago armisque quam Lituio aut infulis aptior, hisque indignior, quanto fuit appetentior. Dum quinquennio præfuisset, parum profuisset, gravissima Concilii Constantiensis accusatione oneratus, post fugam reductus, ad abdicationem compellitur. In custodia quadriennali detentus ingentique Lytro redemptus, Florentiæ

Martinum V. submissè veneratus, Cardinalis Episcopus Tusculanus & Cardinalitii Collegii Decanus creatus lucis hujus usuram in Domo Cosmæ de Medicis amisit 1419. 19. Oct. cum post abdicationem ultra annos quatuor vixisset sepultus in Ecclesia Cathedrali S. Joannis. Sedit a. 5. d. 15. Horrenda prorsus sunt quæ de eo perhibent Theodorus Niem, Gobelin: Persona, alii- que scriptores synchroni.

MARTINUS vulgo V.

§. CCX. Romanus, ante Otho ex illustri columensium proge- nie patre Agapito, Diaconus Cardinalis S. Georgii Constantiæ à deputatis 30. viris spectatissimis & 33. Cardinalibus in Curia congregatis univèrsæ Ecclesiæ Catholicæ supremus mo- derator constituitur, ibidemque coronatur. Is non solum mul- tigeno scientiarum studio apprime excultus, verum insuper bo- nitatem disciplinæ & scientiæ jungens, virtutum omnium sese præbuit exemplar. In negotiis prudens, in moribus gravis, ac- cessu facilis, sermone brevis, in actionibus cautus. Attamen famam illius redarguisse scribit S. Antonius, quod nimis cupidè insisteret cumulationi pecuniæ, non in cœlestes thesauros per manus pauperum portandæ, sed Nepotibus erogandæ. Romæ apoplexiâ extinctus magno omnium ejulatu. Sedit a. 13. m. 3. d. 2. ætatis 63. Sepultus in Ecclesia Lateranensi. In cujus epi- taphio legitur quod fuerit *Temporum felicitas.*

EUGENIUS IV.

§. CCXI. Venetus, ante Gabriel Condelmerius patre Angelo matre Baziola, ex qua Gregorii XII. Nepos Cano- nicus Regularis Congreg. S. Georgii in Alga, Cardinalis presby- ter S. Clementis. In Monasterio Prædicatorum, secunda omnium gratulatione æt. 43. ann. præficitur 1431. 3. id. Mart. Magnani- mus,

mus, proceræ staturæ, auri contemptor, Deum timentium pater. In persecutionibus variis æquanimus eundem semper vultum præferens. Gravis in sermone potius quàm eloquens: modicæ literaturæ, multæ cognitionis præsertim historicæ, vini parcus, frugalis unico obsonio contentus, quod urgente orexi, nullâ horâ statutâ poscebat, in lecto aspero cubans, indeque summo mane surgens orationi diu vacabat. Morti proximus vultu ad Religiosos converso dixit. O Gabriel quàm expeditivisset salutem animæ tuæ, ut in monasterio Religiosam disciplinam coluisses. Febri correptus, Sacramentis munitus, habita gravissima oratione de successore eligendo, animam Deo reddidit 1447. 23. Febr. Sedit a. 15. m. 11. d. 21. Sepultus in Basilica S. Salvatoris, ubi sumptuosum illi erectum epitaphium loco humilis sepulture in vaticano,

N I C O L A U S V.

§. CCXII. Genuensis patria Sergianensis ante Thomas Lucanus, patre chirurgo matre Andreaola, Gallinarum propola, Episcopus Boniensis Cardinalis presbyter S. Sufannæ in Conventu Prædicatorum omnium iudicio, præterquam suo dignissimus evectus fuit. Omni scientiarum genere instructus, vivax ipse Bibliotheca, missis viris doctis undequaque libros conquisivit, vaticanam Bibliothecam erexit, Græcosque libros in latinam linguam transferri curavit. Avaritiæ hostis officia non vendidit, sed bene merentibus contulit. Urbem præclaris ædificiis exornavit, Palatium muris ac turribus firmavit. Fridericum Imperatorem Romæ ritu solemnissimo coronavit & cum eo fœdera pro natione Germanica iniit. Demum egregiis in vita pro Ecclesia & sibi commissæ Reipublicæ Christianæ incolumitate laboribus exantlatis mœrorem contraxit ob occupatam à Turcis Constantinopolim, ac colicæ podagræque doloribus confectus piè obiit 1455. 24. Mart. Sedit an. 8. d. 19. Sepultus in Vaticano.

CALIX.

CALIXTUS III.

§. CCXIII. Hispanus, patria Valentinus, patre Joanne, Matre Francisca, illustri profapia ortus, ante Alphonus Borgia, Jurium Doctor, Archi-Episcopus Valentinus, Cardinalis presbyter SS. 4. Coronatorum ætatis 76. ann. à 15. Cardinalibus electus Papa. Statim Turcis bellum intulit, quod antea juraverat, eumque in finem magnam pecuniæ summam reservavit. Pietati addictissimus, Sæcularis pompæ inimicus, nunquam nisi unicum beneficium habuit, in victu frugalis, in loquela modestus. A Principibus ab honesto nunquam abduci potuit, proinde fatuitatem suam prodidit Pasquin, dum tam fatuè quam falsè scripsit: *Quam fatuè fatui fatuum creavere Calixtum!* stultus, cum ipse insipiens sit, omnes stultos existimat. Prov. . . Irreprehensibilis Pontifex (si tamen studium ditandorum Nepotum reprehensione careat) Romæ mortem oppetiit 1458. 6. Aug. cum Sedisset a. 3. m. 3. d. 29. Sepultus in Basilica S. Petri. S. Vincentium Ferrerium Canonizavit, qui illi Pontificatum prædixerat.

PIUS II.

§. CCXIV. Senensis, ante Aeneas Sylvius, patre Sylvio, matre Victoria de Fortiguerra, ex Nobili, tunc inope familia Picolominea ortus: Diversorum Cardinalium Secretarius, Referendarius, Abbreviator, Cancellarius, Imperatoris Secretarius, hujusque, deinde Apostolicæ Sedis Legatus, Diaconus Cardinalis, S. Sabinæ presbyter Cardinalis, Episcopus Tergestinus Senensis &c. Omnium votis post 4. dies in Conclavi gregis Dominici Rector cum Urbis & orbis exultatione, licet podagricus ritè designatur & solemniter inauguratur. Statura erat brevis, vultu rugoso sed sereno, capite ante annos cano, corpore robusto, ast Laboribus morbisque attrito. Liberalium omnium artium

artium amantissimus, ut plurimæ ejus lucubrationes evincunt: & quæ aliàs contra Pontificis auctoritatem evulgaverat, ipse Pontifex laudabiliter retractavit. Vini cibique indifferentis parcissimus, in vestitu decens, minimè splendidus, in conversatione admodum hilaris, in studiis indefessus, etiam in extrema valetudine operibus pietatis addictissimus, tunc pariter aditu facilis. Utilia promptè dabat, noxia benevolè negabat, in obeundis Potificiis muneribus accuratissimus; intrepidus, sic, ut nec Principes formidaret, nec populum maledicentem, graviter ferret, cui liberam fandi libertatem permittendam dicitabat. Pecuniarum non amator, neque contemptor, quas opportunè elargiebatur merentibus. Secessibus locorumquè variationibus valde delectabatur, ubiquè tamen æquè sedulus omnibus satisfaciebat integer, apertus, nihil habens ficti, nihil simulati. Nepotes quidem adamavit, sed minimè ultra merita promovit, qui dignitatibus viros dandos, non dignitates hominibus afferebat. Quam Franciscus Philelphus ei labem avaritiæ affingere voluit, ipsemer diluit. Cum enim ex Campano ipsi lecti in itinere fuissent verus quales libenter audiebat, in quibus, *petentibus poëtis munera danda non esse, bene tamen non petentibus, comprehendebatur,* isque nihilominus obliquis versibus deposcebat, festive reposuit Pius:

*Munera Campanæ si non præstanda petenti;
Jure tuas surda excipimus aure preces.*

Deinde actutum subjunxit, quod Poëtis inhiantibus dare velit. Nam cum Card. Papiensis diceret:

*Discite pro numeris numeros tractare Poëtæ
Expectata dabit munera nulla Pius.*

Respondit Pontifex:

*Discite pro numeris nummos sperare Poëtæ
Expectata dabit munera larga Pius.*

Qui quidem versus postmodum immutati, aliumque sensum referentes vulgati fuere.

Fuit

Fuit utique Pius vir magnus ab eruditis sui ævi, præsertim Platina multum, necdum sane satis Laudatus, à Novatoribus exceptus contumelisse, quorum convitia à peritis rerum æstimatoribus laudes judicantur. Adversus invalescentem Christiani nominis hostem adornaverat classem insignem, quare ab urbe discedens Anconam lectica jacens deferri voluit, ut copiarum Dux foret, majori pietatis & magnanimitatis quam prudentiæ laude. In ipso Belli apparatu, podagræ calculiquè doloribus oppressus, alvi profluvio terris eripitur 1464. 15. Aug. Sacramentis, ut Bipetierat, præmunitus æt. 58. Pontificatus a. 5. m. 11. d. 27. Bepetierat ante mortem, gravi oratione Cardinales ad concordiam adhortatus fuit, animo forti mortem exspectans, sic ut potius extinctus, quam mortuus dici potuerit, quemadmodum Platina scribit; addens pollinctores vivacissimum cor in Pio invenisse. Romam, ut iussit, corpus delatum in Vaticano ante Altare S. Annetæ depositum fuit. Vitam suam ipse descripserat, quam Godrezæ depositum fuit. Vitam suam ipse descripserat, quam Godrezæ depositum fuit. Vitam suam ipse descripserat, quam Godrezæ depositum fuit. Vitam suam ipse descripserat, quam Godrezæ depositum fuit. Magis accurate fuit composita à Joanne Antonio Campano Episcopo Theramensi, quam his versibus sepulchralibus concludit.

Esse in hoc tumulo Pium secundum

Tu ne crede: Pius petivit astra.

Terris gloria nominis vagatur.

Eidem authori si habenda fides, quidam Anachoreta miraculis clarus, vidit Pium veste candidissima amictum & tiarâ tricoronatâ ornatum in comitatu sanctarum virginum ferri in cælum.

Epitaphium à Francisco Cardinali Senensi sepulchro marmoreo inscriptum continet synopsis virtutum heroicarum, cui applica:

Sum Pius æneas fama super æthera notus.

PAULUS II.

§. CCXV. Venetus, antea Petrus de Barbo, patre Nicolao Barbo patritio, matre Polyxena Eugenii IV. sorore Archidiaconus Bononiensis, Episcopus Cerniensis, Diaconus Cardinalis S. Mauri, omnium, id est, 20. Cardinalium votis in Conclavi ad Minervam, XII. Votis primo scrutinio, quod necdum contigerat, celsissimum in terris fastigium capescit. Patetiones in conclavi & post juratas mox dissolvit Cardinalesque cum blanditiis, tum minis compulit, ut in dissolutionem consentirent. Fuit in homine, quantum ad corpus, majestas Pontifice digna. Erat enim magni ac vasti corporis; adeo, ut, dum ad rem divinam proficisceretur, solus emerect. Vultu fuit decorus in quo adeo sibi complacerebat, ut nisi prudentiores dissuasissent Formosi nomen assumpsisset. Usus mitræ, quæ tribus educta coronis Regnum appellatur, aut reduxit, aut, quod verius est, induxit, quam ornavit gemmis exquisitissimis, eaque tanquam alter Aaron in publicum procedebat, & abs populo suam majestatem observari discupiebat. Ludos & epulas, ad instar veterum Romanorum Imperatorum, exhibebat. Numismata, imagine sua insignita, fundamentis ædificiorum & parietibus immiscebat titulosque jubebat incudi, quibus gloriam nominis sui immortalem quærebat. Ut aditu difficilis præsertim die (Nam noctes totas vigilabat, exceptis diebus senatûs) sic exoratu plerumquæ durus fuit: sed qui deinde præstaret plura, quam ore pollicebatur. Officiorum venditor etiam sacrorum, litteris non apprime imbutus, litteratos parum æstimabat. In secernendis colligendisque nummorum fontibus longa spatia occupabat. Fuit nihilominus adjutor pauperum, Episcoporum præsertim & Cardinalium. Viduarum ac pupillorum protector, ægrotorum consolator, Profligator hæreticorum, rigidus censor morum corruptorum, osor monstrorum domesticorum, & famulantium aulicorum accuratus observator. Quæ de illo Platina malevole scripsit

scripsit, plenam fidem non inveniunt, qui ab hoc Pontifice ab officio Abbreviatoris depositus, atque ob conspirationem longo carcere detentus tormentisque subactus fuit, qui tamen ubique suam innocentiam præferbat. Purum putidum est mendacium, quod heterodoxi de eo, sicut & quibusdam aliis Pontificibus fingunt, quasi in actu venereo, à superveniente adulteræ marito, aut ab ipso dæmone strangulatus fuerit. Constat siquidem Paulum cum eo die lætus consistorium habuisset, atque bene cenasset, nocte apoplexiâ tactum obiisse mortuumque in cubiculo repertum 1471. 18. Julii cujus causa credita est peponum pisciumque cum æquæ frigidæ largo haustu ad cenam commestio. Vixit annis quinquaginta tribus, qui multò plures sibi constituerat. Sedit annis 6. m. 10. d. 26. Sepultus in Ecclesia Vaticana S. Petri.

Vacat sedes. 15. d.

SIXTUS IV.

§. CCXVI. **L**igur ex villa Albizzola, ante Franciscus à Quercu seu à Ruvere; patre piscatore (alii ex nobili stirpe ortum volunt) ex ordine FF. Minorum Generali interventu Cardinalis Bessarionis à Paulo II. presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula, mirifica voluntate & animorum consensu à 17. Cardinalibus in altissimam Sedem collocatus fuit. Ob eximiam divinæ scientiæ, pari conjunctam vitæ probitate claritudinem dignissimus illa sede. Habuit Principes Christianos sibi obsequentes, quos tamen in communem hostem incitare frustra conatus fuit, quia privatas invicem fovebant inimicitias. Urbem plurimis in locis restauratione collabentium, tum erectione novorum ædificiorum & templorum mirè exornavit, ponte novo, viis amplioribus, Bibliothecâ publicâ illustriorem fecit. Religiosos quoscunque pari affectu complexus est, in quos non fluenta tantum sed & *Mare Magnum* gratiarum effudit. Romanæ aulæ libertatem

tem in compedes coniecit, quia officia publicè vendidit, antea virtute præclaris Dari solita. Vectigalia plurima invenit novauxit vetera, decimas plures exegit. Sed hæc seu temporum necessitati, seu verius proximis & ministris ejus tribuenda existimabant. Ab eo Nepotismus ccepit, id est summa publicæ administrationis tam civilis quam Ecclesiasticæ in propinquos collata autoritas. Abominabile est quod recensetur de uno adoptivo, è Minorita Cardinali creato qui intra biennium quo ad vixit trecenta aureorum millia, præter ingens æs alienum absumpsisse fertur, tabidus voluptate ætatis 28. ann. extinctus. Vixit Sixtus annis 72. quando podagra laborans, micore confectus tandem apoplexiâ tactus ex humanis abiit, seditque a. 13. d. 4. Corpus planetâ aureâ indutum fuit depositum A. 1484. 12. Aug. in Basilica S. Petri. Jure dubitatur uter in laude vel vituperio excelsit, quando arcui triumphali Sixto erecto inscriptum Legitur.

Et meritò in terris crederis esse Deus.

Et Pasquinus epitaphio adjunxisse fertur:

Gaude prisce Nero! vincit te crimine Sixtus:

Hic scelus omne simul clauditur & vitium.

INNOCENTIUS VIII.

§. CCXVII. Genuensis, ante Joannes Baptista patre Aaron, è nobilissima Ciborum familia, Episcopus Sautioënsis, mox Melphitensis, presbyter Cardinalis S. Cæcilie, cathedram Petri iniens magnam sui spem præbuit. Corpore procero & Candido, vultuquè mansuetudinem præferens, licet de eo Volateranus scribat, quod fuerit in speciem blandus, nemini benignus, avaritiam joci & dieteriis transgens. Vir difficilissimæ paupertatis, ingenio culto, ac à Litteris non alieno. Pacis studiosus, rei que divinæ satis intentus. Incontinentiam ejus ante sacros Ordines susceptos oblitteravit quodammodo morum integritas, quæ deinceps in eo fuit observata. Ast dum in suas

suas proles superstites Franciscum & Theodorinam, olim ex puella Neapolitana susceptas, magis quam deceret, palam novo & pernicioso exemplo ferretur, easque divitiis cumularet, cætera bonus, malus audivit. Exhausto ærario consulere volens, nova à se constituta officia vendidit, quo pariter famæ suæ haud satis consuluit. Longâ infirmitate exhaustus sumptis devotè Sacramentis apoplexiâ intrepidè discessit anno 1492. 25. Jul. æt. 60. Sedis a. 7. m. 10. d. 27. Sepultus apud S. Petrum.

Symb. Ego autem in Innocentia mea ingressus sum.

ALEXANDER VI.

§. CCXVIII. Hispanus, patria Valentinus, patre Lofredo Len-
zolio Equite, matre Borgia, Calixti III. Soro-
re, dictus ante Rodericus Borgias, hujus familiæ insigniis gen-
tilitiis ab avunculo donatus, proinde avito omisso, Archi-Epi-
scopus Valentinus, Diaconus Cardinalis titulo S. Nicolai, S. R.
E. Vice Cancellarius, denique Episcopus Cardinalis Portuensis,
aliunde quam per ostium ingreditur Pontificatum. Plerique
enim Cardinales auro corrupti, beneficiorum pollicitatione alle-
cti, quidam morem similitudine attracti in eum suffragia sua con-
tulerunt; qui postmodum exitiali exitu dignas suæ perfidiæ pec-
nas luere: inter populi adgratulationes coronatus Alexander
Papa VI., ut quidam argutè, VI factus est. Credulus vix sibi
persuadere poterit, quantas prodant Scriptores de viro hoc ab-
ominaciones, etiam dum staret in Loco sancto. Qui quidem ab
adolescencia avunculi sui curâ ingentè educatus, honoratissimis
in Ecclesia perfunctus officiis, Regum ac Principum clientelas
sibi demeruerat. Posthabitâ deinceps famâ enormium vitiorum
congerie fedissimas maculas, nunquam delendas, nomini suo
intulit. Legitimæ propemodum uxoris loco cultuque habuit
Vanoziam puellam Romanam (alii Dominici Arimani conjugem
fuisse scribunt) ex qua Cardinalis quatuor filios & duas filias
susce-

fufceperat, quibus cumulandis nulla Simonia, nec Punica perfidia, nulla in fortunas vitamque Optimatum machinatio fufficiens erat; voluitque, citra pudorem, proles fuas effe dignitate celliffimas mundoque celeberrimas, quæ omnes, ob turpiffimos fuos natales, jure debuiffent fuiffe occulta mendicabula. Ex his Cæfarem Borgiam prius Cardinalem, Godefridum Squilitanum, Joannem Gandiæ Duces creavit. Cæfarem deinde fratricidam Ducem Gandiæ, & Pontificii exercitûs Generalem ad Italiæ imperium promovere nifus eft. Hujus Lemma erat. *Aut Cæfar aut nihil.* In quem fcite lufit poëta.

Omnia vincebas, fperabas omnia Cæfar.

Omnia deficiunt, incipis effe nihil.

Alius graphicè fupperaddidit:

Borgia Cæfar erat factis & nomine Cæfar:

Aut Cæfar aut nihil, dixit: Utræque fuit.

Enormia quædam referuntur à nonnullis Historicis, fed, multorum opinione, ex odio & invidia, ab æmulis, rebellibus Pontifici impacta crimina. Alexandro fuiffe Lucretiam filiam, fponfam, nurum, ut Pontanus refert; ferocia viciffe Neronem, voluptate Heliogabalum &c. juxta Sanazarium; Petro Mendocio induliffe, ut Marchione de Zanetha notho fuo uteretur, quod Mornæus ex Malevolis quibusdam fceneratus fuit; Impoftorem maximum omnium mortalium fuiffe, qualem fceleftiffimus depingit Machiavellus, meræ calumniæ cenfentur. Reprehenfibilem quoque fe præbuit infeftus plerumque Pontificibus Francifcus Guiciardinus dum fcripfit Alexandrum fuiffe peftiferæ perfidiæ, monftroræ Libidinis, inauditæ avaritiæ qui facra profanæque vendidiffet. Atque ut hæc falfa fint, haud tamen omnia, quæ paffim alij de hoc Pontifice prodiderunt flagitia. Multa de illius vita, ait Mariana *Lib. 27. cap. 2.* tum fama, quæ nulli parciorum fcripto prodita funt: verum, an ex invidia, haud facilè dixerim. Omnia conficta temerè fuiffe non arbitror. Neque tamen ufque adeo malus fuit, ut in nullo extiterit bonus, five gratiæ

tia sive naturæ dona spectentur. Gonzales Illescas *Lib. 6. histor. Pontif. cap. 21.* meliorem Pontificum quos viderit, prædicat, doctrinâ, prudentiâ, justitiæ severitate, clementiâ, moderatione animi, zelo fidei, judicio & usu rerum, aliisque virtutibus insignem. Nauclerus *Generat. 50.* Virum magni animi magnæque prudentiæ appellat, æmulatorem Calixti III. per omnia factum, qui nationem, patriam, familiam illustravit. Albertus Cranzius *in Metrop.* illum in Catalogo postremum recensens suo tempore scribit, quod res maximas gerat. Vellejus *in Append. ad Guagninum* perhibet, quod optimus fuerit Pontifex, solâ prole notandus. Bzovius *tom. 18. Annal. ad. 1503.* habet, quod verè maximus, verè optimus fuerit eorum Pontificum, qui invictâ constantiâ Ecclesiam non modo defenderunt, verùm etiam auxerunt & ornarunt, fide Christiana amplificata, erroribus eliminatis, tyrannis repressis &c.

Neque minus de Alexandri morte variant scriptores. Vulgare est illud, quod, cum Cardinales aliqui opulentiores ad umbrosam Vaticanam fontem fuissent invitati ad cœnam, eum in finem ut intoxicarentur, eorumquè bona obvenirent Pontifici (inconsulto patre filium hoc scelus intendisse volunt aliqui) contigerit, ut pincernæ, aut alterius per eum constituti errore, poculum venenatum Pontifex ac superveniens filius sitibundi ex itinere mox hauserint, quo senex vi veneni 1503. 8. Aug. absumptus, filius exenteratæ mulæ visceribus inclusus, pilos omnes ipsamquè cutem perdiderit, mortem tamen evaserit. Hæc falsa esse contendit citatus Bzovius, concedens veneno Alexandrum interiisse; sed quod illi pecuniâ corruptus pincerna in mensa propinavit, qui quidem minister veneni haud multò post, Julio II. Pont. Max re per judicium enuntiata in vincula conjectus, quaestione habitâ sui sceleris pœnas persolvit, ut Petrus Bembo *Lib. 6. hist. Venet.* affirmat. Falsum deinde Bzovius, nec verisimile esse pronuntiat, quod Guiciardinus sive à Sanazario, sive à Jo-
viano Pontano sive à quovis alio maligno satyrarum scriptore
hausit,

hausit, aliisque nonnullis stylo acerrimo instillavit; quasi Pontifex & filius ditissimos duos Cardinales invitassent; ut veneno tollerentur. Adducit interim Stephanum Forcatulum *Lib. 4. de Philos. & Gallorum imp.* testantem, quod Sanazarius *Lib. 1. epist.* retractaverit, quæ in Regem Galliæ & Florentinos evomuerat retractaturus etiam, quæ in Borgias scripserat, nisi mors mordacem rapuisset. Displicet illi quoque, quod Mariana citans Pontanum & Sanazarium de vitiis Alexandri dubitanter per illud *Fortassis* censuerit supra verum quædam illos effudisse. Demum ex *Sabbell. Enead. 11. Lib. 2.* probat, quod de Alexandri & Borgiæ filii morbo non una eademque fuerit fama. Raphaël Volaterranus, qui illo tempore vixit Romæ, *Lib. 22. Anthropol.* scribit, quod Alexander subito in morbum inciderit, ex quo paucis diebus obierit. Causam in cœnam venenatam, incerto auctore vulgi constans opinio jactaverit &c. Sunt qui Pontificem 7. diebus febrilaborasse volunt, atque ex Diariis quibusdam Romanis narrat sacramentis devotè susceptis ætatis 72. an. placidè obdormivisse. Porro eorum fides pœne remanet apud authorem, quæ leguntur apud Caraciolum *Ord. Theatinorum in vita Pauli IV.* quod hic, tunc Petrus Caraffa protonotarius Apostolicus ab Alexandro cœnante missus fuerit, data clave cubiculi secretioris, ut adferret pallam seu globum aureum, quem Pontifex collo appensum gestare solebat, cui inclusa SSma Eucharistia, tunc oblivione relictum: is vero ingrediens ex palla radios fulgentissimos emicantes, Pontificem, humi stratum, circum sedentes quasi in conclavi Cardinales aspexerit, semi mortuus jacuerit, donec ministri, Pontificem ex venenato poculo animam trahentem deponentes, ibidem illum reperissent. Sedit a. 11. d. 3.

Corpus defuncti mox scedè deformatum ferunt, sandapile justò breviori à pollinctoribus compactum pedibusquè intrusum fuisse. Tumulo nullum aliud inscriptum epitaphium quàm illud. *Alexandri VI. cimeres hic clauduntur.* Aliud aculeatum nimis dicacis Pasquini circumfertur:

Hic

*Hæc jacet Hispanus famæ contemptor honestæ
Vis brevius? Lapis hic contegit omne scelus.*

Nec minus falsum videri posset illud, Joanni Pico Mirandulano adjudicatum:

Vendit Alexander Cruces, Altaria, Christum;

Vendere jure potest, emerat ille prius.

De vitio in vitium, de flamma transit in ignem

Roma sub Hispano deperit imperio.

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & ipse;

Semper sub Sextis perdita Roma fuit.

Acute quoque alludit illius ævi poëta ad Alexandrum, jubentem extrahi Joannem filium à Cæsare occisum, & in Tyberim projectum, hocce epigrammate:

Piscatorem hominum quis te nunc Sexte negabit?

Piscaris natum retibus ecce tuum.

P I U S III.

§. CCXIX. Senensis patre Nanis Pii II. ex Loadamia sore ne-
pos, ante Franciscus Tudeschinus, ab Avunculo
insigniis gentilitiis & Piccolomineorum familiæ nomine donatus,
Cardinalis Diaconus titulo S. Eustachii designatus Archi-Episco-
pus Senensis concordi quadraginta Cardinalium suffragio in Con-
ventu Fratrum Prædicatorum ad Minervam, Christi in terris vi-
cariatum obtinuit, qui mox presbyter & Episcopus consecratus
atque solemniter coronatus fuit. Prudentia, religione, inno-
centia pariter & gravitate spectabilis. Dum de restituenda in-
pristinam Majestatem Christiana Republica seriò meditaretur, fe-
nectæ vitii, & mortifero cruris ulcere affectus, non sine suspi-
cione veneni, vulnere illiciti ætatis anno 64to sedis die 26. publico
omnium luctu hominem exiit 1503. 18. Oct. die Natali ad S.
Petrum sepultus; postea ad S. Andream de valle cum corpore
avunculi translatus.

JULIUS II.

§. CCXX. Savonensis, antea Julianus de Ruvere, patre Raphaë-
 le matre Theodora Manerola, Sixti IV. ex fratre
 nepos, presbyter Cardinalis tit. S. Petri ad Vincula, in Gallia
 decennio exul, à 35. Cardinalibus, ad naviculæ Petrinæ remum
 gerendum, ut ferunt S. Franciscum Paulanum præfagiisse, ap-
 plicatus fuit; quàmquam eum a tali eminenti officio ingenta
 morositas, & plurium Procerum odium simultatesque remo-
 vissent. Sed hæc omnia, si Italis Hispanisque fides, qui quan-
 doque maliciosè aut otiosè quibusdam multa affingunt, superâ-
 runt largitiones; unde eum dixisse ajunt, Petri sedem pluris asti-
 mandam, quàm emi aut vendi plerumquè soleat. Syncopando
 proprium nomen intuitu potius Julii Cæsaris, quam Julii I. man-
 fuetissimi, sic appellari voluit, Coronatus clamyde, sago, ocreis,
 acinaci, quam tiarâ vel pedo condecorandus: ut intuentibus ve-
 nerabilior, seu, ut alii conjecturant, terribilior appareret, con-
 tra morem antecessorum, prolixam aluit barbam. Erat, ut
 Pallavicinus *Hist. Trid. Lib. I. cap. I.* observat, feroci animo, at-
 que iracundo, indolis tam præcelsæ, ut, si profanum tenuisset
 Dominatum, inter heroes meritò censèretur: sed non erat ea
 celsitudo virtutis, quàm sibi vendicant nomen Sanctissimi & au-
 thoritas sequestris inter cælum & terram, ut maculæ in cæteris
 hominibus inobservabiles, evadant in ea luce monstrosæ. In-
 dulsit ille quidem militiae studiis supra quàm opus fuit, & supra
 quàm tanti capitis sanctitatem decet: sed quis tam perfecte sibi
 compos est in rebus gerendis, præsertim iis, quæ citra æstum &
 impetum fieri nequeunt, qui nunquam extra fines honesti ar-
 tiffimos dilabatur. Fama est eum Divi Petri claves in Tybe-
 rim, bellum cum Gallis gesturum, projecisse, ac Pauli ense
 sese armasse: objicienti Petrum à Christo jussum recondere gla-
 dium in vaginam, reposuisse; id factum, cum Malcho auriculam
 amputasset; idem se quoque facturum, postquam hostes pro-
 stra-

stravisset. Certum est in diversis bellis ab hoc Pontifice gestis plura hominum millia, absque ulla tantæ jacturæ commiseratione occubuisse, parumque abfuit, quin & ipse tormenti bellici, laxatâ rotâ, globo conquassatus fuisset, quem ipsum in sacello Lauretano, velut anathema suspendi voluit. Armorum confederatione cum Imperatore, Gallo & Hispano, debellavit Venetos. Ferrariæ Ducem Gallis confederatum, coërcuit, ipse Hispano Venetis & Helvetis junctus arma vertit in Gallos. Conciliabulum Pisanum dissipavit, Synodum universalem Romæ indixit. Habuit etiam Italos sui Laudatores, qui illum deprædicant, à prudentia, sapientia, justitia, clementia, eruditione, liberalitate, à studio conservandæ propagandæque ditionis Ecclesiasticæ, à magnanimitate & constantia in adversis, ab odio Simonia, ab ædificiorum constructorum magnificentia. Septuagenarius, sacramentis Ecclesiæ piè receptis, omnem injuriam Cardinalibus cæterisque sese remittere professus, verè pœnitens de bellis à se excitatis, feбри alvique profluvio rebus humanis excessit 1513. I. Febr. postquam sedisset an. 9. m. 3. d. 21. In Vaticana Basilica, quam veteri parte dejecta ampliari meditatus fuerat, patruo appositus. Inter 27. Cardinales quatuor tantum è suis assumpsit, quos equidem rexit in virga ferrea.

LEO X.

§. CCXXI. Florentinus, ante Joannes de Medices, patre Laurentio de Medices, matre Clarica de Urfinis, Cardinalis Diaconus titulo S. Mariæ ætatis 14. annorum, post annos vincti tres à Sacro Collegio 25. Cardinalium nemine dissidente Ecclesiæ universæ præfectus. Mortuo Julio II. Florentiâ in letica ob morbum (Jovius hæmaroides videtur intelligere, Varillas ænead. de Floren. Lib. 6. alium haud nominandum propalat) Romam lentè portatus, visus medicis, ob hoc non posse diu vivere, proindequè electus. In coronationis actu per urbem ar-

cubus triumphalibus tapetibusque sumptuose ornatam ductus, illi insidens equo Thracio, quo ante annum in prælio Ravennate à Gallis victoribus captus, quemque ab ipsis carò redemerat. Erat corpore procerus, cujus vultus amœnus simul ac majestuosus. Morum suavitas, sermonis elegantia, facilitas, prudentia quantum anni ferebant, cum insigni magnificentia ac liberalitate conjuncta, eum honore dignum reddiderunt, amabilem cunctis effecerunt. In hoc tamen fastigio communi omnium expectationi non correspondit. Quippe cum fuisset in juventute ab eruditissimis Magistris in politiori litteratura apprime instructus, hujusmodi, quibus perspectæ Græcorum fabulæ, Poetarum delicia, præferbat Theologis; quibus, si assuevisset, cautius in distributione Indulgentiarum eorum consilio sese concessisset. Et nisi virorum Ecclesiastica eruditione præstantium copia ipsi defuisset; eorum fortè scriptis nascentes hæreses oppressisset, ut bene observat Pallavicinus, de eodem Pontifice scribens, quod se hebetari passus sit ab ea specie, quæ magnificum cum bono confundit, & illectus magnificentiæ splendore, quæ instar ignis tantum fulget quantum consumit. Eam adhibuit in functione, in suppellectile, convivii, musica &c. ita ut à Lutheranis Purpuratus Sardanapalus nominaretur. Venationibus aucupiiisque nimium deditus, nastitiosus perspicilio feras longissimè videbat. Sunt, qui eum culpant, quod ingentem pecuniarum vim, occasione indulgentiarum è Germania, aliisque Provinciis collectam Magdalena sorori suæ dederit. Id tamen suspitione falsi non caret, tum quod hujus largitionis mentio in Apostolicæ cameræ libris non reperiatur, teste Fœlice Conteloro Tablini Vaticanani scrutatore diligentissimo; tum quod Léonis animus excelsus, operisque magnificentia persuadeant, pias illas fidelium collectiones, longeque majores opes in illius fabricæ structura fuisse absorptas. Quod autem de eodem refertur, quasi indulgentiarum proventum promulgatoribus erga certam pecuniæ summam vendiderit, id quidem turpem faciem præferulisse haud iniquus

iniquus censor ait, usque adeo, ut satius fuisset quodcumque incommodum devorare, quàm hoc scandalum activum & passivum Christianis populis adferre, quando lucris inbiantes pastores seu mercenarii Christi ovium vellera indulgentiarum forfice abscindebant. Visum tamen est, id aliter fieri non potuisse, eaque collectio nemini injuriosa, utpote sine exactione, quanquam non sine simplicis plebis circumventione & illusionem peracta. In religione notatur à quibusdam tepidus, suorum promotione nimis sollicitus. Cæterum famâ intaminatâ fuit, moribus castissimis, quidquid Jovius ejus encomiastes alias, de contrario vitio abominabilem eum suspectum fuisse insinuet. Feriis quartis à carnibus abstinebat, sextis leguminibus contentus erat. In sopiendis Christianorum Principum dissidiis studiosus. Oecumenicum Concilium absolvit. Hæreses exortas damnavit, detectas quorundam Cardinalium adversum se conjurationes severissimè ultus fuit. 1517. 1. Julii 30. Cardinales creavit. Minimorum Ordinem confirmavit, Varios Sanctis adscripsit. Ad compescendos Turcarum insultus solemnes ad Deum supplicationes instituit, quibus discalceatus interfuit. Ut audiverat Gallos à Cæsarianis suâ etiam operâ Mediolani superatos, excessivo gaudio A. 1521. 2. Dec. æt. 46. extinctus fuit, quod alii verisimilius lesto veneno tribuunt. Nulla tamen inquisitio facta, ne Monarcha quidam infamis parricidii redderetur. Sedit an. 8. m. 8. d. 20. In Vaticano Ecclesia S. Petri sepultus, cum hoc epitaphio:

*Leonis X. Pontif. Max. depositum
Deliciæ humani generis Leo Maxime tecum,
Ut simul illuxere, interière simul.*

H A D R I A N U S VI.

§. CCXXII. Batavus, patria Ultrajectinus patre Florentio Boyens, Cerevisiæ coctore, textore auleorum, Naupego, matre Gertrude, olim Caroli V. post Imperatoris pæda-

pædagogus, quondam Parochus Goreæ ad Mosam, Doctor Theologus Lovanii Decanus Ecclesiæ Collegiatae Episcopus Dertusensis in Hispania, Generalis Inquisitor, Cardinalis presbyter titulo SS. Joannis & Pauli, præter omnium expectationem 38. votis absens, paucis à facie notus ad Pontificatum assumptus A. 1522. 9. Jan. Falsum tamen quod ex rejectione votorum, ut Guiciardinus contendit, electus fuerit. Victoriæ in Cantabria Pontificatum suscepit: post mensem Romæ coronatus. Nomen baptismale retinuit; pariter & vivendi rationem pristinam. Doctrinâ insignis, quemadmodum ejus volumina perhibent. Eloquentiæ cultioris flores averfabatur, poetarum otiosi & ignorantium Clericorum, fautor eruditorum, volens Ecclesias sacerdotibus, non sacerdotes Ecclesiis honorare. A carne & sanguine alienus, dicitur: *Non est in sanguinibus ædificanda Sion.* Hinc nepotes ad se venientes vacuos domum relegavit; nec Magnatum instantiis adduci potuit, ut unum è cognatis Infulis exornaret, quin alium tenui beneficio provisum pinguiusque postulanti multis precibus promovit ea lege, ut priori se abdicaret. Pietati addictissimus quotidie circa auroram ad aram litabat. Batavam frugalitatem in refectioe, cujus horam exactè tenebat, illam lectione sacra condens, observabat. Merlo pisce (similis est Bleyo nostrati) delectabatur ridente toto foro piscario, qui tamen ideo carioris pretii. Pompæ sæcularis inimicus, cum fortuito rationes sumptuarias Leonis inspexisset, admiratus fuit factas unius jusculi. Ipse 12. Imperiales dietas tantum infumebat in familiam. Cerevisiam semper, vinum raro bibebat, unde creditur infirmitatem traxisse. Initio Pontificatus ad Curia reformationem animum applicuit. Consilio eruditorum quæstuosæ in concedendis indulgentiis, ac dispensationibus liberalitati modum adhibuit. Grassante peste impavidus persistit. Publicam orbi Christiano concordiam procurare studuit. Talem tantumque Pontificem Pallavicinus *Hist. Conc. Trid. Lib. 2. c. 9.* à Vaticanis senatoribus ob temporis iniquitatem supra meritum

ritum æque existimatum; hancque de eo fert censuram, quod fuerit sacerdos optimus, Pontifex revera mediocris; apud populum verò, res ex eventu metientem, infra mediocrem. Sed iniquam putant viri æquissimi Launoy. Nat. Alexander &c. Quandoquidem Hadrianus Pontificiis virtutibus in gradu heroico refulserit, Christianâ prudentiâ clarissimus; etsi defecerit illi politia Sæcularis, dissimulandi ac fallendi artifex. Quò utique spectavit Brietius Chronologus, more suorum conterraneorum, patriis affectibus obnoxius, quando judicavit illum ipsùm ad litteras, quam ad Pontificatum aptiorem fuisse. Rectius de illo author synchronus arbitratus fuit, quod propinquior extiterit iis qualitatibus, quæ requiri solebant in electionibus Pontificum, temporibus, à primitivæ Ecclesiæ spiritu minus remotis. Redarguitur passim, quod difficillimè in concedendis postulatis negotiis, quæ moram non patiebantur, lentus, timidus & perplexus. Unde libera illa vox Legati Regis Hungariæ in Consistorio: *Sme Pater! Fabius Max. cunctando restituit rem Romanam: cunctando rem Romanam adeoque universam Europam perditurus videris.* Scripserat olim Hadrianus contra polygamiam spiritualem: non tamen convenienter se gessit, qui plura in Hispania habuit beneficia, & plura Germanis concessit. Desuper conventus reposuit: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus: cum autem factus sum vir evacuavi ea, quæ sunt parvuli &c.* Urgentibus, ut severiora adhiberet ad extirpandas hæreses remedia, occurrit: *Observentur Cainones & cessabunt hæreses.* Ob fugam humani consortii Minotrophos habitus: & cum indies se recluderet, ad locum, ad quem nulli aditus patebat; rumor exiit, quod speciosam feminam Nympham Egeriam inibi haberet, quodque ex nimia Venere infirmitatem contraxisset, quodque pederastiæ addictus, quia in famulatu tenellæ ætatis juvenes ex Hispania adductos alerát, quos ipse tamen ultro dimisit. Magus habitus, cujus instrumenta essent inventa ad Lapidem Philosophicum; inter

inter ejus scripta quædam micromantiam Sapia. Sed virum
 citra noxam Romanis invifum egregiè vindicavit Gerardus Mo-
 ringus *in vita*: Renum dolore, ac tabifica febre, feu, ut suspicio
 erat, intoxicatus vitam finiit 1523. 14. Sept. mcerentibus bonis
 exultantibus aulicis, qui Joanni Andracino Archiatro supra ædis
 fuæ portam infcripferant. *Liberatori Urbis & Patriæ. S. P. Q. R.*
 Vixit annis 64. m. 6. d. 13. Sedit a. 1. m. 8. d. 6. Conditus in-
 ter Pium II. & III., cujus monumento hoc impositum epita-
 phium. *Hic fitus est Hadrianus VI. qui nihil sibi in vita, quam*
quod imperaret, duxit. Cardinalis Enckenvoort patriota, quem
 unicum paulò ante mortem creaverat, corpus transferri cura-
 vit in templum Germanorum S. Mariæ del anima. Duos quo-
 que in numerum Sanctorum retulit Epifcopos Bennonem &
 Antoninum: Sumptus in Canonizatione plurimum imminuit
 quod Papebrochius obfervat, male inde, fed immerito, habitus
 à Sebaftiano Carmelita.

C L E M E N S VII.

§. CCXXIII. Florentinus, antea Julius, patre Juliano, posthu-
 mus filius naturalis, quod probari poffe negat
 Pallavicinus, Leonis X. patruelis, Miles Rhodius, Archi-Epi-
 fcopus Florentinus Ambrunensis, Narbonensis, R. E. Vice Can-
 cellarius, presbyter Cardinalis S. Laurentii in Damaso à Patri-
 bus omnium pater Constitutus fuit. Gravitate conspicuus ac-
 cefluque facilis excelsum in utriusque fortunæ eventibus gelfit
 animum: in actionibus tamen fuis nimium feftinus, licet aliàs
 meticulosus, mens in eo plurimarum rerum capax linguaque
 eloquens. Ob diminuta officialibus ftipendia, exactas à Clero de-
 cimas, aucta tributa, in conferendis beneficiis tenacitatem exifti-
 matus avarus. A Cafarianis Romam occupantibus captus ma-
 gno lytro redemptus. Carolum V. Imp. Bononiæ coronavit.
 Maffiliæ Francifcum I. Regem Gallia convenit. Henrico VIII.
 Regi Angliæ anathema interminavit. Regis Aethiopia Legatos
 Romæ

Romæ excepit. Ventriculi doloribus tabefactus 1534. 25. Sept.
æt. 56. vitam amisit. Ejus mors tanto excepta gaudio, quanto
electio. Sedit a. 10. m. 10. d. 7. translatus ad templum S. Ma-
riæ trans Tyberim. In eum Lusit Pasquinus:

*Clementem eripuit nobis Clementia fati
Humanum toto gaudeat orbe genus.*

P A U L U S III.

§. CCXXIV. Romanus, ante Alexander patre Aloyfio de Far-
nesiis, matre Johannella Cajetana Cardinalis
Episcopus Ostiensis & Veliternus Collegiique Decanus, primo
Comitiorum die, sine scrutinio, 34. Cardinalium vota tulit, ut
Pontifex fieret, quem moriens antecessor ut dignissimum com-
mendaverat, qualem se etiam in Pontificatu probavit. Fuit
omnium artium liberalium notitia, præsertim Matheseos appri-
me instructus. Humanitate, affabilitate, comitate aliisque vir-
tutibus moralibus excellens. Prudentiâ enituit prorsus admira-
bili, quam spatio 60. annorum, quo publica munia obierat, diu-
turna rerum experientia inconcussam reddiderat. In altissimo
honoris fastigio Christianam Rempublicam gubernans personam
sacrați Principis dextre junxit Pontificis qualitatibus, frustra ab
hæreticis, infamibus apostatis scurrisque, linguam in eum acuen-
tibus, Serpentium instar, insectatus; magnâ in agendo solertia,
pietate & religionis zelo præstantissimus. Urbem, diverticulis
viarum deformem, dejectis in concinnè ædificatis domibus, am-
plificatisque plateis, illustriorem fecit, ob hoc statuam prome-
ricus. Et nisi gravioribus vectigalibus subditos onerasset, nemo
usque huc per multos annos jucundiorum sui memoriam reliquif-
set. Emendandæ Romanæ Curia & instaurandæ disciplina Ec-
clesiasticæ studium illum laxioribus reddidit invisum. Sed quam-
quam recens mortuus non admodum probaretur, in sequentium
tamen temporum infelici eventu maximè à bonis omnibus & ab

infima multitudine desideratus fuit, ut Onuphrius *in Vita* testatur. Societatem nominis Jesu approbavit, Concilium Generale indixit. Indicias inter Imperatorem & Regem Galliaë procuravit. Regem Angliæ excommunicavit. Irreprehensibilis, si carni & sanguini grandævus plus æquo non adhæssisset. Fuerat ei ex nobili puella Provinciaë Anconitanæ, ubi Legatum Apostolicum olim egerat, filius Petrus Aloysius, indeque nepos Octavius Farnesius post truncatum patrem nimium dilectus, quem Numine vindice recalcitrantem sensit. Lectis siquidem litteris illius minacibus in lectum incedit ingeminans: *Si mei non fuissent Dominati, tunc immaculatus essem &c.* obiit 1540. 10. Dec. æt. 87. Sedis a. 15. d. 18. Sepultus in Vaticano. Creaverat Cardinales ultra 70.

JULIUS III.

§. CCXXV. Romanus, oppido & familia de Monte S. Savini Dicecesis Aretinæ in Tuscia, ante Joannes Maria de Monte, patre Vincentio Fabiano Juris Consulto, Archiepiscopus Sipontinus, Cardinalis & Episcopus Prænestinus, post longam 79. dierum Cardinalium in Conclavi disceptationem, præter suam communemque expectationem Urbis Orbisque caput effectus. 1550. 14. Febr. Ea, quam præseserebat morum severitatem & in alios rigorem, plurimum sui electionem rarendaverat. Fuit nihilominus in Pontificatu benignior, sed passim absque delectu. In amore tener, in odio celer, in condemnatione celerior. Qui antea moderationes, sobrietatis industriaeque præclara specimina præbuerat, visus in Pontificatu fuit, se mancipare voluptatibus, otio, abdicatisque curis rerum gravissimarum genio indulgere, ad excogitandum præstantior, quam ad insistendum excogitatis. Multum reprehenditur in eo, quod quendam adolescentem deformem, simium dictum, cujus origo ignoratur, in deliciis habitum creaverit Cardinalem cum annum ætatis

ætatis decimum septimum nondum excessisset, qui postea fuit vocatus Innocentius de Monte. Commendandus Julius in eo, quod suis non ultra modum addictus, iis ex Camera Apostolica nihil donaverit, pauca ex Ecclesiæ bonis, nonnisi ad dies vitæ possidenda permiserit; abhorruerit à suis connubio Sociandis cum Principibus: quamquam fratris filium nothum unicum in conjugium promoverit cum filia Cosmi Ducis. Concilium Tridentium antea Legatus præfederat, continuari iussit, Reginaldum Polum in Angliam ablegavit, ut cultum Catholicum restitueret. Pariformiter Missionarios in Asiam destinavit, qui Linguae Syriacæ gnari Schismaticos, ut hi desideraverant, in orthodoxa religione ad ritum Romanum instruerent. Adversus Gallos & Octavium Farnesium illis confederatum bella gerere compulsus fuit. Podagræ doloribus continuo vexatus succubuit 1555. 23. Mart. ex imprudenti medicorum consilio, si non ex propinato veneno. Sunt, qui inediâ ad mitigandos podagræ dolores suscepta calorem naturalem in eo extinctum volunt æt. 70. an. Secedit a. 5. m. 1. d. 16. Sepultus in Vaticano. Insignior in Cardinalatu quàm Papatu.

MARCELLUS II.

§. CCXXVI. Tuscus, ex oppido Montis Politiani, antea Marcellus: Nomen non mutavit, patre Richardo Cervino de Spannochiis, matre Cassandra Bencia, nobili stemmate ortus. Episcopus Neocastrensis, Regiensis, presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Jerusalem. 36. Cardinalium suffragiis apicem Christiani Sacerdotii adeptus fuit. 1555. 9. Aprilis. Innocentia vitæ haud vulgari, moderatione animi, & prudentia diuturno rerum usu consummatâ cunctis, etiam Ecclesiæ hostibus venerationi fuit, quam elucens in eo dignitas ac Pontificiæ personæ majestas multum auxit. Prosequendo reformationis negotio institit, Cognatis ingressum Urbis interdixit, sub refectione

etione corporis, animum sacra lectione pascebat. Post longum aliquod silentium, manu pulsans tabulam, alta voce exclamavit. *Non video quomodo possim in hoc statu salvari.* Cum dudum ihericâ laborasset, ex assiduis majoris hebdomadæ functionibus debilitatus in apoplexia Spiritum Deo reddidit ætatis 55. Pontificatus d. 21., Sepultus apud S. Petrum. Nepotismi osor maximus.

PAULUS IV.

§. CCXXVII. Neapolitanus, ante Joannes Petrus, Patre Antonio Maatalunæ Comite, Matre Victoria Campanesia, ex illustri Caraffarum stirpe prognatus. Olim Regum Hispaniæ Ferdinandi & Caroli Sacellanus, Episcopus Theatinus, Albanensis, Archi-Episcopus Neapolitanus, Cardinalis Episcopus Tusculanus, deinde Ostiensis & Veliternus, prævalentibus Gallis horumque affeclis Octogenarius supremus Ecclesiæ Hierarcha creatur A. 1555. In divinis pariter & humanis scientiis versatissimus fuit, Theologus triglottos doctissimus, scriptis clarus, inter quæ Regula Clericorum Regularium, qui Theatini sunt dicti, quorum cum Cajetano fuit author, dum esset Episcopus Theatinus. Initio Pontificatus ob austeros mores, & severissima edicta formidabilis: appetens tamen magis amari, quàm timeri, lautum se & magnificum præbuit, firmatis, auctisque Romanorum civium immunitatibus, levatâ annonæ penuriâ, imminutis vectigalibus, ob hoc & similia à S. P. Q. R. Statua donatus. Non destitit tamen antiquæ disciplinæ Ecclesiasticæ zelator, Cleri luxum corruptosque mores, citra personarum respectum perstringere, hæreticos acriter castigare, Apostatas & blasphematores severe reprehendere, Religiosos ad suæ professionis observantiam, Episcopos ad residentiam inducere, Judæorum avaritiam, quos crocei coloris pileo distingui voluit, coërcere, Lenocinia proscribere, Nepotes ob conniventiam recalcitrantes publicis muneribus exuere. In dispensando parcus, in proposito ferè immutabilis, in actionibus cunctabundus erat, ideo-

ideoque multis laudibus, multisque vituperiis, pro diversitate affectuum, exceptus. A Palavicino vivacibus coloribus, calamo cuspidato depictus, studium pietatis, *inquit*, non potuit in eo extinguere quosdam Spiritus vel à patria, vel à familia, vel à temperamento haustos. A patria retinuit immoderatam quandam sollicitudinem in vestium concinnitate, splendoremque pompæ supra Ecclesiasticam in exteriori cultu. A familia nimium amorem sanguinis, & in sanguine nimiam æstimationem titulum amplitudinisque mortalis. A temperamento quandam agendi rationem elatam, vehementem, iracundam, & quandam severitatem, quæ animæ timorem præse ferre videbatur. Plus habuit pectoris ad punienda crimina in quovis sublimi capite, quàm prudentiæ ad eadem præpediendâ. Amplitudinem omnem sacrosanctæ suæ potestatis habuit pro mensura eandem sapienter exercendi, haud animadvertens rebus naturalibus, non moralibus, effatum illud adaptari. *Frustra esse potentiam, quæ non reducitur in actum.* Hæc author ille. Minus adhuc benevolè hunc Pontificem tractant Hispani, quod contra Regem suum bellum pro recipiendo regno Siciliae suscepisset: quin ob severiora insuper statuta magnam sui nominis invidiam hostesque conjuratos sibi creaverat, qui eum è medio tollere molirentur. Sustulit eum aqua inter cutanea 1559. 18. Aug. æt. a. 88. Pontificatus a. 4. m. 2. Statimque carcer Inquisitionis infractus à tumultuante plebe, præsesque illius graviter fauciatus. Ex Capitolio Pauli statua scædè confracta, per urbem, fune ad collum alligata, tracta, insignia comminuta, monumenta dejecta, bona Caraffarum direpta. Corpus ob metum invasionis à militibus custoditum, sine pompa reconditum fuit in Vaticano templo S. Petri cum hoc epitaphio

Si tua non pendet Parisi mixta columnis

Paule, nec est titulis urna superba tuis:

Sat tibi pro tumultu cælum est: nam maxime virum!

Non alto poteras marmore Paule tegi.

Non

Post septennium à Pio IV. inde translatum, ad S. Mariam de Minerva in Ecclesiam FF. Prædicatorum & in marmoreo sepulchro positum fuit cum hoc epitaphio.

Jesu Christo

Spei & vitæ fidelium.

Paulo IV. Caraffæ Pontifici Maximo, Eloquentiâ, Doctrina, Sapientia, singulari innocentia, Liberalitate, animi magnitudine præstantissimo, scelerum vindici integerrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, Pius IV. Pontifex Maximus gratæ & pii animi monumentum posuit.

Quo falsitatis convincitur ex Jesuita Masonius, dum pro-
palat Pontificem illum fuisse Veneri & Veluptati deditum, sub-
jungens:

Hæc scribimus quia vera sunt.

P I U S IV.

§. CCXXVIII. **M**ediolanensis, ante Joannes Angelus Mediceo-
patre Bernardino Mediceo, matre Cæcilia Sor-
belliona, presbyter Cardinalis titulo S. Priscæ, 1559. die Natalis
Domini à 44. Cardinalibus ad magistratum omnium principem
evehitur. Cui Pontificatum creditur prænuñtiasse columba, il-
lius cellæ in Conclavi supervolitans, & in ea quiescens. Rectius
dicetur, quod gratiarum, à natura & cælo provenientium con-
geries ei aditum ad hocce culmen patefecerit. Ingenio fuit vi-
vacissimus, memoriâ ac mente firmus, sagax & astutus, benigni-
tate amabilis, in adversis patiens, in egenos pius, in eruditos li-
beralis, pater pauperum, ac musarum protector dici meritus.
A Clementia etiam Pontificatum exorsus populo Romano con-
donavit, quod interregni tempore in prædecessoris statuum, &
Inquisitionis contumeliam perpetraverat. Verùm haud multo
post naturam moresque sic immutavit, ut sibimet dissimilis eva-
serit. Vindictæ capidus Antecessoris decreta, pariter & familiam
evertere

evertere nifus, juffit quosdam è nepotibus, quibus præcipuè fuffragantibus electus fueret, strangulari & decollari. Promovendis atque ditandis fuis propinquis continuo intentus, exactio- nibus graviffimis, invifum fe effecit, beneficiorum immemor, iræ obnoxius, pecuniæ avidus, in voluptates pronus. Usque adeo verum eft, quod majora Sydera duntaxat eclipfin patian- tur; quando in viris magnis virtutes illuftriffimæ turpiffimis ob- fcurantur vitiis. Etfi verò Pius non fuit in omnibus, ut debe- bat, irreprehenfibilis, laudabilis tamen in eo, quod in proffi- ganda hærefi, in Turearum impetu reprimendo, in absolvendo Concilio Tridentino, prudens, fortis, Laboriofus & vigilans ex- titerit. Quod illi affingitur mortis genus infulens, spurciffimi hæretici impudens eft mendacium. Equidem conftat, quod ex victus intemperatia in morbum inciderit. Ante mortem, ex ti- more Turcarum, facramentis è manu Nepotis S. Caroli fufce- ptis obiit 1565. 6. Dec. æt. 67. Sedit a. 5. m. 11. d. 15. requiefcit in Ecclefia S. Mariæ Angelorum.

S. P I U S V.

§. CCXXIX. Inſuber, ex oppido Boſchi, antea Michaël de Ghesleriis, Patre Paulo, matre Angeria, pro- genie nobilis, professione Dominicanus, Inquiſitor Generalis, Epifcopus Sutrinus, Nepesinus, Cardinalis presbyter titulo S. Mariæ ſupra Minervam, Epifcopus Montis Regalis, præter omnem expectationem, & ipſe nihil minus tale cogitans, dere- pente divinitus conflato 1566. 52. Patrum conſenſu, quem pri- vatim ſinguli rejecturi viderentur, communiter univerſi, inter- venientibus potiſſimum Farnesio & Carolo Borromæo Cardina- libus, cunctorum applauſu Pontifex efficitur, annum æt. 62. in- iens, atque in die Natali coronatur. Sicut ante ſuſceptum mu- nus in eo fuerat admirabilis patientia, profunda humilitas, ſum- ma vitæ austeritas, continuum orationis ſtudium, ac divini ho- noris

noris ardentissimus Zelus: ita in Pontificatu nil in vitæ ratione, præter vestem exteriorem, mutans, alias virtutes heroicas prioribus conjungens, primitivorum Pontificum sectator exiit. Carni & sanguini mortuus, omnis & præcipua ei cura fuit de communi salute, de Ecclesiastica disciplina restituenda. In Exirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egenorum necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robor invictum. Terror fuit infidelium, hæreticorum, & Ecclesiæ hostium, quos non tam armis, quàm precibus devicit. Miraculorum gloria in vita & post mortem illustris, post res innumeras præclarissimè gestas, calculi doloribus confectus, accedente Febre ad Superos abiit ætatis suæ 68. an. 1572. 1. Maji Postquam Sedisset an. 6. m. 3. d. 24. In Basilica Sanctæ Mariæ ad Præsepe reconditus, ubi summa fidelium veneratione colitur. In ejus nomine frigidè lussit Oventus Anglus:

Papa Pius Quintus moritur, res mira tot inter

Pontifices tantum quinque fuisse Pios.

Sacra Congregatio 1628. censuit die anniversaria missam de SSma Trinitate celebrandam. Clemens IX. beatum dixit. Clemens XI. Sanctissimi nomen in Sanctum mutandum decrevit.

G R E G O R I U S XIII.

§. CCXXX. Bononiensis, antea Hugo Boncompagnus, patre Hugone, matre Angela Marefcalla, olim Juris utriusque Professor, Cardinalis presbyter, titulo S. Sixti, 66. Cardinalium suffragio supremi Apostolatûs honorem consecutus. Festo Pentecostes coronatus fuit: quando magnam pecuniæ summam, in populum aliàs dissipandam, religiosis locis ac egentibus impertivit. Tantâ deinceps largitate in viduas, orphanos, matronas honestiores, transfugas ob religionem adolescentem, quanta forsan præteritis Sæculis nemo exiit. Ejus beneficentiæ certissima argumenta sunt viginti duo Gymnasia, seu Collegia studio-

studiosorum in cunctis ferè Europæ non solum regionibus: sed in ipso regno Japoniæ vastissimo erecta, & liberalissimè dotata. Vicies centena aureorum millia in pauperes erogata, testantur publicæ tabulæ: præterquam quod Urbem plurimis ædificiis ornaverit, pontes & palatia instruxerit, ac sub ejus Pontificatu omnium rerum abundantia extiterit. Sibi parcus, domi frugalis, suisque non adeo addictus, ut immeritos locupletaret. Si Joanni Boncompagno notho suo Pontificii exercitûs Generalissimo quidquam indulserit, id non tam sanguinis illicio, quàm aliorum consilio tribuendum erit. Cæterum fuit in expediendis negotiis pravissimis solers, scælix & providus, responso opportunus, eloquio gravis. Litterarum studia, quo ad licuit, nunquam intermisit, dictitans, *nullum magis decere plura scire, quam Romanum Pontificem.* Decretum Gratiani emendatius reddidit. Kalendarium Romanum, pariter & Julianum corrigendo ad æquinoctium deduxit. Ob plurima pastore optimo digna S. P. Q. R. Statuam æneam in Capitolio, velut æternum tanti Pontificis monumentum erexit, & congruo encomio decoravit. Senio gravi laboribusque confRACTUS, dum horam extremam propinquam sensisset, unctiorem imperterritus recepit, se suosque Deo commendans signo s† sese muniens Jesu nomen inclamans obdormivit 1585. 10. Apr. æt. 84. Pontificatus a. 12. m. 10. d. 28. Sepultus in Vaticano.

SIXTUS V.

§. CCXXXI. Picenus, ante Felix Peretti, Patre Francisco Peretti, matre Gabanna, mercenariis. Nono ætatis anno subulcus, paulò post in Conventu FF. Minorum Ascolitano mediastinus, habitu deinde Conversorum indutus, cum intra biennium Linguam Latinam didicisset, Choro applicatus, professionem emisit necdum 14. annis natus. Theologiam professus, & prædicator longo tempore celebris in Generalem Ordinis electus, à Pio V. Episcopus

scopus S. Agathæ, Cardinalis presbyter titulo S. Hieronymi
 creatus, citra communem opinionem 41. Cardinalium suffragiis
 electus Pontifex coronatur. Et qui ante Pontificatum obstipo
 capite & defigens lumine terram, pectore obstruso incedere vi
 debatur, patefactis in Conclavi vix sufficientibus votis, erectus
 altisonâ voce A. 1585. primus Canticum Ambrosianum intonare
 auditus, stupentibus Patribus, quibus aliquando dixit, se in
 curvum claves cœli quævisse, nunc vero extensum, seram, cui
 eas imponeret, quærere. Vir verè magnus & ad res gerendas
 hostium etiam testimonio, aptissimus, atque ob præclara gesta
 nunquam satis laudandus. In Urbe palatia, pontes, Xenodo
 chia, columnas, aquæductus aliæquæ ædificia summa admiratio
 ne digna extruxit, sic ut tertius Romæ fundator habitus fuerit.
 Civitatem in Monte alio, ubi natus, magno ære ædificavit.
 Lauretanum templum magnificentissimum consecravit, oppidum
 mœnibus cinxit & jure civitatis donavit. Bibliothecam Aposto
 licam ex Laterano in vaticanum translata, insigni librorum
 suppellectili auxit, & publico Litteratorum commodo præbuit.
 Typographæum instituit. Bononiæ collegium construi fecit.
 Italiam prædonibus, sicariis, banditisque refertam, mirabili in
 dustria expurgavit, adeo ut aurea sæcula, illo auspice, rediisse
 visa & solo Astræa reddita, quando annona abundans, pirææ
 profligati, virtutes cultæ, vitia extirpata. Fuit justitiæ tenacis
 simus, ac sine respectu personarum severissimus criminum vin
 dex; religionis Zelotes, parsimoniæ cultor, Luxûs Osor, fruga
 lis in mensâ, modestus in exteriori cultu. In Laboribus infati
 gabilis, qui dies publicis negotiis, noctes quandoque integras
 aut magnam eorum partem Lectioni dabat. Henrico Navarrao
 anathema intentavit. Octo ordinationibus 33. Cardinales viros
 egregios creavit. S. Didacum fastis sacris inseruit, Bonavenru
 ram Ecclesiæ Doctoribus annumeravit. Obeliscus Sanctæ Cruci
 dicatus, auspiciis Sixti erectus ope 800. operariorum, 46. ergu
 tarum, 140. equorum. Scudi, ut vocant impensi 36975., libra
 rum

rum 1043537. duos quoque alios ingenti sumptu erigi curavit. Ruminare solebat fortunæ suæ vices varias, diligenter à se notatas, & in ante actæ vitæ cursum reflectere, volupe erat. Jocando dicere solebat se domo natum illustri, quod scilicet eam per tecti laterumque compagem sol facile illustraret. Diem Mercurii mirè habuit faustum, in quo natus, religiosus, Ordinis Vicarius Generalis, Episcopus, Cardinalis & Pontifex factus. Gravissimis negotiorum oneribus pressus, exin capitis, ex vehementi ira arthridis dolores contraxit, quos, dum vino Græco liberalius hausto, mitigare vellet, auxit; usque adeo ut lecto decumbere compelleretur. Sacro viatico confortatus patheticam orationem ad convocatos Cardinales habuit: & cum somno sese dedisset, hunc cum morte conjunxit 1590. 27. Aug. æt. 70. an. Sedis ann. 5. m. 4. d. 3. Corpus in Ecclesiam S. Petri depositum, quousque Cardinalis nepos translatum in templum S. Mariæ majoris facello Sixtino imposuisset. Post tot incredibiles expensas reliquit quinquagies centena aureorum millia in mole Hadriani asservanda, necessitati Reipublicæ Christianæ deservitura. Ducenta item aureorum millia in sublevamen annonæ &c. In Sixti agalmate videbantur Leo, tres montes & Sydus, ad quod ingeniose non minus quàm verè lusit poëta.
Sunt altimontes, altus Leo, Sydus & altum:
Corde tamen Sixti mons, Leo, stella minor.
Gnomen, Magnatum more, Symboli instar assumpserat:
De Ventre matris meæ tu es protector meus. Illud quoque ipsi perquam familiare erat: *Suscitans à terra inopem; & de stercore elevans pauperem.*

URBANUS VII.

§. CCXXXII. Romanus, ante Joannes Baptista Castanæus, patre Cosmo Castanæo, nobili Genuensi matre Constantia Riccia, Archi-Episcopus Rossanensis, S. Sedis sapè Legatus

Legatus, Cardinalis presbyter titulo S. Marcelli, à 54. Cardinalibus septimo ab ingressu die in Conclave Pastor & Rector Ecclesiae Christi constituitur. Qui dum Pontificio habitu indueretur, stolaeque linea ejus humeris imponeretur, dixisse fertur *Quis crederet vestem tam levem tantum secum adferre ponderis*. Statura erat medioeri, vultu majestate pleno, naturam melancholicus, corpore robusto. In jure versatissimus, beneficis debitoribus omne debitum remisit. Morbo improvise correptus soli salutis animae intendens, cum gratias Deo egisset, quod tam subito ex periculis tantae dignitatis eum eripere voluisset, sacramentorum praesidiis praemunitus septuagenarius ad coronam gloriae vocatur 1590. 27. Sept. cum sedisset duntaxat diebus 13. ad S. Petrum sepultus. Cuncta bona sua haereditaria ad valorem 30000. aureorum Sodalitati B. M. Annuntiae commisit, ut in dotes calamitosarum virginum conferrentur.

GREGORIUS XIV,

§.CCXXXIII. **M**ediolanensis, antea Nicolaus Sfondratus, patre Francisco Sfondrato, matre Anna Vice-Comite, a. 54. Cardinalibus, inter quos 15. ad Pontificatum propositi, inventus est dignissimus, qui summo fungeretur Sacerdotio, cum prius esset presbyter Cardinalis titulo S. Caeciliae. Ex utero matris excisus mense 7mo, naturae defectum in decursu vitae arte medica supplere debuit; hilaris tamen & risui hians ore obnoxius. Sacrarium fuit omnium virtutum, ita ut, teste scriptore coevo, nil in eo deesset, quod ad Episcopalis muneris perfectionem requieretur. Quotidie mane lectis 7. psalmis penitentialibus horariae meditationi vocabatur, Horas Canonicas & B. M. V. genuflexus recitabat, feria 6ta jejunabat, quarta à carnibus abstinebat. Locis religiosis large & providè consultuit, pauperes aluit, Urbem pecunia laborantem sublevavit. Calculi doloribus patientissimè toleratis, accedente alvi profluvio, post veniam

veniam à Cardinalibus humiliter petitam, placide in Domino obdormivit 1591. 18. Oct. ætatis 57. annorum, Pontificatus m. 10. d. 10. Sepultus in Vaticano, meritò hoc decoratus Anagrammate:

Gregorius decimus quartus.

Murus custodiâque Gregis.

Vacat Sedes 14. dies.

INNOCENTIUS IX.

§. CCXXXIV. Bononiensis, antea Joannes Antonius, ex nobili Faschinetorum profapia oriundus, Episcopus Neocastrensis, Patriarcha Alexandrinus, presbyter Cardinalis titulo Sanctorum quatuor coronatorum, altera die Comitiorum 57. votis in Pontificem totius Urbis applausu adoptatus fuit, Die Dominica sequenti tiarâ insignitus tricornata, quam sibi aliquando obventuram prognosticon fuit, quando de prædecessoris capite, cui pro more obedientiam præstaret, in suum cadere visâ est. Ob eruditionem eximiam, experientiam longavam, dexteritati in rebus agendis junctam, quisque conceperat spem firmam, evasurum illum proficuum omnibus, cui expectationi utique correspondisset, quando accingentem se ad grandia, ac de Ecclesiæ statu reformando meditantem præmatura mors intercepit 1591. 30. Dec. cum annum ætatis Septuagesimum excessisset. Sedit m. 2. Sepultus in Basilica Vaticana S. Petri.

CLEMENS VIII.

§. CCXXXV. Florentinus, antea Hypolitus Aldrobandus patre Sylvestro de Aldrobandinis Jurec. matre Lyfiâ Detâ, Auditor Rotæ, Episcopus Imolanus Legatus Sedis Apostolicæ in Germania & Polonia, Major Pœnitentiarius Cardinalis presbyter titulo S. Pancratii, 40. Cardinalium votis expetitus,

us, 1592. constituitur Vicarius Christi, quem exoraverat; ut nisi hæc dignitas in illius gloriam cederet, prius obmutesceret, quam electioni ipse consentiret. Doctrina æque ac pietate spectatissimus. In Jubilæo Sæculari pauperum pedes lavit, ipse nudipes Basilicas obivit. Pauperes plurimos sustentavit. Hispaniarum & Galliæ Reges, Imperatorem & Transilvaniæ Principem reconciliavit. Henricum IV. Galliæ Regem in sinum Ecclesiæ benignè recepit: Ferrariæ Ducatum ut Sedis Apostolicæ feudum recuperavit. Alexandrinæ Ecclesiæ nec non & Ruthenorum Legatos in Urbe benevolè suscepit; aliaque plurima in commodum Christianitatis elaboravit, quoadusque annis curisque defatiscens septuagenarius 1605. 3. Mart. migravit ad Dominum. Sedit a. 13. m. 1. d. 3. Sepultus in Vaticano.

LEO XI.

§. CCXXXVI. Florentinus, ante Alexander patre Octaviano de Medicis, Cosmæ Florentiæ Ducis consobrino, Archi-Episcopus Florentinus, Legatus Sedis Apostolicæ in Gallia Cardinalis Episcopus Prænestinus, summo Pontificatus Romani honore septuagenarius fuit dignatus, ob præclara merita creditus à Deo datus. Nullis, tempore infirmitatis mox supervientis, quantumcunque valentium precibus adduci potuit, ut nepotem suum eximiis naturæ & gratiæ donis spectatissimum crearet Cardinalem, quin & Confessarium suum ob hujusmodi instantias abegit. Splendidissimo comitatu ad capefcendam possessionem profectus, æstum vehementem contraxit, sic ut sudore undique diffunderet. Refrigeratus in febrim incidit gravissimam, qua mox succubuit, 1605. 27. Apr. relicta omnibus consternatione non modica. Sedit dies 25. explevitque tamen tempora multa egregia meditans: quandoquidem in magnis voluit se fat sit.

PAU.

PAULUS V.

§. CCXXXVII. Romanus gente Senensis, ante Camillus Burchesius, patre Antonio Burchesio Advocato Consistoriali, Matre Romana nobili. Olim auditor Camerae Legatus S. Sedis in Hispania, presbyter Cardinalis tit. S. Chryso-
goni, primùm à Cardinale Montalto, habita deinde disquisitione viva reliquorum voce communi applausu Papa salutatur ipso festo Pentecostes coronatus. Exquisiti fuit ingenii, raræ litteraturæ ac singularis honestatis. Quantumcunque affabilis, insuper demissi esset animi, libertatis tamen Ecclesiasticæ ac Sacrorum Canonum visus defensor intrepidus, qui spiritu Gregoriano ac Leonino imbutus, personis nihil tribuens, malignantium machinationibus fortiter restitit. Principio suæ assumptionis vectigalibus moderatis, sublevata annona, fugatis banditis, miserabilium personarum admissione beneficentia operibus supremas in omnium ore Laudes promeruit, animosque sibi devinxit, sub quo Roma, quantum potest, reddita melior. Quod is fuerit quem Deus dedit, prognostico quodam insinuatum ferunt, quando existentibus in Conclavi Cardinalibus Aquila ex ædibus Altæmpsiensis volatu in sublime elata, postquam diu aërem pererrasset, tandem ad fortalitium molis Hadriani Draconi inscul-
& subjecto Dracone insignia gentis Borchesianæ Romanis repræsentavit. Imperatori Ferdinando II. contra rebelles Bohemos magnam auri summam subministravit. Nestorianos in Chaldaea & mesopotamia ad orthodoxiam cum Patriarcha Elia rursum perduxit. Curioni sibi obvio sacrum Vaticanum ad pauperem mulierem deferenti sese adjunxit, ac Sacramentum ipse portavit aegrotanti præbuit largamque eleemosynam eidem cum benedictione Apostolica impertivit. In Consistorio apoplexia tactus haud diu post extinctus fuit, cui omnes boni longiorem vitam optassent. 1621. Vixit annis 69. Sedit an. 15. m. 8. d. 13. Depositus

tus in Vaticano templo, indeque translatus in sacellum ab eo in Ecclesia S. Mariæ majoris à se exstructum. Creavit 60. Cardinales.

G R E G O R I U S X V.

§. CCXXXVIII. Bononiensis, ante Alexander, patre Pompeio ex nobilissima Ludovisiorum familia genitus. Archi-Episcopus Bononiensis presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Mariæ trans Tyberim, urgente Cardinale Burchesio à Cardinalibus quinquaginta duobus ad gubernationem Catholice Ecclesiæ vocatur. Ea sollicitudine, doctrina, pietate vitæ sanctimonia floruit, ut condignis laudibus vix efferrî valeat. Regi Poloniarum contra Turcas adjutor fuit, pressos in Britannia orthodoxos litteris paternè consolatus, Imperatorem in perdomandis rebellibus Germanis fulcivit, Ignatium, Xaverium, Teresiam, Isidorum & Philippum Nerium solemnî ritu Sanctos pronuntiavit. Congregationem de propaganda fide in magnum veræ religionis emolumentum stabilivit. Parisiensem Archi-Episcopatum instituit. Decreta ad meliorem electionem Pontificis sancivit. Correptus febri, exasperante eam podagra septuagenarius terram cælo mutavit. 1623. 8. Jul. Sedit an. 2. m. 5. Corpus sarcophago plumbeo impositum conditum in Vaticano. Nepotismo nominis gloriam obscuravit. Adorationem abolevit & scrutinium exactius instituit.

U R B A N U S V I I I.

§. CCXXXIX. Florentinus, ante Maphæus Barberinus, patre Antonio Barberini, matre Camilla Barbadori. Sedis Apostolicæ in Gallia Legatus presbyter Cardinalis titulo S. Bibianæ, quinquaginta votis (quot ante ipsum nemo rulit) Cardinalium in Sedem vacantem suffectus fuit tunc infirmitate corporis

poris detentus ætatis 56. an. Paucis ante electionem diebus apum multitudo, quibus Barberini in insigni utuntur, in Collegio Vaticano versus Tusciam convolaverat, & examen supra fenestram, Cellæ Cardinalis Barberini contingentem parieti adhæserat. A teneris annis Musis plurimum devotus in poësi valde excelluit, politiori litteratura egregie etiam instructus, peramcena reconditæ lectionis voluptate & ubertate effectus plenus, Jurisprudentiæ scientissimus, perspicacis ingenii, memoriæ tenacis. Statura corporis erat mediocri, capite grossiore, oculis peracri obtutu scintillantibus, facie liberaliore, facundo simul & facto ore, moribus ingenuis, atque in cunctis agilis, simul ac providus & circumspectus. Varia templa vetusta restauravit, Vaticanum ampliavit & solemnî ritu consecravît. Lateranense, pariter & palatium pulcherrimè exornavit, plures splendidissima apotheosi cœlitibus adscripsit. Urbis Monasteria reformando ad pristinae observantiæ rigorem religiosos induxit. Varias epistolas in Japoniam ad fidelium inibi vexatorum consolationem destinavit. Breviarium Romanum hinc inde renovavit. Cardinalibus titulum *Eminentia* attribuit. Canonorum Reg. S. Crucis Generali Pontificalia perpetuò concessit. Italiae Germaniæque motus componere studuit, Reges Gallia & Hispania reconciliavit. Ducatum Urbinatensem Ecclesiæ restituit. Urbem veterem muris cinxit, Spiritu Principali confirmatus multa præclara peregit. Ad petram Scandali offendit, quando nimium suis addictus usque adeo, ut in illorum gratiam contra Ducem Parmensem bellum susceperit. Vegetus & sensibus integer usque in senectam, donec improbis tandem laboribus exantlatis & vastaticum curarum emensis anfractibus, accedente dyssenteria dissolutus fuit. 1644. 29. Jul. æt. 77. Pontif. an. 21. min. 7. d. In ejus corde os repertum fuit. Sepultus in Vaticano. Creavit Cardinales 74.

Fertur Gallis nimium addictus, unde dum illius insigne fuisset post electionem publice expositum, gallus nationi suæ

multa bona, adversa hostibus promittens, ad tres apes al-
ludit.

Gallis mella dabit; Hispanis spicula figet.

Quod cum Hispanus indignabundus legisset, subjunxit.

Spicula si figet, tunc vitâ & melle carebit.

Id ipsum cum Pontifici relatum fuisset, ut erat ingenii fe-
festivi, musisque assuetus, ex tempore confectum distichon addi
voluit.

Cunctis mella dabit, non ulli spicula figet:

Figere nam Princeps spicula nescit apum.

I N N O C E N T I U S X.

§. CCXL. Romanus, antea Pamphilus patre Camillo matre Ma-
ria de Bubalo, Patriarcha Antiochenus, presbyter
Cardinalis titulo S. Eustachii summam rerum administrandam sus-
cepit 1644. 15. Sept. Fuit ingenii excellentis, iudicii discreti,
quem diuturnus rerum usus multum qualificatum reddiderat.
Justitiæ tenax quam in officiales infideles exercuit. Venetos in
bello contra Turcas adjuvit. Dogmata heterodoxa damnavit. S.
Agnæ templum in foro ædificavit. Beneficiorum immemor
fratres Cardinales Barbarinos persecutus, tandem motu proprio,
id est metu vindictæ suis post fata subsequituræ, reconcilians.
Nimia fratris uxori famosæ Olympiæ Maldachinæ indulta guber-
nandi facultas, non solum præbuit occasionem varia de se feren-
di iudicia, sed in suspiciosa gente calumniarum materiam causa-
vit, impedivitque quo minus in causa Religionis segnior Princi-
pibus Christianis placuerit, qui alias, si juxta talenta sibi conce-
dita rexisset, è maximis Pontificibus fuisset. Febricula ad hy-
dropen accedente æt. 81. immortalibus adjungitur exiguo mor-
taliu luctu 1655. 7. Jan. Sedit a. 10. m. 3. d. 4. Sepultus
in Vaticano.

ALEXAN.

ALEXANDER VII.

§.CCXLI. Senensis ante Fabius Chyfi patre Flavio Chyſio, matre Marſigli nobilitate magis quàm opulentia conspicuis, Episcopus Imolanus Neritonensis, Inquisitor Melitensis, Vice legatus Ferrariensis, Legatus ad partes inferiores Rheni, & ad pacificationem Monasteriensem, presbyter Cardinalis titulo S. Mariæ de Populo, sicut Innocentius moriens commendaverat, hujus successor est designatus, tanta votorum conspiratione, quanta nullus spatio trium sæculorum Pontifex alius, ipsis hæterodoxis, qui ejus virtutes noverant, agnoscentibus summum in terris honorem promeritum. A prima juventute per omnium litterarum, artium, scientiarum studia Romæ excultus, inter primos tam ingenio, quàm sedulitate excellens Urbanum VIII. fortitus est Mæcenatem. Disciplinis gravioribus imbutus, civilibusque deinde atque Ecclesiasticis negotiis applicatus, utrobique fidelem ac prudentem servum sese universo orbi exhibuit. Demum servus servorum Christi effectus, dum cogitat magnam sui Pontificatus struere celsitudinem, à fundamento inceptit humilitatis; quando sedem à Magistro Cæremoniarum, de more, in medio altaris positam ad cornu Evangelii traxit, negans se eo sessurum loco, ubi corpus Christi locaretur. Decretam sibi ex post statuam à S. P. Q. R. modeste recusavit. Sic humilis esse didicit à Christo pariter & mitis, dum injuriarum mox immemor suis etiam inimicis benevolus, tempore inundationis ac grassantis pestis liberaliter eleemosynas distribuens dictitabat præter pauperes sibi cognatos esse nullos. Quemadmodum cautè prudenterquè tempori inserviens olim cum Olympia sese gesserat, sic munera sui memor muneris ab hac oblata, respuit, nolens fieri amicus de mammona iniquitatis, quin illam ad reddendas Pontificii ararii exhausti rationes adegit & missam fecit. Plures ædes sacras ornari seu restaurari fecit. Eruditos pro meritis muneravit & fovit, exterminis internisque pietatis operibus impenſe

pense addictus. Octavam festi immaculatæ conceptionis B. M. V. permisit. SS. Thomam Villanovanum & Franciscum Salefium sacris Dyptichis inseruit. Magnam vim pecuniarum, tum à Cardinale Mazarino legatarum, tum ex thesaurario Apostolico contulit in bellum contra Turcas. Reginam Sueciæ Christianam Catholicam Romæ excepit eique Sacramentum Confirmationis impertiit. Ut exul Societas Jesu in Dominium Venetorum rursus reciperetur, effecit. Cum Rege Galliæ collisus ob interfectum à milite Corso famulum Ducissæ Criquianæ, post biennium Pisis pacem iniit, ea conditione, ut Corsis à Sedis Apostolicæ militia perpetuò abdicatis pacis integratæ memoriam in marmore Romæ extare procuraret. Posterioribus autem annis, quod inanibus studiis se à curis necessariis pateretur distrahi, & intempestivis dispendiis magnifica moliretur, quod sanguinis illicio duceretur, & præcipuè quod iniquæ temporum forti merderi negligeret, vim pristinæ existimationis amisit famamque partam obicuravit. Itaque ob non adæquatam principiis finem contentabescens longa infirmitatum congerie, quas una cum patientia à Deo augeri cupiebat, egregiè probatus, sacramentisque provifus pientissimè decedens valedixit curis rebusque humanis. 1667. 22. Maji æt. 68. Pontificatûs an. 12. m. 1. d. 15. corpus impositum sarcophago, quod initio suæ assumptionis parari jusserat, ut mortis cogitatio semper illi ob oculos versaretur, sepelitur in Basilica Vaticana.

CLEMENS XI.

§. CCXLII. Pistoriensis, antea Julius Rospigliosus, patre Hieronymo, matre Catharina, quondam Legatus in Hispania presbyter Cardinalis titulo S. Sixti Pontificalem apicentem Canonicè affectus fuit 1667. 20. Junii ob vitæ integritatem ac morum suavitatem magno semper in pretio habitus. Imminutum annonæ pretio, tum vectigalium onere, tum denique conciliar-

ciliandis Principum diffidiis animum applicando bene de cunctis meritus fuit. Ad rei tam publicæ quam privatæ bonum stabi-
liendum augendumque vigil & attentus, domesticis etiam suis
vitæ decentis normam præscripsit. Ordines Regularium tres sci-
licet Jesuatorum, Canonicorum S. Georgii in Alga, Eremitarum
S. Hieronymi Fesulanæ Congregationis suppressit, quemadmo-
dum prædecessor ordinem Crucigerorum in Italia, eorumque
bona Venetis adjudicata in subsidium Venetorum contra Turcas.
Pyramis infamis, genti Corsicæ erecta, Regis consensu illo ju-
bente diruta fuit. Apoplexiâ tactus, per Nepotem mortis ad-
monitus expansâ fronte reposuit: *Letatus sum in his, quæ di-
cta sunt mihi* &c. denominavit adhuc 8. Cardinales Sacramen-
tisque susceptis pie obdormvit 1669. 9. Dec. æt. 70. Sedis an-
2. m. 5. d. 20. Sepultus apud S. Mariam Majorem.

C L E M E N S X.

§. CCXLIII. Romanus, ante Aemilius Altieri, patre Lauren-
tio de Altieris, Episcopus Camerinus Cardinalis
à Clemente IX. in extremis creatus sine titulo adhuc & galero,
post sæt diuturnam Patrum consultationem Pontificatus honore
decoratur. Publicis muniis vario industriæ ac prudentiæ experi-
mento susceptis egregiè probatus, tenuis tamen fuit nominis,
omnis fastus & ambitionis inimicus; de se ita demissè sentiens,
ut oblatam dignitatem lachrymis deprecaretur, ac precibus of-
ferentium, ut reciperet, compulsus, ne Spiritui Sancto resisteret.
Ob mansuetudinem, beneficentiam æquitatem in pretio habitus.
Non tamen adeo potens, ut alterius suasionibus quædam facere
abnueret, quæ nunquam probavit. Ad ultima tandem vitæ
adductus, nullis flecti precibus potuit, ut ea vellet, quæ ut li-
cita, usus approbare visus est. Pro renovatione disciplinæ Ec-
clesiasticæ Canones restauravit antiquos præsertim de Claustris
Monialium. Varios Canonizavit &c. 1676. 22. Jul. Vita ex-
cessit

cessit æt. 86. Pontificatus an. 6. m. 1. d. 25. Sepultus in Basili-
lica S. Petri.

I N N O C E N T I U S X I.

§. CCXLIV. **C**omensis, ante Benedictus Odeschalci Patre Livio
Odeschalci, matre Paula Castel ex Militia Campe-
stri ad Sacram vocatus Clericus Camerae Apostolicæ, Episcopus
Novarinus, presbyter Cardinalis titulo S. Onuphrii communi calculo
Ecclesiæ Catholicæ præficitur. In hujus electione favor, gratia hu-
mana aut potentia sæcularis, vel demum quævis alia factio nihil si-
bi vindicavit, quæ præviarum virtutum Orbi notarum condigna
fuit remuneratio, quibus attulisse majus tiaræ ornamentum,
quàm ab illa recepisse judicatus fuit. Atque in hoc Pontifice
optimorum præcedentium æmulator spiritus resuscitatus fuit, seu
vitæ integritas morumque innocentia, seu constantia & invictus
Ecclesiasticæ disciplinæ zelus, magnanimitas & heroicus in resi-
stendo iniquitati animus, seu demique spectetur rerum omnium
terrenarum contemptus & cor ab omni affectu carnis & sangui-
nis defæcatum. A vitiis & vanitatibus hujus Sæculi prorsus ab-
horrens tales voluit esse suos ministros, imo & cunctos Aposto-
licis beneficiis providendos. Vestium luxum & invalescentem
nepotismum compressit, quando dubius, ne hic post obitum
suum denuo resurgeret, Cardinales excitavit, ut eum Sacramen-
to abjurarent adjecto anathemate: quando severissimo decreto
prohibuit ne sceminae nudo pectore Ecclesiam ingrederentur.
Aulam ita reformavit, ut nusquam fuerit severior disciplina mo-
rum & exercitior palæstra virtutis. Templi profanatores, etiam
admodum diuturni ingentem auri summam multoties suppedita-
vit, aliàs pecuniarum adeo temperans, ut nec sibi, nec suis
quidquam è Christi patrimonio arrogarit, nisi quod necessitas
statûsque ratio urgeret. Plenus ævi ac venerationis post 48. die-
rum

rum toleratam patientissimè infirmitatem, obiit morte iustorum, quorum vitam duxerat anno 1689. 12. Aug. planxitque eum Ecclesia planctu magno tali viduata pastore, quo meliorem nec retro actis Sæculis sibi obvenisse nec plurium deinceps annorum decursu obventurum autumabat. Vixit an. 78. Sedit a. 12. m. 10. d. 9. Corpus reconditum in Basilica S. Petri contra irruentem, famaqué Sanctitatis accurrentem undique populum à militibus custodiri debuit.

ALEXANDER VIII.

§. CCXLV. Venetus, ante Petrus Ottoboni, patre Marco Ottoboni nobili, Cancellario Reipublicæ Venetæ matre Victoria Tornicella J. V. D. auditor Rotæ, Episcopus Bresciensis, Cardinalis presbyter titulo S. Salvatoris in Lauro, deinde Episcopus Portuensis Vice Decanus Sacri Collegii, variantibus haud multum sententiis ad Catholicam Ecclesiam regendam vocatus fuit. Doctissimus Canonista, decisionibus editis clarus à quinque Pontificibus ad consilia adhibitus & in omnia ferè Patrum collegia cooptatus; de cuius excelsa præclaraque indole meritò ea spes concepta erat, fore ut illo prudentiæ ac rectitudinis tenore rectorus esset, quem tot annis in variis Curia dignitatibus & officiis observarat. Attamen quæ secuta sunt, plurium exspectationi haud adeo erant congruentia. Sanguinis illicio tractus suos immensis statim opibus copiis, & primariis dignitatibus extulit; quem in finem creavit Cardinales quatuordecim ex Camera Apostolica, quorum officia 100000. scutorum venit, & elargitus fuit. Cumque id vulgò indignè ferri intellexeret, brevitati residui sibi temporis excusari studuit. Sed erant folia ficus. Stolidè autem assentator modernus hanc maculam in viro illo eluere voluit Christi Domini consanguineos suos Apostolatus & præcipui amoris prærogativa donantis ex-emplo. Nam illos quidem amavit: sed non ditavit. Idem ille

Gg

ver-

versatilis encomiastes prædecessorem laudaverat, quod nepotes cæteris non prætulisset, secutus Salvatoris exemplum, qui alios non novit consanguineos, quàm qui faciunt voluntatem Patris sui. Adeo nihil est quod suum non reperiat operculum. Alexander diem decretorium sibi instare sentiens vocatis Cardinalibus habitu Pontificio indutus condidit Bullam contra jura Regalium aliaque à Gallis contra Sedem Pontificiam usurpata, conscriptam confirmat & promulgare jubet. Quædam pariter indulta solemniter revocat. Sacramentis munitus octogenario major decessit 1691. 1. Febr. cum Sedisset an 1. m. 3. d. 2. Sepultus in Ecclesia S. Petri. Pasquinus epiraphium imposuit.

Alexander VIII. Orbi parum, Urbi nihil, Nepotibus multum profuit & præfuit.

I N N O C E N T I U S XII.

§. CCXLVI. Neapolitanus, ante Antonius Pignatelli patre Francisco Principe Mondorvino, matre Portia Carassa, Vice Legatus Urbinatensis, Legatus in Polonia, Bononiensis, Secretarius, Congregationis SS. rituum, Episcopus Lecensis, Tagencensis, Archi-Episcopus Neapolitanus, presbyter Cardinalis post diuturnam consultationem Papa renunciatus fuit. Vir integerrimus, favore promptus, victu frugalis, Sedem, quam exhaustam fere, alieno ære oppressam reperit, magnis exquisitis rationibus, suppressis ministrorum non necessariorum officiiis, sumptuosis negotiis inutilibus parsimoniâ & frugalitate rerum administrandarum scientiâ ad pristinas reduxit facultates, Ecclesiasticæ disciplinæ, monasticæ observantiæ assertor zelosissimus, Nepotismi extinctor, benignitate in pauperes acceptissimus. Facinorosos severè multavit, rebelles, malas bestias, ventres pigros compescuit & abegit. Humana sui que desiderium reliquit ætatis 86. Pontificatus a. 9. m. 2. d. 13. Sepultus in Vaticano 1700. 27. Sept.

CLE-

CLEMENS XI.

§. CCXLVII. Urbinas, antea Franciscus Albani ex Nobili Albanorum familia, per diversa honoris officia velut quosdam gradus Cardinalis effectus ætatis anno quinquagesimo, ad summum Apostolatus fastigium nonnisi iteratis precibus ascendit. Vir præcellentibus gratiæ & naturæ donis absolutissimo Principe dignissimis in communem Christianæ Reipublicæ utilitatem quam privatis suorum præferebat commodis, in loco sancto positus perfectissimè ministerium suum implevit, dum affecta licet valetudine sacris, cum audientium summa ædificatione domi forisque quotidie operabatur, dum in solemnioribus festivitibus, prisco, sed ferè obsoleto more homilias ad populum diceret, dum ad lucrandas indulgentias, sive ad Basilicas reparandas Sacra lypsana visitaret, aliaque Sancti magistratus officia rite vigilanterque obiret, verè civilis verè liberalis, verissimè Clemens re ac nomine, ea in omnibus facilitate, ut perbenigne se daret omnibus adire & alloqui cupientibus, iusta petentibus, nihil denegaret. Affectus temperatus nil suis ultra condignum tribuit, nec quidquam præbere in usus minimè necessarios consuevit. Domesticos in officio continere noverat, Vestium Luxum, lenocinia, comedias, & quavis extra vagantia severè prohibuit; aut non nisi quantum temporis ratio postulabat, intra decori limites permisit. Dispensationum aliarumvè laxitatum osor, immunitatis, libertatisque Ecclesiasticæ heroicus propugnator. In Jubilæo Seculari quo Romæ visi sunt exteri 276000. omnium bonorum se vivum præbuit exemplum. Res Sinenses Ecclesiasticas sollicitissimè curavit missò Tournonio Archi-Episcopo Antiocheno cum plenitudine potestatis suæ. Dogmata heterodoxa proscripsit. Plures viros insignes purpurâ decoravit. In cunctis sese omnibus numeris absolutum exhibuit, sic ut nec hostes, nec alii critici censores in eo quidquam desiderare potuerint. Plenissima in Dei voluntatem

tem resignatione, quantumcunque interpellatus, nepoti uni purpuram recusans sacramentis summa pietate susceptis ex hac miseriarum valle migravit 1721. 19. Mart. æt. 71. Sedit a. 20. m. 3. d. 24. Sepultus in Basilica Principis Apostolorum.

I N N O C E N T I U S XIII.

§. CCXLVIII. **R**omanus, ante Michaël Angelus Conti patre Duce de Poli ex antiquissima familia nobili de Comitibus oriundus, perfunctus variis muneribus, ad purpuram à Clemente XI. assumptus, in Pontificem electus festo apparitionis S. Michaelis Archangeli, nomen Innocentii assumpsit, quod Innocentius III. ex familia eadem ortum traxisset. Similes tamen laudes nequaquam affectus fuit, quia ejusdem vestigia non trivit passibus æquis, quando in peram scandali gravius impegit, & posthabitis prædecessorum suorum decretis nepotismum pene sepultum reviviscere fecit & in suos propinquos opima beneficia acervatim congeffit, eosque divitiis ingentibus non absque indignatione & murmure totius Urbis, pariterque orbis cumulavit de tollendis cunctis, quæ in disciplinam Ecclesiasticam irreperant pravæ consuetudines, non adeo sollicitus. Morbo correptus, post dies paucos sacris præmunitus animam Deo reddidit ætatis 69. Sedit. an. 2. m. 10. Sepultus in Vaticana S. Petri Basilica.

B E N E D I C T U S XIII.

§. CCXLIX. **R**omanus, ante Petrus Franciscus Ferdinandus Orsini Ducis de Gravina filius primogenitus natus A. 1648. 2da Februarii. Ordinem FFrm. Prædicatorum Venetiis ingressus Ao. 1667. vocatusque Vincentius Maria. A Clemente IX. ideo citatus constans in proposito perstitit. A Clemente X. Anno 1672. die 22. Februarii inopinacè Cardinalis creatus,

atus, deinde Præses Congregationis Concilii Tridentini. Anno 1675. Episcopus Sipontinus, Post quinquennium Episcopus Cefenenfis, sequenti anno Archi-Episcopus Beneventanus. Anno 1724. 29. Maji ad primariam Christiquè in terris Vicariam dignitatem in salutem populi sui exultantis ritè promotus fuit. Dedit illi Deus scientiam sanctorum, quam ante Pontificatum singulis annis evulgavit scriptis libris unctioe Spiritus Sancti plenis. Vir desideriorum, & divini honoris Zelotes, in Ecclesiasticis sanctorumque Patrum monumentis exercitatissimus, eloquio disertus, opere et sermone potens, nec minus sanctimonià vitæ, quam consummata eruditione spectabilis, spiritu humilis, corde mitis, amator paupertatis, victu frugalis, forma gregis factus, in omnibus se exhibet sicut Dei ministrum irreprehensibilem. Verè Sacerdos magnus, qui, quasi sol refulgens effulget in templo Dei. Quem sicut Divina Providentia olim in ruina Palatii Beneventani terræ motu conquassati miraculose præservavit, in annos plurimos ad Ecclesiæ suæ bonum dignetur forsitem vegetum conservare, quoadusque cohonestatus in laboribus, compleat labores illius æternæ beatitudinis præmio. Amen.

Anno 1730. die 21. Februarii Sacramentis præmunitus plenus dierum & meritorum obiit sanctissimus & laudatissimus Pontifex Benedictus XIII. Sedit annis 5. m. 8. d. 22. Sepultus in Vaticano.

Fersa tertla ante Cineres MortVVs est BeneDICTVs Pontifex.

C L E M E N S XII.

S. CCL. Florentinus Antea Laurentius Corfini Thesaurarius Camerae Apostolicæ, Clementis XI. Auditor, ab hoc Cardinalis creatus 1706. 17. Maji tit. S. Susannæ, post Petri ad vincula. Episcopus Frascati 1719. In variis Congregationibus, Variorum Ordinum Protector. æt. 78. Natus 1652. 7. April. Electus 11. Julii 1730. Coronatus 16. Julii.

Gg 3

SCHIS.

LIBER II.

SCHISMATUM HISTORIA

SCHISMA

I.

NOVATIANI

CONTRA

CORNELIUM.

Post S. Fabianum Martyrio sublato Ecclesia Dei jam suo vir-
duata pastore ob Decianæ persecutionis rabiem cuncta de-
populantem, optimos quosque ac Christianorum potissi-
mum sacros Antistites ubicumque ad necem inquirentem, mi-
ferandum in modum deficiebat & cruciabatur, usque adeo, ut
in his temporum angustiis rerumque perplexitatibus nullibi pro
conventionem Cleri Romani ad novum Pontificem eligendum vide-
retur locus. Qui tamen, quamdiu Sedes vacabat, pro incumben-
te tunc sibi Ecclesiæ Universalis cura sedulo gregi invigila-
bat, & tam multa egit, scripsit, decrevit, quæ Baronius refert,
ut mirum sit eadem uno & quadrante, quibus sedes va-
cavit, fieri potuisse: donec tandem Cornelius ad hoc summæ
dignitatis pariter & immensæ difficultatis culmen est evectus. Et
licet nullum, Numine favente, usque huc in Pontificis Romani
electione Schisma subortum fuisset, nullus Antipapa in Ecclesia
visus, nemoque extitisset, qui supremum Principatum Ecclesia-
sticum ambitiose sectaretur; primus tamen omnium Pontificum
sensit Cornelius, hunc honorem, infinitis pœne junctum oneri-
bus periculisque plenum sibi mox invideri, cathedramque aliam,
contra suam, quam invitus conscenderat, à factiosis erigi. Si-
quidem ipso electionis tempore Novatus Episcopus in Africa,
quem

quem S. Cyprianus scribit fuisse hominem perfidum, hypocritam, arrogantem & sordide avarum Ecclesiasticorum bonorum raptorem, ut criminum suorum pœnas evaderet, ex Africa Romam venit, Schisma concitavit, & Novatianum presbyterum Romanum sibi omnino similem reperit; & quod Cornelio in electione hic post habitus fuisset, murmurat, populum concitat, & haud diu post quaquaversum contra Cornelium ficta per calumniam crimina veterator divulgat; quæ tam cautè fucis illicita simplicium, credulorumque etiam sanctorum Confessorum animis sic ingerere noverat, ut ii decepti alieniorem demum à Cornelio animum se gerere non obscurè indicarent. Adeo verum est quod Menander ait.

Qui præbet aurem credulam calumniis
 Vel ingenio is est præditus vir improbo,
 Vel mentis haud plus, quàm puer quivis habet.

Inter hoc erant Maximus & Urbanus, qui bis è constanti fidei professione summam gloriæ amplitudinem collegerant, Sidonius, item & Celerinus, qui pro Christo omnia tormentorum genera viriliter sustinuerat. Cumquè plures presbyteros horum exemplo inductos sibi faventes Novatianus sentiret, ratus tempus commodum esse, quo hoc ipsum, quod diu pectore foverat, assequeretur, ad stipulante impio Novato, tres in Italia Episcopos rudes & simplices simulatione quadam veteratoria inductos nanciscitur, quos Romam per emissarios adducit, ea specie, ut omnis lis & discordia per sententiam illorum, aliorumque Episcoporum interpositam dirimeretur. Præsentes in unum locum reclusos dapsiliter tractavit meroque inebriavit: deinde à mente alienatos vi coëgit imaginaria quadam, & vana manuum impositione Episcopatum sibi tribuere: ad quem certe dignitatis gradum, licet citra schisma assumptus fuisset, ob plures obices inhabilis erat. Præterquam enim quod quondam energumenus per Ecclesiæ exorcismos fuisset liberatus, æger In lecto fuit baptizatus, ideo Clinicus dictus, Confirmationis Sacramentum non
 rece-

receperat, quod tamen Canones Sacri requirebant, priusquam ordinari quis posset. Peracta hac prorsus irregulari Ordinatione Novatianus mittit epistolas in Africam ad Cyprianum Carthagenensem, Fabium Antiochenum, Dionysium Alexandrinum Episcopos. Verum Cyprianus Antipapae scriptitationem ne quidem videre dignatus fuit, sed emissarios à congregatione fidelium segregavit. Pariformiter Fabius dementiam arrogantis irrisit, & ludricam illius ordinationem explosit. Dyonisius autem panurgo intimavit, quoniam praeferebat se invitum esse electum, nihil efficacius fore, quàm ut pro bono pacis cederet. Sed nihil obtinuit; quin Cornelio, apud Eusebium, teste in administratione Eucharistiae fidelibus utraque manu comprehensis, eos compellebat per Corpus & Sanguinem D. N. J. C. jurare se nunquam deserturos nec ad Cornelium reversuros. Verum hoc minime obstante desertus tam ab Episcoporum uno, poenitentiam agente, quàm à fratribus ad Ecclesiam revertentibus, omnium fere societate nudatus ac destitutus. Sicut is, qui invitatus renuit, quaesitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic, qui ultro ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora ascendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius in profunda descendat? Gregorius in Registro.

Sexennio hoc Schisma durasse putatur: attamen de certo tempore non constat. Interim ex Cypriano, Eusebio, Epiphonio, Hieronymo, Augustino habetur, quod pseudo Pontifex factus fuerit haesiarcha docueritque post baptismum relapsis non esse locum poenitentiae. Quo multos ad desperationem adegit, & quibus peccati horrorem incutere volebat, ad infernum perduxit. Illius discipuli Novatiani vocabant se *Catharos* seu puros: improbabant secundas nuptias, rebaptizabant peccatores &c. In Concilio Nicæno statutum fuit de horum errantium receptione in sinum Ecclesiae.



SCHISMA

SCHISMA

II.
FOELICIS
CONTRA
LIBERIUM.

Postquam CONSTANS Imperator Arianus Liberium Pontificem diu multumque conatus fuisset in suas partes trahere; reluctantem, ex Urbe sub noctis silentio abduci iussit ad se, Mediolanum, ubi triduanas inducias ipsi dedit ad subscribendum damnationi Athanasii: verum cum ipsum immobilem expertus fuisset, in Thraciam exulare iussit. Inter ea Ariani Fœlicem in Cathedralam Romanam collocant. Post biennium Romam rediens præfuit Ecclesiæ Liberius, quando Fœlix cedere coactus fuit. Sunt tamen, qui tradunt hunc non Antipapam, sed Papæ sua sede pulsi suffraganeum, imo aliquando verum extitisse Pontificem, de quo prolixius in nostris *Controversiis Ecclesiastico-historicis*.



Hh

SCHISMA

S C H I S M A

III.

U R S I C I N I
CONTRA
D A M A S U M.

Quamquam Damasus in minoribus adhuc constitutus, Liberio summo Pontifice vivente, adhæsisset Ecclésiæ Romanæ Cathedram occupanti: postea tamen Liberius recedere coactus ei Ecclesiam tanquam vicario & substituto commendavit. Mortuo deinde Liberio plurimorum suffragiis Damasus legitimus designatus fuit successor. At qui semper steterant à parte Liberii indignè ferentes aliquem creatum, qui hujus aliquando fuisset æmulus, decem duntaxat numero clerici in Basilica Julii, aliàs S. Sicinini Ursicinum seu Ursinum Diaconum proclamant, & majori parti se animose opponunt, licet huic adhererent presbyteri ad minimum octodecim ex viginti quinque titulis, in quos Marcellus Papa initio hujus Sæculi distinxerat Urbem, præter diaconos & Episcopos plures, quos inter Ostiatis, Portuensis, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus & Albanensis. Fuit autem Damasus in Basilica Lateranensi solemniter inauguratus. Ursicinus à Paulo Tiburtino Episcopo, ut Sozomenus *Lib. 6. cap. 23.*, Ursacium eum nominans, perhibet & ab obscuris quibusdam Episcopis ex occulto Episcopus constitutus. Divisa autem multitudine populi pars hunc, pars illum pro Episcopo suo coluerunt. Demum insolens populus adeo magna contentione exarsit, & seditione Urbem universam turbavit, ut malum ad vulnera & cadem prorumperet. Ut mare, quod sua natura est tranquillum, ventorum vi agitari videmus,

ac

SCHISMATA

III.

ac turbari: sic populus sua sponte pacatus, hominum seditiosorum machinationibus & vehementissimis tempestatibus concitari solet, inquit Cicero in orat. pro Cluentio. In templo præfato. Sicini uno die 137. cadavera reperta fuere. Vientius Urbis præfectus Maximus, qui plures tam ex Clero quam ex plebe suppliciiis coërcuerat, & conatum Ursicini reprimere studuerat, in suburbium recedere coactus fuit; quia se his turbis sedandis imparē iudicabat. Donec tandem post anni decursum, interueniente Imperatore Valentiniano Damasi electionem approbante, Ursicinus à Prætextato Maximi in Præfectura successore, & universo Magistratu licet Ethnico Româ pulsus & pax Ecclesiæ reddita fuit. Abierant simul præcipui Schismatici, qui tamen non diu post, connivente Imperatore reversi, & ea lege admissi, ut si tumultus cierent, graviter punirentur. Ursicinus in Gallia exul remansit; adeoque à veritate alienum, quod Episcopatum Neapolitanum obtinuerit; quod recentiores aliqui tradunt: Sed neque Ammianus, Synchronus, neque vetustus alius scriptor memorat. Cæterum cum rebelles, inter quos præcipui Amanitius & Lupus Diaconi Ursicinum absentem Pontificali honore prosequi pergerent, suaquæ conventicula in suburbiis, cryptis, aliisque abditis locis haberent, longius ab Olybrio præfecto & intra vigesimum ab Urbe Lapidem convenire, aut pedem in regiones ponere prohibentur. Non destiterunt tamen impii acuerre Linguas suas contra sanctissimum Pontificem, eum adulterii accusantes. Sed causam dixit in Concilio 44. Patrum, ubi innocens declaratus fuit, Concordius ac Castorius falsi calumniatores declarati, & ab Ecclesia rejecti: aliorum quoque deinceps orationum iniqua fuere obstructa; atque optimi viri fama, conloquentium iniqua fuere obstructa; tum Imperatorum auctoritatis, sannis & calumniis discerpta, tum Imperatorum auctoritate, tum honestorum omnium interuentu defensa fuit *Calumniam aliquantis per quidem audientium opinionem inficit; progressu vero temporis nihil ipsâ imbecillius*, ait Demosthenes in Orat. Cuncta itaque malignantium perversa in Damasum molimina ir-

rita erant, quo ad usque Divus Imperator Valentinianus super-
stes fuit: illo autem ex humanis sublato, sub imperio Gratiani
& Valentiniani junioris, Schismatici animosiores facti Ursicinum
intrudere contendebant. Ast Episcopi orthodoxi congregati, di-
mnârunt & exauthorarunt quoscunque pseudo Pontifici adha-
rentes: eumque in finem Imperatoriæ Majestati supplicârunt,
ut Lege lata pervicacium insolentia cohiberetur, & contumaces
ad tribunal Ecclesiasticum compellerentur. Huic supplicationi
benignè annuit Gratianus, & Edicto dato ad Aquilinum Vica-
rium Urbis paci Ecclesiasticæ provide consuluit. Aquiliensis Con-
cilii Patres pariter supplicârunt eidem Imperatori, ut Ursicinum,
qui Arianis Mediolani sociatus novas turbas excitare nitebatur
ad Romanam Sedem invadendam, sua autoritate cohiberet.

Mirum forte cuiquam videri posset, cur tempore illo tanta
æmulatione Principatus Ecclesiasticus Romanus ambiebatur, in
quo nonnisi Sedis præ eminentia plurimis, iisque gravissimis one-
ribus conjuncta censèbatur. Verum, si Ammiano Marcellino,
homini Ethnico Schismatisque fautori fides habenda, jam dum
Romani Pontificis mensa, currus, reliquusque apparatus regalis
erat. Quæ Ratio, cur Prætextatus, Urbis præfecturam gerens,
Clero Romano dicere solebat: *Facite me Romanum Pontificem &
protinus fiam Christianus.*



SCHISMA

S C H I S M A

IV.

EULALII

CONTRA

BONIFACIUM.

Biduo post fata Zofimi Sedes Romana vacaverat, quando Cle-
rus Romanus canonibus conformi electioni substituerunt
concivem suum Bonifacium: verum quidam Diaconi popu-
lum concitantes opposuerunt Eulalium Archidiaconum Romanae
Ecclesiae. Hunc ut introducerent, occupant Ecclesiam Latera-
nensem comitantibus quibusdam presbyteris, acclamante sedi-
tiosa plebecula

Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus,
Aura tumidum voluit inani

SEN. Herc. Fur.

act. 1.

Symmachus, qui Urbis praefecturam administrabat, falsis
narrationibus Principem praecipuat & Honorio Imperatori in
Eulalii gratiam scribit: qui circumventus mox pro hoc rescribit,
jubetque Bonifacium velut intrusum Romam expelli. Id quod
Symmachus executus fuit; pulsoque extra Urbem Pontifice qua-
tuor apparitores disposuit, qui invigilarent, ne Urbem ingrede-
retur. Attamen ubi ex sincera sacerdotum Romanorum relatio-
ne aliter se rem habere cognovisset; Ravennam Bonifacium pari-
ter & ejus competitorem evocavit & Anno 419. concilium in-
dixit, vocatis ex Italia, Gallia, Africa Episcopis, cui causae de-

Hh 3

cisionem

cisionem commisit. Verum quia Synodus illa, & gravioris cau-
 sae examen postulabat, negotium aliquantulum protelatum
 fuit. Jussit interim Imperator, ut Adulleus (alii Achilleum vo-
 cant) Romam se absque mora conferret, ibique instantis Pascha-
 tis festo sacra solemniter perageret; Bonifacius interim, aequae ac
 corrivalis Eulalius Roma denuo abscederent, usque ad causae de-
 cisionem, Ast cum Eulalius diuturnioris morae impatiens, ut
 animo cupienti tardatio est taediosa, temere contra Imperatoris
 mandatum in Urbem clanculo irrepsisset, multorumque inibi ius-
 sultuum author seu suavor fuisset; perduellis inde faceffere ius-
 sus prohibitisque unquam regredi. Demum Bonifacius legiti-
 mus Pontifex agnitus fuit. Hunc in finem Imperator ad Sym-
 machum rescriptum misit, quatenus Bonifacium in Urbem ad-
 mitteret ac in Sedem restitui permetteret. Hanc electionem &
 decisionem S. Augustinus *contra 2. epist. Petilianam* laudat & Bo-
 nifacio suos quatuor libros contra Pelagium censurandos mittit.
 Quae Flaccus Illyricus & reliqui contra hanc electionem effu-
 tiunt, sorbuerunt ex calumniatoribus Pelagianis; idemque fa-
 ciunt, quod vipera, mutuans ab aspide venenum. Porro Im-
 perator Ecclesiae tranquillitati prospicere volens edicto sancivit:
 ut si deinceps duo Pontifices eligerentur simul, utrique aditus
 ad illam dignitatem maneret reclusus: quod tamen mandatum
 posterioribus saeculis neutiquam observatum fuisse constat.

Hic 3
 SCHISMA

S C H I S M A

V.

LAURENTII

CONTRA

SYMMACHUM.

Illo ipso die quo Symmachus in Basilica Constantiniana ad summum ritè assumptus fuerat Pontificatum, Caelius Laurentius Romanus Archidiaconus in Basilica S. Mariæ majoris proclamatus fuit. Contigit hoc machinatione Patritii Festi: qui cum Anastasio addixisset, quod Romanum Pontificem ad subscriptionem Edicti Imperialis contra Concilium Chalcedonense inducere vellet: interim bene prævideret, Bonifacium recti tenacem virum nunquam eò adductum iri; molitus est alium hujus loco substituere; id quod fallacijs, & corruptionibus effecit, quando viros præcipuè nobilitatis illuc traxit, qui alias Anastasio adhærebant. Atque hinc plurimæ animorum divisiones, tam in Clero, quam in populo exortæ, tumultus excitati, homicidia publice patrata, occubuitque Gordianus presbyter zelando zelum Dei. Cumquè res eò deduci videretur, ut in ruinam totius Reipublicæ civile bellum exurgeret, ad Gothorum Regis Theodorici, tunc Ravennæ degentis tribunal delata fuit: convenitque inter utrumque, ut Regis, licet Ariani, judicio causa definiretur. Hoc, quamvis Ecclesiæ Catholice minus honorificum, at tamen temporum malignitas, in inevitabili belli atrocissimi periculo expeditum magis remedium non permittebat. Serviendum proinde temporis fuit. Scitè Heliodorus *Lib. 5. Aethiopic.* Est prudentis consilii temporis rationem accommodare & in bonum commodissime vertere. Et sanè in bonum conversum fuit, quod malum
vide-

videbatur; quando Theodoricus Symmacho, utpote prius, & à potiori numero suffragantium constituto, Pontificatum adjudicavit. Idem fuit Concilii Romæ congregati judicium: cui Laurentius ipsemet subscripsit, creatus Episcopus Nicerinus, non quod id æquitas exigeret, sed quia misericordia justitiæ temperabat rigorem. Nihilominus quidam factiosi acquiescere recusarunt. Insuper Festus & Probinus Symmacho infesti & improbi Senatores Pontificem apud præfatum Regem, adductis falsis testibus, variorum criminum insinulaverunt, & visitatorem Ecclesiæ Romanæ petiverunt. Quorum postulationi annuens Rex Petrum Episcopum Altinensem mittit, qui in crimina Symmacho objecta inquireret. Interea bene sentientes Orthodoxi Regi etiam supplicant, quatenus Romæ novo indicto Concilio Episcoporum decisio causæ comitteretur. Quod adeo Theodorico placuit, ut Concilio majorem allaturus suâ præsentia libertatem Romam se conferret. Primo Concilio Romæ non interfuerat, quidquid Theodorus Lector, Paulus Diaconus & Nicephorus hoc velint: quandoquidem nonnisi anno sequenti Romam profectus fuit, ut observat Cassiodorus itineris comes & post Anastasius Bibliothecarius notat. In Concilio cum Symmachus sponte comparuisset, & sese de impositis flagitiis purgasset, innocens declaratus fuit: Laurentius & Petrus proscripti. Re-crudescente anno insequenti Schismate pernicioso tertium Concilium 115. Episcoporum indictum fuit: ubi, irrupentibus velut furiosis Laurentianis, Symmachus sua modestia & vitæ integritate prævaluit, sic ut Ambitione adactus competitor recedere debuerit. Non prius tamen terminata fuit seditio, cujus esse solet primum initium, difficile medicamentum, donec Ao. 502. 8. Idus Novembris Synodus Palmaris, à porticu Basilicæ Sancti Petri, quæ Palmaria dicebatur, congregata, jam ultra triennium duranti Schismati finem imposuisset; Recte etiam tunc Palmaria dicta, quod irrefragabili suo decreto hostibus Ecclesiæ palmam triumphando ademerit.

SCHISMA

SCHISMA

VI.

DIOSCORI

CONTRA

BONIFACIUM II.

Dioscorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & quondam, ut putatur, Hormisdæ Papæ ad Justinianum Orientis Imperatorem legatus, fretus Athalarici Ostro-Gothorum Regis favore Bonifacium secundum absque ulla oppositione electum & inauguratum è Sede Petri exturbare molitus fuit: jamque magnam Cleri partem sponsonibus illectam in suas partes traxerat, ut in Basilica Constantiniana Pontifex renuntiaretur. Sed Dei beneficio accidit, ut mense nondum evoluto in maximum Ecclesiæ commodum morte sublatus fuerit. Illum magnopere Simoniaca pravitate infamatum, eaque de causa à Bonifacio excommunicatum fuisse perhibet Justinianus Imperator in edicto inscripto ad Joannem Pontificem sed ad Vigilium Pontificem dato. Extat apertè *in tom. 2. Concil.* Attamen Agapetus liberum pronuntiavit.

Bonifacius, ut deinceps supervenienti quandoque in electione Schismati obviaret, Romæ convocavit Synodum plurium Episcoporum & suum designavit in Pontificatu successorem Vigilium, atque, hanc designationem ut Prælati coram sepulchro S. Petri manuum suarum subscriptione ratificarent, urfit. Verum fuit ea in alia Synodo tanquam Sacris Canonibus contraria ab omnibus unanimiter rejecta. Ipsemet Bonifacius agnoscens commissum errorem, destitit ab attentato, & obiit in pace.

S C H I S M A

VII.

VIGILII

CONTRA

SYLVERIUM.

Deposuerat Agapetus Anthimum de Sede Constantinopolitana, quem ut Theodora Augusta Justiniani Imperatoris conjux restitueret autoritate Pontificis Romani, promissit Vigilio Rom. Ecclesiae Diacono successionem: Verum obtulit Theodotus Gothorum Rex, qui Sylverium ad Pontificatum promovit; qui demum à Clericis etiam antea resistentibus in Ordinatione fuit agnitus, ut Liberatus in *Breviar.* perhibet. Vigilius autem tunc Constantinopoli Sedis Romanae Legatus existens addixit depositi restitutionem, si Papatum obtinuerit. Quare illa haeretica pravitate infecta litteras huic dedit ad Belisarium Patritium Romanum, ut quocumque tandem modo Sylverium excuteret, Vigiliumque substitueret. Is primò renitens, tandem Vigiliis minis, & imminentis sibi indignationis gravissimae metu adactus, Augustae perversum desiderium adimplere volens, Sylverium falso insimulatum, quasi Gothis Urbem obsidentibus tradere eam moliretur, pontificali pallio ablato, monastico habitu indutum expulit. Moxque fama suborta, quod Pontifex proditionis attentatae convictus, relicto Papatu, sponte monasticam vitam rursus amplexus fuisset. Intrusus autem suscepit Sylverium in suam quasi fidem & mox pro eo ordinatus Pontifex misit in exilium, Pataram, quae Lyciae urbs est, ubi sustentatus pane tribulationis & aqua angustiae. Sed istius loci Episcopus, ratur indignissime tractari virum innocentem, profectus ad Imperato-

peratorem, justam causam tam fortiter sustinuit, quoadusque Justinianus decreto statuit, ut Sylverius sedi suæ restitueretur. Id quod quidem executioni mandatum fuit. Verum haud diu post Sylverius per Belisarium Vigilii affectis traditus, Augusta cooperante in Tyrreni maris insulam, quæ Palmarum nuncupatur, relegatur. Episcopi varii tum litteris tum sua præsentia eum ibidem fuerunt consolati, quibus ille congregatis Vigilium tanquam Simoniacum invasorem anathematizavit. Quod cum Vigilio intimatum fuisset, tantâ ira exarsit, ut sanctum virum arctius recludi mandaverit. Duravit Schisma illud in annum secundum, de quo tam Belisarius, quàm Vigilius, indoluerunt. Fuit autem Sylverius ærumnis & inedia confectus. Eo mortuo, post Sextiduum, ut habet Anastasius Bibliothecarius, habita diligenti à Clero & Senatu (non autem promotione aut institutione Belisarii & Theodoræ, uti aliqui prætendunt) deliberatione, visum fuit Patribus pro tollendo Schismate antiquo & præcavendo novo, aliisque demum periculis evitandis in Legitimum adfiscere Pontificem ipsum Vigilium diaconum, qui antea suapte se sponte abdicaverat.



S C H I S M A


VIII.

PETRI

ET


T H E O D O R I.

Morte Joannis XV. cum Sedes Romana vacaret, jussu Imperatoris Justiniani Rhinotmetos, Theodorus Exarcha moliebatur usurpare jus successorem deligendi; aut saltem electionem factam approbandi. Quare armato milite Ecclesiam ingressus



S C H I S M A
X.
T H E O P H I L A C T I
C O N T R A
P A U L U M I.

Stephano II. etiamnum vivente, aſt infirmâ ut plurimum valetudine detento, in Theophilacti archipreſbyteri ædibus, quidam è Clero convenientes conſilium fecerunt in unum, ut hunc mortuo Pontifici ſubrogarent. Aſt ſepulto Stephano, obnitentibus fruſtra Schiſmaticæ factionis aſſectis, plurimi tam è Clero, quam è populo primarii, odore virtutum allecti, Paulum defuncti fratrem Germanum in Sedem Petri collocârunt, qui, diaconus cum eſſet, Episcopatus ordinem recepit & ab Pipinum Francorum Regem epistolâs dedit, quibus ſuam ordinationem ſignificans, ad præcavendam Schiſmatis prorogationem, ejus amicitiam expetiit, ſuamquè viciffim obtulit.




S C H I S M A
X I.
C O N S T A N T I N I
E T
P H I L I P P I.

Dum Paulus Pontifex gravi infirmitate detineretur, Toton, ſive Teuton Nepeſinus Dux in Hertruria Deſiderio, ultimo Longobardorum Rege ſollicitante, aut ſaltem connivente,

vente, cum valido exercitu Urbem ingreditur, jamque agonizantem Pontificem & universum Clerum diris intentatis minis nititur compellere, ut Constantinum fratrem suum nullis ordinibus initiatum renuntiarent Pontificem. Insuper Georgium Episcopum Prænestinum adegit ut illi sacros Ordines conferret. De functo Paulo Dominicâ immediatè sequenti, adstantibus duobus aliis presbyteris totidemque Episcopis per eundem Georgium Constantinus consecratus fuit. Atque hoc est primum & perfectum Schisma ob violentam ordinationem pseudo Papæ, qui tyrannicè intrusus sedi incubavit anno 1, mense 1, quoadusquè frater ejus Desiderius peremptus fuit. Interea Waldipertus presbyter quosdam Romanos, dum Constantinus aut fugâ elapsus, aut pulsus fuit, congregans Philippum ex asceterio S. Vitij Monachum presbyterum Papam acclamare & in Palatium Lateranensè inducere curat. Sed hujus breve gaudium fuit, quando illo ipso die inde ejectus ad suum reversus est monasterium non absque magno Ludibrio. Postridie electus fuit Stephanus III. Constantinus comprehensus effossis oculis frustra sacrilegam suam ordinationem in populi violentiam conjicere moliebatur. Nihilominus tamen, nequiter se humilians, inducias usque mane obtinuit: ast tunc, quod mireris, factum suum impudenter defendit. Quare in Synodo, abrogatis primo ejus decretis cunctisque anagraphis condemnatus fuit, atque ex Ecclesia S. Salvatoris tanquam putridum membrum ejicitur; qui eodem anno extinctus fuit.



SCHISMA



S C H I S M A


XII.

Z I Z I N N I

CONTRA

E U G E N I U M II.

Sede Petri Romana per mortem Paschalis vacante, de digno successore facta est contentio: major tamen saniorque pars electorum, adnitentibus primariis in Urbe viris dignitate & probitate conspicuis suffragia in presbyterum Romanum contulit, qui statim Episcopus Ordinatus Eugenius II. dictus fuit. Cives tamen quidam factiosi, tum vi, tum munerum elargitione zizinum presbyterum ad eam dignitatem evehere conati sunt. Exinde Ecclesiæ imminabat ingens turbatio: ne tamen malum longius ferperet, Ludovicus Imperator de periculo certior reditus Romam filium suum Lotharium cum insigni exercitu misit, qui rebelles mox compescuit, Zizinum abegit & Ecclesiæ Romanæ pacem reddidit.



S C H I S M A

XIII.

A N A S T A S I I

CONTRA

B E N E D I C T U M III.

Ubi hac luce substractus Leo IV. occubuit, mox omnis clerus cunctusque Senatus ac populus Calixti titulo appropriantes & Benedictum ex eodem abstrahentes in Patriarchium Laceranense

teranense producentes Pontificii folio, ut mos est, imposuerunt. Ita verbotenus Anastasius Bibliothecarius, qui huic electioni præsens interfuit. Eundem Vossius & quidam alii perperam confundunt cum Anastasio Benedicti amulo homine nefario quem Leo ante quinquennium in Synodo 70. Episcoporum à Cardinalatu S. Marcelli deposuerat; quod multo tempore Ss. Canonum prævaricator à sua Parœcia abfuisset. Hic sese vindicaturus iniquissimas machinationes exorsus est; tantoque studio Pontificatum ambire visus fuit, quanto Benedictus eundem refugiebat. Et licet hic pacatè fuisset electus, necesse, qui contradiceret; interea tamen temporis, quo expectabatur Imperatoris beneplacitum, factione pravorum, qui usi fuerant Legatorum opera ad executionem sui flagitii, magni tumultus in Urbe excitati sunt: in tantum, ut Benedictum expellere, & Anastasium in sedem collocare molirentur. Verum resistentibus constanter Episcopis, Clero, senatûque Romano, intra unam hebdomadam desistentibus ab iniquo conatu legatis Benedictus solemnî ritû, applaudentibus omnibus rectè sentientibus inauratus fuit.

Hæc omnia refert citatus Anastasius Bibliothecarius ocularis testis, nulla omnino facta mentione alicujus Joannis; sic ut paradoxum videatur, quomodo sequentes post sæcula scriptores hanc fabulam, velut veri speciem sortitam obtrudere voluerint. Multo magis mirum, qua fronte quidam prætere auri fuerint in exemplaribus Anastasii Joannem fuisse expunctum, cum ipsa chronotaxis non minus quàm rerum series & historicus contextus clarissime evincant, nihil omnino omissum. Sed de hoc fusius in *Controvers. Ecclesiastico-historicis* tractatum fuit.



SCHISMA

S C H I S M A

XIV.

S E R G I I

CONTRA

F O R M O S U M.

Formosi prædecessore defuncto Sergius quidam Romanæ Ec-
clesiæ Diaconus erat, quem Romanorum pars quædam Pa-
pam sibi elegerat; quædam verò pars non infima nominatum
Formosum Portuensem Episcopum pro vera religione divinarum
Scripturarum & doctrinarum scientia Papam sibi fieri anhelabat.
Dum ergo in eo esset, ut Sergius Apostolorum Vicarius ordina-
ri debuisset; ea, quæ Formosi partibus favebat, pars cum non
mediocri tumultu & injuria Sergium ab Altari expulit, & For-
mosum Papam constituit. Ita verbotenus Luitprandus Tici-
nensis, qui illa tempestate floruit, vel quisquis est author Libri
de vita Pontificum, in eo turpiter hallucinatus, quod Sergio in-
juriam in eo factam crederet, in quo ipsi nullum omnino jus
competere, liquido constabat.

S C H I S M A

XV.

B O N I F A C I I

CONTRA

S T E P H A N U M V I.

Bonifacius ob malefacta bis fuerat gradu Clericali depositus,
primùm à diaconatu, deinde à presbyteratu: nihilominus
tamen post Formosi obitum Sedem Apostolicam invasit, &
popu-

Kk

populari manu intrusus tumultuariè ordinatus fuit. Quidam hunc inter Pontifices recensent, atque Platina legitime & rectè creatum scribit. Baronius tamen pluresque alii, improbanter Papabrochio, negant illius electionem Canonicam. Adversum illum Stephanus VI. insurgens, compulsi post quindènam cedere. Quod licet per vim factum, accedente tamen Cleri popularique consensu hic legitimus, alter pseudo pontifex repudatus fuit. Hinc Flodoardus non meminit Bonifacii, qui haud diu post nodosâ correptus podagrâ interiit. Condemnatus deinde fuit in Synodo Romana à Joanne IX. quod de gradu Ecclesiastico synodice ejectus altioreni prensare voluerit. Item à Leone IX. in Concilio Romano damnatus.

SCHISMA

XVI.


LEONIS

CONTRA

JOANNEM XII. ET BENEDICTUM V.

Cum Joannes XII. posthabitis Episcoporum admonitionibus non desisteret à vita prorsus scandalosa, tandem in quadam Synodo per Ottonem I. Imperatorem Romæ coacta damnatus depositusque fuit. In ejusdem locum tunc substitutus Leo VIII. dictus protoscrutiniarius, qui post mortem Joannis, à quo excommunicatus fuerat, mirabili vicissitudine rejectus à Romanis, successorem habuit Benedictum V. Eundem Otto haud diu post deposuit & in regiones septentrionales relegavit. Multi Scriptores Leonem in censum legitimorum, Benedictum in numerorum Antipaparam referunt. Nihilque certi ideo statui poterit. Videri possunt controversiæ Ecclesiastico-historicæ ubi hac de re latius tractatur.

SCHISMA



S C H I S M A

XVII.

B O N I F A C I I

C O N T R A

B E N E D I C T U M V I I . E T J O A N N E M X I V .

Bonifacius dictus Franco, patriâ Romanus (licet Platina credat ejus cognomen & patriam ob ignobilitatem reticeri) Benedictum VI. violenta manu abripuit, captum in vincula coniecit, demum fauces laqueo constringi fecit. Quo peracto paricida immanis vacantem sedem invasit. Verum commota fuit universa civitas & scelestum throno deturbavit. Hic raptis quibuscunque ex Basilica S. Petri pretiosissimis, fuga sibi consulens Constantinopolim se recepit. Electus itaque Benedictus VII. quo post novennium vita functo Bonifacius Romam repetit, & ex divenditis sacrilege raptis magnam pecuniarum vim adferens, his adminiculis cives Romanos corrumpere studuit. Nihilominus Cancellarius Ottonis Imperatoris locum obtinuit dictus Joannes XIV., quem Bonifacius rursus in molem Hadriani coniecit, ubi per quadrimestre detentus inedia periisse dicitur: sedique tandiu vir sanguinum incubavit quousque fortem spiritum exhalasset, lanceis post obitum confossus & in sterquilinum abjectus.

De hoc Schismate non eadem omnium est sententia. Siquidem aliqui historici Bonifacium pro vero Pontifice agnoscunt, inter quos Platina, qui res gestas longè aliter enarrat. Atque imprimis Benedictum VI. refert à Cynthio cive Romano valde potente fuisse reclusum ejusque jussu strangulatum, vel juxta Consentinum, fame enecatam. Subjungit deinde Donum II., quem

alii Benedicto anteponunt. Deinde Bonifacium inter Pontifices recenset, quem, ait, malis artibus adeptum Pontificatum oculis privasse Joannem Cardinalem Diaconum suis conatibus obfistenterem. Illum vero Joannem qui Benedicto VII. post novennium successit, ex aliis perhibet per Ferrucium Bonifacii parentem vi sublatum, forte quod filio in Pontificatu adversatus fuisset, certius tamen statuit in carcere mortuum & in Basilica S. Petri sepultum; dubium relinquens: an Pontificatu fuerit dejectus ob impotentiam & tyrannidem vel ob invidiam malevolorum & sediciosorum? adeo sunt confusae istorum, inquit, temporum historiae. Porro legi meretur, quod in vita Bonifacii subnectit. Ejus verba sunt: *Vide, quaeso, quantum degeneraverint hi Pontifices à majoribus suis, qui hanc rem publicam Christianam tam amplam tamque magnificam suo sanguine nobis reliquere. Pontifex Romanus Sacrorum pater & rex est, sacra ipsa furto abstulit: & qui vindicare sacrilegia debuerat, tanti sacrilegii factus est auctor. Hoc autem contingere in quavis republica consuevit: quando plus malorum ambitio & avaritia valet, quam bonorum virtus & gravitas. In Clerum igitur deligendi essent, quorum vita & doctrina probata sit: non autem hi, qui, cum nil virtutis & religionis habent, ambitione & largitione sibi potentiam quaerunt.* Hæc ille. Qui cum false perstrinxisset Joannem quendam XV. ab aliis non recensitum, à Clericis odio habitum quod divina humanaque omnia cognatis & affinibus suis elargiretur, observat hunc errorem ita posteris tradidisse ut ad suam quoque ætatem pervenerit. Quae quidem consuetudine, scribit, nil certè perniciosius dici potest: cum non ob religionem & Dei cultum appetere Pontificatum nostri sacerdotes videantur: sed ut fratrum vel nepotum, vel familiarium ingluviem & avaritiam expleant.

SCHISMA

S C H I S M A

XVIII.

JOANNIS


CONTRA

GREGORIUM V.

Sedebat Gregorius V. Saxo, in Cathedra Petri, Italis non admodum gratus. Quare seditionem declinans ad Imperatorem Ottonem III. in Germaniam confugit, quando Romani Crescentium ad fasces Consulares designant. Hic Castrum S. Angeli occupat & mox Philagatum, natione Calabrum, patria Rossanensem, ex monacho Cassinensi, & forte abbate Nonantulo Episcopum Placentinum, hominem pecuniosum nec indoctum creat Pontificem, nomine Joannem XVII. Quod ægerrimè ferens Imperator cum ingenti exercitu Romam properavit, Crescentium tyrannum una cum Pseudopapa in dicto Castro obsidet: qui cum spe veniæ sese dedissent, in plateis Crescentius à furente plebe confoditur, Intrusum autem non solum auribus manibusque truncari, sed eidem oculos etiam erui Otto præcepit. Referunt alii, quod prius Afino impositus transverso modo per Urbem ductus fuerit, & ut apud Petrum Damiani *epist. 2. ad Candol.* legere est, caudam jumenti manibus tenens vociferari coactus fuerit: *Tale supplicium patitur, qui Romanum Pontificem de sua Sede pellere nititur.* Occisus tunc quidem non fuit; licet id Platina habeat: sed deprecante pro eo S. Nilo concive vitam servavit. In Germania quidam mortuum volunt: attamen verisimilius Romæ ex vulnerum dolore extinctus, ibiquè tumulatus creditur. Cum Imperatrice obsceni negotii dicitur habuisse mysterium, quod quamvis respectu hominis infimo loco nati videatur à veritate alienum; sanè à Mariæ Aragoniæ

niae (sic enim vocabatur) moribus non abludit; quæ demum impudicitia suæ convicta, judicante marito, exusta fuit.

Errant, qui hunc Joannem inter veros Pontifices numerant quem Glaber Rudolphus *Lib. 1. hist. cap. 4.* Leo ostiensis *Lib. 2. cap. 18.* Antipapam habent; alii nomen supprimunt. Platina, quamquam in ordine & numero recenset, furem & latronem in Pontificatu fuisse scribit, qui per ostium non intravit; miraturque, historicos Joannem inter Pontifices posuisse.



S C H I S M A

XIX.

G R E G O R I I

CONTRA

B E N E D I C T U M VIII.

Vix Patrum suffragiis thronum Apostolicum conscenderat Benedictus VIII., quando nobiles quidam Romani præporentes amicissimum sibi Cardinalem presbyterum Gregorium in idolum erigunt: quorum assistentiâ hic fretus legitimum possessorem propudiosè exturbat, & urbe expellit. Expulsus ad Imperatorem Henricum Sanctum sese recipit, qui anno sequenti cum valido exercitu Italiam petit. Romam ingressus Benedictum Sedi suæ restituit, & incubatorem dejectum reciprocè abegit. Hoc restatur Dithmarus, qui præfens Romæ interfuit. Unde hallucinatus turpiter fuit Platina, qui in Benedicto VIII. scribit hoc Schisma post defunctum Imperatorem contigisse præterquam, quod hic Imperator Benedictum supervixerit.

SCHISMA

S C H I S M A
 XX.
 SYLVESTRI III.
 CONTRA
 BENEDICTUM IX.

Eousque solo nomine tenus Benedictus IX. in Scandalosa vitæ suæ licentia progressus fuerat, ut Romano Clero æque ac populo diutius intolerabilis videretur. Volentes igitur succurrere Ecclesiæ nimis gementi remedium applicarunt ipso malo pejus, dum probrosum Sede sua dejiciunt, & in ejus locum sufficiunt Joannem Cardinalem Episcopum Sabinensem, qui Sylvester III. dictus fuit. Hoc autem post dies paucos ope Comitum Fragati pulso Benedictus restituitur. Qui cum videret se iterum ea fata subiturum; Pontificatum Joanni Archi-Episcopo tradidit, ut habet Leo Ostiensis *Lib. 2. cap. 82.*, seu, ut alii referunt, vendidit eumque ordinavit. Haud tamen diu post, illo repudiato, sedem occupavit: quod deinde à desultoriæ mentis homine multoties factum perhibetur. Atque hoc modo Romæ uno eodemque tempore tres erant; qui sibi Pontificiæ Sedis possessionem vendicare moliebantur, Benedictus scilicet, Sylvester & Joannes, quorum unus residebat ad S. Petrum, secundus ad S. Mariam Majorem, tertius in Palatio Lateranensi. Quem quidem miserrimum statum religiosus quidam presbyter, ut Otto Frisingensis notat, Joannes Gratianus videns, Zelo pietatis matri suæ compatiens, hos triumviros adiit & ad cedendum induxit. Fuit is postea Romanus Pontifex. Sed quomodo illi Pontificatus obvenerit, variant Scriptores. Interim Platina opinio à vero aliena est, qui hunc Joannem Gratianum postea Gregorium VI. confundit cum Joanne Archipresbytero, qui à Benedicto IX. Papatum obtinuerat.

SCHISMA

S C H I S M A

XXI.

H O N O R I I I I I.

CONTRA

A L E X A N D R U M I I.

Post magnam, vacante Sede per obitum Nicolai II. de successore eligendo dissensionem, tandem à Cardinalibus totius populi Romani assensu electus fuit absens Anselmus Lucensis Episcopus aulae Imperialis alumnus, ipsique Henrico III. familiaris dictus Alexander II. Cisalpini vero Episcopi, rati ob dignitatem Provinciae suae par esse, ut è suo numero aliquis assummeretur ad hoc dignitatis culmen, apud Imperatorem, indignè ferentem quod se quasi inficio, hæc facta esset electio instantes, Guiberto Cancellario potissimum adnitente, obtinuerunt, ut alius eligeretur. Quare duo Episcopi Vercellensis & Placentinus homines nequissimi petulci & proletarii, ut eos vocat Petrus Damiani, temerario ausu præsumperunt idolum simile sibi erigere Cadaloum Parmensem Episcopum ambitiosum multisque criminibus infamen; cui statim omnes Cisalpini obtemperarunt. Hic mox conflato exercitu Romam tendit: Ast validè repulsus non sine multorum strage Parmam confugit. Accitus deinde à Romanis seditiosis, quorum maximè intererat in Urbe omnia turbare explendarum voluptatum causâ, comparato majori exercitu Urbem Leoninam & Basilicam vaticanam occupat. Verùm erumpentibus cum Godefrido Duce Romanis civibus, profligatisque per eos rebellibus adhaerentibus in Castrum S. Angeli se receptis ibidemque per Cincium Præfecti Romani filium protectus, tandem litro 300. librarum argenti suam libertatem solus obtinuit, con-

conscensoque equo miræ pernicitatis fugâ salutem quæsit. In Concilio autem Mantuæ celebrato, cui Anno celeberrimus ille Archi-Episcopus & Imperatoris tutor constitutus interfuit, fugitivus velut Simoniacus & sacrilegus Sedis Apostolicæ invasor condemnatus fuit, qui tamen frivolæ suæ prætensionis insistentis, haud diu post miserrima morte occubuit.



S C H I S M A
 XXII.
 G U I B E R T I
 CONTRA
 G R E G O R I U M VII.

Turbulentæ illius tempestatis in Ecclesia exortæ ob gravissimam collisionem Imperatorem inter & Pontificem Romanum præcipuus author extitit Guibertus Parmensis, Henrici IV. Cancellarius, vir versatilis ingenii & panurgus assentator, qui optimè noverat laudare peccatorem in desideriis animæ suæ Principemquè Pontificibus infestum suis fascino calliditatibus. Quod in priori Schismate complevit, quando Imperatori author fuit, ut Antipapam admitteret, propter quod Archi-Episcopatum Ravennatensem in præmium tulit. Sedente vero in Cathedra Romana Gregorio VII. oleum flammæ affudit, dum indignationem Henrici Imp. contra Pontificem fovit, ideo ab hoc in Concilio Lateranensi dignitate privatus & anathematizatus. Henricus vero in Conventu Wormatiensi vicissim Gregorio omnem potestatem adimere nisus fuit, mandans Cardinalibus, ut alium Pontificem eligerent. Et ut furor moram nescit, urfit in conciliabulo Brixienti faciosorum quorundam Episcoporum ut Guibertus Papa proclamaretur sub nomine Clementis III. Hunc se-

Ll

cum

eum paulò post Romam perduxit, Urbem vi occupavit, & in loco Sancto abominationem desolationis exercuit. Latente Gregorio in Mole Hadriani die Paschatis ingenti luxu, ab Antipa coronà redimitur. Post tantam cladem & Urbis devastationem ferè incredibilem Senas cum pseudo pontifice suo profectus fuit. Qui quidem usque ad annum sæcularem supervixisse creditur: sed ab omnibus plane derelictus meritis suorum scelerum pœnas obivit forte mortequè miserrima. Ossa ejus extumulata, veluti terrâ indigna in flumen prope Ravennatensem urbem projecta fuere. Hæc legi poterunt apud Leonem Hostiens. L. c. & Abbatem Urspergensem *in Chronico.*

S C H I S M A

XXIII.

A L B E R T I ETC.

CONTRA

P A S C H A L E M II.

Morte sublato Guiberto, non equidem Ecclesia quam tantopere desideraverat obtinuit pacem: sed operâ debachantis Henrici magnis turbationibus concussa fuit; qui cuncta Romano Pontifici adversantia, à quibuscunque patrata approbat, patranda urgebat malevolosque ad hæc instigabat. Sedente itaque Paschale II. Richardus Comes Campanus copiis instructus in Italia subsistens Albertum civem Attelanum substituit, qui mox à bene sentientibus relegatus fuit. Caverfes autem agri Prænestini incolæ Richardi stultitiam & arrogantiam imitati Theodoricum quendam Pontificem creavere. Verùm hi quoque pœnitentiâ ducti quinto & centesimo die è Pontificatu dejectum, anachoretæ habitum induere cogunt. Tertius præterea Magi-

Maginulphus Romanus civis apud Ravennam Pontificatus titulum usurpare ausus, exilio mulctatus à Romanis & Ravennatibus. Hæc Platina.

S C H I S M A

XXIV.

G R E G O R I I VIII.

CONTRA

G E L A S I U M II.

Fuerat quidem Gelasius omnium Cardinalium consensu Pontifex electus: attamen Cincius Frangipanus, indignatus, quod à se propositum præteriissent inauditâ violentiâ electum invasit, & obtorto collo in terram dejectum calcibus contrivit, Cardinalesque, fugam parantes, omni contumeliarum genere affecit. Adactus verò Romanorum minis Pontificem restituit & pedum osculo veneratus fuit inauguratum. Haud diu post Henricus Imperator V. paternæ hostilitatis in Pontifices hæres, cum exercitum ab Apuliæ proceribus in gratiam Gelasii contra se parari intellexisset, Mauritium Burdinum Braccarensem Archi-Episcopum Antipapam creat, quem potissimum Gelasio objiceret. Obtulerat aliquando Burdinus ille Paschali II. ingentem pecuniarum summam pro obtinendo Archi-Episcopatu Toletano: sed cum summa confusione repulsam passus, tantam in animo, indignationem concepit, ut ad se vindicandum partes Henrici accederet, quo prodegente Romanum Pontificem quovis modo vexare possët. Quasi ignem gestans, seque ipsum comburens ut alicui noceat, est qui gestat iram, & quærit vindictæ tempus. Ipse multo tempore torquetur, ut alterum modicum torqueat, ait Chrysof. *hom. 30. tom. 4.* Romam cum pseudo-
pontifex

pontifex venisset, ab eo Henricus coronari voluit, *ut haberent similes labra lactucas*, quod Hieronymus ait. Quæ in ipso deprehensa flagitia hominem adeo odiosum reddidit, ut etiam à militibus pessimè habitus fuerit, iussu Calixti II. perpetuo carceri traditus, ægrè vitam illi salvare potuit, quando ex obsessa & per Cardinalem Joannem Cremensem occupata Sutro Romam adductus fuceat. Duravit Schisma annis prope sex, quamdiu Burdinus, qui Gregorius octavus dici voluit, tumultuavit.

S C H I S M A

XXV.

A N A C L E T I I I.

CONTRA

I N N O C E N T I U M I I.

Innoçentius II. vix inauguratus Pontifex Roma recesserat, ut iniquis Rogerii Comitis junioris Siciliae in Apuliam machinationibus obviaret in manu forti, quando facinorosi proclamârunt Petrum Leonis viri præpotentis filium presbyterum Cardinalem titulo S. Mariæ trans Tyberim, qui Anacletus II. fuit nominatus. Hic spoliatis Ecclesiarum thesauris vi irrumpens in varias Basilicas, ex Vaticana Crucifixi statuam auream & coronas pendentes pretiosissimas sustulit, tantam pecuniarum massam congeffit, ut faceret sibi amicos de Mammona iniquitatis, & sediciosos in suas facilè traheret partes. Innocentius redux, ubi cuncta susque deque mota videret, se proripuit, Pisæ, tum Genuæ moratus; ubi tutum se minimè reputans, in Galliam fugit à facie Leonis, ut scribit S. Bernardus hanc fugam Scripturæ Sacræ conformem probans *epistola 124.* Anacletus itaque tumultuantis populi favore fultus; nec non quorundam procerum gratia firmatus in conciliabulo Anathema Pontifici dicere præsumit,

fibi nomen Victoris IV. imposuit. Alexander autem ut ex-
 riens Schisma suffocaret, Fridericum Barbarossam interpellavit,
 qui utrumque proclamatum ad se citat, non comparentem Pon-
 tificem per 2. Episcopos ad Concilium invitat, in quo Octavia-
 num presentem confirmat. Ast Papa Romæ & Imperatorem
 & intrusum anathematizat, scriptis ad Principes epistolis hujus
 facti rationes reddens. In Urbe existens, cum multos adver-
 sarios experiretur in se cornua palam erigentes, ut Platina ait, re-
 cedere meditatur. Quo tempore Octavianus Pavia in Concilia-
 bulo Pontificem de gradu deicere moliebatur. Quare hic in
 Galliam, Pontificem in persecutione consuetum refugium sese
 recepit. Interea pergit Octavianus quaquaversum suam tyrannidem
 exercere, donec circa festum Paschatis apud Lucam civi-
 tatem phrenesi correptus pertinax succubuit incubatus sui an. 4.
 m. 6. Huic sine interposita mora surrogatus fuit à Schisma fo-
 ventibus Cardinalis Guido Cremonensis, qui Sedis Apostolice
 Legatus in Germania fuerat, ab Imperatore turpiter inductus,
 ut Octaviani partes sustineret. Assumpsit nomen Paschalis IV.
 Ab Imperatore in Conciliabulo Herbipolensi confirmatus Basilicam
 Vaticanam occupavit, ubi exesis cancro renibus, pulmone
 memphiticum reddente halitum, putridus, sanie destuens con-
 sumptus fuit. Neque tamen Schismatis finis: Siquidem residua
 fex, eo quod nullus de Synagoga capax superesset, subornavit
 Joannem ex Pannonia Abbatem Sarmientem, seu strumentem,
 trifurem, apostatam criminosum, qui fuit vocatus Calixtus III.,
 à Friderico approbatus, ut esset dignum tali patella operculum.
 Fuit autem ab Alexandro in Concilio Veneto tanquam Apostati-
 cus invalor declaratus. Demum facta inter Imperatorem & Pa-
 pam concordia; anno sequenti, postquam septennio obstitisset,
 veniam petens ab Alexandro benignè susceptus, mensæ suæ ad-
 hibitus.

SCHISMA

S C H I S M A

XXVII.

NICOLAI V.

CONTRA

JOANNEM XXII.

Famosa illa electio controversa de Friderico Austriaco & Ludovico Bavaro in Imperatores malorum illiadem in plures vastissimas regiones, pariter & Ecclesiam invexerat; praefertim quia Joannes XXII. Austriaco magis, quam Bavaro faveret. Quare hic decennali bello pro corona certans æmulum superatum captumque cum coëgisset se abdicare insignibus Cæsariis, Italiam ingressus hostiliterque depopulans incurrit censuras Joannis Avenione sedentis. Quas ipse aspernatus, ut jura omnia Imperialia repeteret, cum copioso exercitu Romam adit: ubi à Clero, Senatu, populoque honorifice susceptus, solemniter, invito Pontifice à Sarra Columnensi inauguratur; moxque de procerum consilio antipapam creat Petrum de Corberia, qui alias dicebatur Raynalutius seu Ramuchus, humili loco natus, Italus, Minorita eruditione celebris dictus Nicolaus V. De quo refertur quod prius matrimonio junctus renuente & reclamante uxore fuerit Ordinem ingressus. Ejus electionem Fr. Michaël de Cesennas, fratresque Minores, Joanni ob severam quorundam pervicacium punitionem, decretaque ingrata infesti, approbarunt, vestibus Pontificiis erectum idolum induerunt, scriptis propugnarunt, & consuluerunt, ut crearet Episcopos & Cardinales, homines, ut Platina ait, sui ipsius similes: iis instigantibus verum Pontificem, quem presbyterum Joannem irrisorie vocitabant, excommunicavit. Deinceps pervicacium furor eousque

usque progressus fuit, ut non solum è suggestibus Joannem velut hæreticum diris devoverent; sed etiam scriptis satyricis, libellis famosis eum quàm talem insectarentur. Patet id tum ex concionibus variorum, præsertim Michaelis Cesennatensis, quos coævi scriptores referunt, tum ex Guilielmi Ockam Minorite opere, quod nonaginta dierum vocavit, in quo centies repetitis vicibus his verbis: *Dicit iste Hæreticus*: Pontificem calumniatur. Horum aliorumque, qui dicas illi inscribere, & Anipapæ Corberii insolentiæ Sacro Minorum Ordini maximam confarunt invidiam, adeo ut plures Papæ suggesserint, ut, quod in Templarios Clemens V. decreverat, in Minoritas ipse decerneret, Ordinemque penitus aboleret. Sed Vitalis de Turno & Bertrandus de Turre Cardinales ex Ordine assumpti, Regum Franciæ, Castellæ, Aragoniæ, & Siciliæ intercessio, S. Ludovici Tolosani Episcopi, ejusdem quondam Ordinis professoris frequentibus miraculis confirmata Sanctitas, insignium Doctorum, qui eandem Religionem illustrabant, merita & fama, pars ordinis major & sanior Ecclesiæ Romanæ Joanniquè adversus Schismaticos adhærens, atque ejus Constitutionibus obediens suam Sanctitatem ab ejusmodi consiliis abduxere. Hæc leguntur apud Nat. Alexandrum *Hist. Eccles. tom. 7. cap. 8. &c.*

Quoniam verò ita comparatum est, ut exorbitans ambitionum arrogantia diu consistere nequeat, & plerumque videamus finem illorum sine honore; contigit, ut eodem adhuc anno Schismatica curia Româ migrare debuerit, cum Joannis Legatus Navarræ Regis stipatus copiis, ab habitantibus in ea, introrsus fuit, Pisas fugiens: ibique ab incolis quoque dissipatâ, ut meticulosa semper est, malitiâ, rebelles cogitaverunt ea, que pacis sunt. Quare coriphæus cum quibusdam Avinionem petiit, & fune in collum inserta ad pedes Pontificis summi prostratus, culpam confessus, veniam humillimè deprecatus fuit, quam ab eo, alioquin satis rigido vindice scelerum, cum plurimorum admiratione obtinuit. Caute tamen retentus fuit: ne per dimissionem

tionem in Schisma prurientibus præberetur, rursus turbandi Ecclesiam occasio. Sunt, qui perhibent quod Petrus à Pisanis illuc (an ad suam requisitionem, an invitus, variant) fuerit perductus. Interim constat falsum esse, quod Platina scribit, quasi carceri mancipatus inibi mortuus sit: quandoquidem honestum illi in palatio fuerit assignatum cubiculum, sub severissima prohibitione, ne inde pedem unquam efferret. Imo fuit ipsi permissa Librorum lectio ad decentem occupationem, sic, ut de captivitate nullam prorsus habuerit querulandi ansam.



S C H I S M A

XXVIII.

C L E M E N T I S VII. ETC.

C O N T R A

U R B A N U M VI. ETC.

Curiam Papalem, quam Clemens V. ante annos 72. Avinione constituerat, Gregorius XI. posthabito Cardinalium consilio Romam profectus Anno 1377. die 17. Januarii reduxit: Ubi anno sequenti immaturo fato ex hac vita migravit. Numerabantur, sede vacante Cardinales 23., sex Avinione remanserant, Ambianensis ex Legatione Serazeniana necdum reversus erat. Sedecim Romæ persistebant, inter quos unus Hispanus, quatuor Itali, undecim Galli. Itaque Populus Romanus veritus, ne, si forsan ultra-Montanus sedem hanc conscenderet, ut aliàs, gravissimo Christianæ Romanæque rei damno, rursus hanc transferret; institit precibus, sicut Alphonfus, illius ævi scriptor refert, cujus meminit Gobelinus in Cosmodromio, seu etiam vocibus horrifonis, ut Jacobus de Sena &c. Synchro- ni perhibent (alii addunt armatos comparuisse incendiumque

Mm

Con-

Conclavis minatos) ut hi sedecim Romanum, aut saltem Italum eligerent. Sed quia plures Galli erant, equidem hi prævaluissent, nisi inter ipsos contentio exorta fuisset. Quare post diuturnam concertationem electus extra collegium absens Bartholomæus Pignanus Barenfis Archi-Episcopus, natione Neapolitanus, vel, ut alii, Pisanus; qui Urbani VI. nomen assumpsit. Priusquam verò facta electio promulgaretur, quamvis pro suo tutamento militum stationes ante Conclave collocassent, Cardinales Galli edixerunt, eam non esse liberam, proindeque nullam, ob metum furentium Itolorum extortam. E quorum manibus ut evaderent, quidam fugerunt ad loca montana & abdita, quidam in molem Hadrijani sese receperunt. Haud multò tamen post cuncti reversi ipsum Urbanum jam præsentem consalutarunt, de more adorantes ut verum Pontificem coluerunt. Erat is naturâ asper, rigidus & morosus: etsi in populum aliquatenus benignus: Cardinales tamen intempestivè duris increpationibus lacebatur & imprudenti severitate à se alienos reddebat, quos ob luxum arguebat, & veluti simoniaca labe conspersos aspernabatur. Hi ergo clanculum Anagniam se receperunt, ibique coram Petro de Crose Archi-Episcopo Arelatenfi S. R. E. Camerario ac iudice Ordinario solemnem protestationem ediderunt, sua subscriptione ac juramento firmatam de illata in electione Romæ violentia. Moxque Urbanum, tum per viros religiosos & Prælatos, tum per reduces Cardinales à se missos commonefecerunt, quatenus insignia Pontificalia sibi non competentia deponeret & Schisma præcaveret. Illi à Camerario indicta dies iudicialis, & minimè comparentem cum 13. Cardinalibus (jam enim advenerat Ambientis) tanquam illegitimum intrusumque sententia latâ declarat, litteris encyclicis ad omnes Christi fideles exaratis. Secessione facta denique Cardinales illi Fundis, quod est non procul Cajetâ, maritimum Italiæ oppidum, convenerunt, quo reliquis Italis Cardinalibus citatis, plurimorum votis electus in Pontificem fuit Robertus Gebennensis filius Comitis Gebennen-

bennensis ætatis 36. annorum Cardinalis titulo duodecim Apostolorum dictus Clemens VI. Hinc Schisma exortum perniciosissimum, exitiale magisque diuturnum, quam alia præcedentia, adeo ut Archi-Schisma meritò vocetur. Stabant ab utraque parte viri sancti, miraculis illustres, Principes, Academia, regna & Nationes. Erat difficillimum pronuntiare quam in partem veritas & justitia vergerent. Eminentissimus Cardinalis Baronijs litteris aliquando significavit suo Jacobo Sirmondo, nihil se æque reformidasse, quam pervenire ad hoc tempus; de quo quid statuendum, non esset liberè pronuntiaturus.

Post electionem illam Brittones ad instinctum seditiosorum in Romanos arma moverunt, primo quidem victores, in secundo conflictu ad internecionem totalem delecti. Urbanus ob hujuscemodi attentata vehementer irritatus imprimis Joannam Reginam Neapolitanam, quod æmulum Avinionem tendentem honorificè suscepisset, excommunicavit, Regemque Hungariæ Ludovicum, ad huic bellum inferendum excitavit. E contrario Clemens Ludovicum Andegavensem instigavit, ut obsessæ reginæ suppetias ferret. Anno sequenti Urbanus novos Cardinales creavit septemque ex veteribus sibi de conjuratione suspectos in carcerem conjecit; quinque vel saccis insutos in mare demersit, vel in carcere strangulatos stabulo equorum, repletâ fossâ calce confodit, vel securi mactari jussit, inter quos duo ex Ordine FF. Minorum. Ob hanc ferociam Pontifex, cuncto populo Christiano se exosum reddidit; adeo, ut Romæ cum magno in speciem apparatu receptus sibi timuerit. In gratiam Italorum tunc una vice creavit Cardinales viginti novem, præcipuè Neapolitanos & tres Romanos. Plurima etiam Italis Germanisque indulgit ac privilegia concessit; quæ Clemens pariformiter tribuit Gallis & Hispanis, creavitque diversis vicibus Cardinales triginta quatuor. Cardinalis Pileus de Prata Archi-Episcopus Ravennatensis Urbani severitate commotus Galerum Cardinalitium, quo ab ipso donatus fuerat, Papia

Papiae in foro publico indignabundus cremavit, & ad Clementem defecit, à quo novo donatus pileo titulo S. Priscæ Legationem ejus in Italia obivit. A successore Urbani in gratiam receptus Clementis partes deseruit ac Romano Collegio restitutus Episcopus Tusculanus factus fuit vocatus irrisorie *Cardinalis trium pileorum*. Interim verò Urbanus Pontifex (verba sunt Platinæ) Pontificatus sui infeliciter acti anno undecimo mense octavo moritur sepeliturque in Beati Petri Basilica: paucis admodum ejus mortem, utpote hominis rustici & inexorabilis fletibus. Nilominus tempore sui Pontificatus habuit adhærentes S. Catherinam Senensem Virginem Deo dicatam, Petrum Regiæ Aragoniæ Principem ordinis FF. Minorum Professore Sanctimoniam vitæ conspicuum. Convenisse dicuntur pro parte illius ex variis academicis viri prudentissimi & sapientissimi, ut Orbi Christiano remonstrarent, pro vero Pontifice habendum. In Locum defuncti statim Romæ susceptus fuit Petrus Thomacellus Cardinalis titulo S. Anastasiæ qui Bonifacius IX. appellatus fuit; quem ferunt tunc triginta duntaxat fuisse annorum. Tertio anno sui Pontificatus misit duos Priores Carthusianos, unionis procurandæ causâ, ad Regem Galliæ, quos Clemens Avinione contra jus detinuit, tandemque Regis exhortatione dimisit. Clementem tunc omni nisu tuebantur S. Vincentius Ferrerius vir Apostolicus, B. Petrus Luxemburgicus Cardinalis recenter creatus, miraculis post mortem coruscans, Gallia quoque, Dein Aragonia, Navarra &c. eum receperant, dum Britannia, Lusitania, Pannonia cum Germanis Italisque in defendendo Bonifacio occupabantur. Viros quoque religiosos, quos unius regulæ ac vitæ professio adunarat, in Schismate hoc discordes vidit orbis, quando pro parte Bonifaciana Coloniae Agrippinæ 1300. Franciscani consociati, adversæ partis alibi ad 2000. Capitulum celebraverunt Ita Carthusiani fuere divisi, dum Generalis Bonifacius Ferrerius frater Vincentii, Clementis partes, plures alii contrarias tenebant. Hoc modo res magis perplexa dubia & intricata reddita,
& in

& indecisa; Christi tunica varias in partes miserè discerpebatur, dum ultro citroque contendentes suas rationes & epicheremata gravia & speciosa proferebant, & contraria elidebant; quidquid sibi inerat ingenii, facundia, Zeli, quidquid authoritatis, impendebant ad alterutrius obedientiam promovendam. Quamquam in variis promiscuè regionibus plurimos viros in Theologia & Jurisprudencia excellentes extitisse constet, qui negotio æquanimiter discusso, haud satis perspicere dijudicarentque, cui ex alterutro manus darent seseque adjungerent. Ad hujus quidem tam funesti Schismatis extinctionem, tum ipsi Reges & Principes, tum celeberrimæ Academia ac variæ Nationales Ecclesiæ, potissimum Gallicana & Germanica studium operamque omnem conferebant. Hoc ipsum tamen, quod variis viis modisque moliebantur, unionem, quam ferventissimis votis plurimi optabant, ob quædam arcana obstacula continuò procurare non valebant. Interea Clemens VII. postquam Avinione sedem fere annis sedisset, & remedia congrua visa respuisset, apoplexiâ tactus vivere desiit. Hunc Galli extollunt ut Prælatum civilem, modestum, affabilem, liberalem, clementem, doctorum amatorem, prudentem, patientem & injuriarum contemptorem. Ast longè aliis coloribus eum depinxit Odoricus Rayn. in *Supplem. Annal. Eccles.* Scriptor quoque Gallus recentissimus de eo scribit, quod fuerit pecuniæ quam religionis sollicitior, qui in tanta egestate sua reliquerit nihilominus in Camera Apostolica 300000. aureorum, ejus successori quàm sibi utilisior.

Rogati sunt Cardinales Avinionenses à Rege Franciæ, ne eligerent Pontificem: sed prius vias extinguendi Schismatis quaerere, qui posthabitis precibus, atque aliorum illustrium virorum monitis numero 22. ingressi Conclave post unum mensem A. 1494. eligunt Petrum de Luna Aragonum, Cardinalem Diaconum titulo S. Mariæ in Cosmedin creatum à Gregorio XI. Juris peritum insignem. Erat is homo versipellis & callidus, qui quondam Legatus in Hispania & Gallia adjunctum habens S.

Vincentium Ferrerium frequenter dictabat animum se gerere à Schismate alienissimum, proinde, si ipse electus fuisset, protinus congrua ad illius extirpationem remedia se applicaturum. Ast eventus docuit minus sincerè locutum: & sub larva zeli ac pietatis occultasse factum & ambitionem. Cum enim ante electionem formulam composuissent Cardinales, in qua omnes promittebant, quod eligendus ad requisitionem Collegii statim pro obtinenda unione Pontificatum deponere vellet: ipse tamen electus, licet tactis sacris Evangeliiis jurejurando promissionem confirmasset, propositas sibi vias contumaciter rejecit, imò proponentibus media censuras interminavit. Academia Parisina abolendi Schismatis tres proposuit vias scilicet cessionis, compromissionis, & Concilii generalis; quæ Regi bonisque omnibus placuere. Opportunum quidem visum fuit etiam oxoniensi academiæ tunc celeberrimæ Concilium Generale, quod tamen ob prolongationem, & maximas difficultates, præsertim tumultus bellicos vix convocari potuisset & expedire, nec à quo prælati essent vocandi, exploratum erat. Percommoda quoque censebatur mutua compromissio amborum in aliquos eligendos, qui negotium summa authoritate dirimerent: eam tamen æquitatis viam uterquè declinabat; eo quod neuter jus suum in discrimen adducere ad arbitratorum sententiam volebat. Commodissima itaque & expeditissima methodus supererat, scilicet cessio & renuntiatio plenaria utriusque competitoris; quæ facta per Cardinales amborum Collegiorum de futuro Pontifice fieret provisio. Verùm colludentibus corrivalibus, medium illud inefficax permansit. Ecclesia Gallicana videns, quoniam tergiversatione Benedicti (hoc nomen assumpserat Petrus de Luna) Schisma invalesceret, & graviora indes mala in Ecclesia universa exorirentur, omnibus diligenter discussis & maturè ponderatis in solemnibus comitiis, omnem ei obedientiam subtrahendam censuit, atque subtractionem ipsi denuntiandam pronuntiavit. Insuper 18. Cardinales Avinione secedunt. Rex ipse Carolus VI. ut

ut obstinatum ad resignationem compelleret, Avinionem obfe-
dit: & licet aliqui referant, quod Petrus sub alieno vestitu Ao.
1492. inde sese eripuerit in Provinciam: verisimilior tamen alio-
rum est narratio, quod occupata urbe comprehensus, obstri-
ctus fuerit, ut nunquam exire tentaret inde, nisi post pacem
Ecclesiae redditam, ibique usque ad annum sequentem retentus,
ope Ducis Aurelianensis evasit, moxque datis ad Regem & Car-
dinales litteris, in quibus profitebatur, se pacem Ecclesiae pro-
curare velle, obedientiam à Cardinalibus præsertim Gallis & ci-
vibus Avinionensibus obtinuit.

Mortuo deinde 1404. Romæ Bonifacio IX. post dies 17. ele-
gerunt Cardinales Cosmam Meliorati Sulmonensem ante quin-
quennium creatum Cardinalem, ea quidem conditione, ut, si
Benedictus cederet, ipse quoque cedere deberet: de quo eò mi-
nus dubitandum, quod ante hac priorum Pontificum negligenti-
am & timiditatem carpere soleret, dictitaretque eorum socor-
diâ evenisse, ne Schisma hætenus extinctum fuisset. Ast Pon-
tificatum adeptus & in quibusdam eorundem vestigia premens,
non modo, quod tantopere laudabat, non effecit: sed etiam ini-
quo animo ferebat, si quis ea protulisset. Cum Romanis, ni-
tentibus suam pristinam libertatem recuperare graviter collisus,
horum undecim nepoti tradidit, qui ex fenestris fuerunt præci-
pitati: unde populus vehementer irritatus Regem Neapolitanum
in subsidium interpellavit, profugusque Papa biennio Viterbii
subsistit, demum Romæ receptus paulo post hujus Lucis usu-
ram amisit. Dubitavêre Cardinales, num ad novi Pontificis ele-
ctionem procedendum esset; maximè cum Galli suum adegis-
sent polliceri, se abdicaturum, ut Collegio Cardinalium utriusque
obedienciæ conveniente Caput Ecclesiae seligeretur. Nihilomi-
nus ex metu, ne diutius vacaret Sedes, statuerunt Romanum
Pontificem eligere, ea cautione, ut promitteret abdicationem, si
competitor deponeret dignitatem. Hoc modo creatus fuit An-
gelus Corarius, Venetus, Cardinalis per Innocentium VII. titu-
lo

Io S. Marci, qui statim, quod antea promiserat se facturum scripto, adhibitis etiam, notariis & testibus propriae manus subfignatione ratificavit. Urgebant postea Cardinales tam Romani, quam Avinionenses, ut promissa exequerentur: sed causabatur uterque, quod sine vitae periculo ad varia loca designata venire nequirent: Verum cum deprehenderentur: quod mutuam collusionem factam de se exspectationi minimè intenderent correspondere, velut fidefragi & perjuri Schismatis fautores ab omnibus Cardinalibus fuere habiti. Pisis proinde ex Condicto convenientes in Concilio Gregorium & Benedictum Sedis Apostolicae incubatores pronuntiant, dignitate privant Sedemque vacare pronuntiant Ao. 1409, consentientibus cunctis ferè nationibus, præter Hispaniam citeriorem, Scotiae Regem & Comitem Armeniaci qui Petro adherere perrexerunt. Interea Gregorius convocatum in Diocesi Aquileensi Concilium Pisano opposuit: sed & Benedictus in Perpiniano concilio declaravit, contra se attentata esse irrita. Quibus omnibus posthabitis fuit Pisis creatus à 24. Cardinalibus Petrus de Candia ex Minorita Archi-Episcopus Mediolanensis ab Innocentio VII. Cardinalis effectus, nominatus Alexander V. Quibus omnibus peractis multis visa fuit pax Ecclesiae dudum desiderata plane reddita: sed non defuerunt illo tempore viri sapientissimi etiam sanctitate conspicui, qui exinde Schisma adauctum, appposito tertio Pontifice, autumarent, ipsumque Alexandrum agnoscere pro legitimo Christi Vicario detrectarent, de quo videndi S. Antoninus aliique Spectatissimi Scriptores. Nec desistebant Priores à creandis novis Cardinalibus, licet Gregorius de nullo creando pollicitatione sese obstrinxisset. Anno necdum evoluto Alexander veneno, ut creditur, è medio sublatus fuit. Huic sine mora sedecim Cardinalium fidefragiis, sub eadem tamen cautione, qua Gregorius electus fuerat, substitutus est Balchazar Cossa Neapolitanus Bononiae inauguratus, Cardinalis creatus à Bonifacio IX. Vir quidem in politicis magnus, in religione exiguus, belli quam pacis artibus melior,

melior, parumque aptus ad Pontificatum: eo indignior, quo appetentior. Fertur quippe, quod, dum Legatus Bononiensis esset, & armatos milites in urbe & extra haberet, violenter sui electionem urgere voluerit, si precario obtinere non potuisset. Interim 1410. leniori methodo, mercatu scilicet, acquisivit, quod tantopere ambivit.

Evoluto triennio, ut Pisis constitutum fuerat, Joannes Romæ Concilium Generale indixerat. Verum cum ob tumultus bellicos in Italia continuatos illum Præsules convenire neququam possent, duos Cardinales in Germaniam misit, qui unà cum Principibus Germanicis & Gallicis, alium locum pro celebrando Concilio deligerent. Fuitquè Constantia urbs ad lacum Podamicum amplissima potissimum visà idonea. Quo cum citati Antistites convenissent, & ipse Joannes profectus fuit 1415. adhortante Sigismundo Imperatore, licet illi fuerat prædictum, quod privatus inde recessurus esset. In secunda hujus Concilii sessione Papa throno insidens versùs altare, Schedam quandam à Joanne Patriarcha Antiocheno sibi porrectam prælegit, qua continebatur promissio cessionis, si bini corrivales sponte seu morte discessissent. Sive autem huc adactus fuerit, sive inconsideratè fecerit, mox eum hujus pcenituit: cumquè gravissima sibi crimina, antè, & post assumptionem ad Pontificatum patrata objici percepisset, nocte, veste equestri indutus Schafhusiam fugit, quem plures Cardinales secuti sunt. Friburgi detentus Constantiamque deductus, criminibus per constitutos judices discussis, & ultra quadraginta probatis, à Concilio sess. 12ma depositionis sententia, quam ipsemet approbavit, lata fuit. Misus deinde ad Ludovicum Bavarum Gregorii fautorem in Castro Heidelbergensi captivus triennio remansit. Nequaquam autem fuit is damnatus propter hæresin aut Schisma: sed propter clandestinum recessum à Synodo & Urbe in habitu indecenti, propter voti & promissionis violationem, Simoniam, jurium

Nn Eccle.

Ecclesiasticorum prævaricationem, bonorum Apostolicorum dilapidationem, malam Spiritualium & temporalium Ecclesiæ administrationem, mores inhonestos, vitamque ante & in Papatu Scandalosam & incorrigibilitatem, quemadmodum ex tenore dictæ sententiæ contra illum latæ manifestum est.

Atque hæc fuit exitialis viri ambitiosi catastrophe, in qua verificatum fuit illud, quod Plutarchus in Lyfandro scripsit: *Ambitiosa ingenia, aliàs ad imperia gerenda non inepta: quod æqualibus gloriæ causâ invident, id non exiguo iis in rebus præclare gerendis impedimento est: eos enim virtutis suæ adversarios reddunt, quibus adjutoribus uti poterant.* Qualiscunque demum Joannes fuerit: adimi ipsi non poterit encomium fortitudinis in adversis, magnanimitatis & æquitatis, qui fortunam quacunque via sibi comparatam, summamque dignitatem bono publico posthabuit. Feruntur ab ipso compositi versus in Castro Heidelbergensi sequentes:

Qui modo summus eram, gaudens & nomine, Præsul,
 Tristis & abjectus nunc mea fata gemo.
 Excelsus folio nuper versabar in alto,
 Cunctaque gens pedibus oscula prona dabat.
 Nunc ego pœnarum fundo devolvor in imo:
 Vultum deformem quemque videre piget.
 Omnibus in terris aurum mihi sponte ferebant;
 Sed nec gaza juvat; nec quis amicus adest.
 Sic varians fortuna vices adversa secundis
 Subdit & ambiguo nomine ludit atrox.

Remoto itaque Joanne duplex etiamnum restabat obex averruncandus, ut Ecclesiæ tot annis concussæ obveniret tranquillitas firma & stabilis; excussio nimirum Gregorii & Benedicti, qui licet dudum fuissent Pisis depositi, quorundam tamen Principum potentiâ & favore suffulciebantur: imò mutuis ad in-
 cuba-

cubationem sese fovebant collusionibus. Cernens denique Gregorius extrema sibi subeunda, suadente Imperatore Sigismundo, ut Legatos ad Concilium mitteret, quod nonnisi post obliquas ambages sub sua convocazione legitimum volebat, Patribus dissimulantibus, illud approbavit, illucque Carolum Malatestam Rimini Dominum cum plenitudine potestatis direxit: qui sessione 14, quarta Julii habita, in sede Gregorii non aliter extracta, ac si ipsemet adesset, collocatus, prælectâ abdicationis facultate nomine Gregorii Pontificatum resignavit. Quo peracto Gregorius à Concilio nominatus fuit Decanus Sacri Collegii & perpetuus Sedis Apostolica Legatus in Marchia Anconitana.

Longè major in obstinatissimi Petri de Luna excussione reperiebatur difficultas, qui obfirmatâ fronte, quo ad vixit, etiam à plerisque suorum derelictus non destitit Cardinales creare, nec quovis modo ad abdicationem flecti potuit, sic, ut Gerson eo tempore dicere solet, quod *nihil æquè ad Ecclesiæ splendorem conducere possit, quam infestæ hujus Lunæ Eclipsis*. Proponentis, suadentibus, benevolè resignationem urgentibus vir vaferrimus callide reponebat suæ conscientiae teneritudinem, dictantibus sibi, se Deum graviter offensurum, si Ecclesiam Dei desereret, cui pater universalis per Spiritum Sanctum fuisset non fur- tim sed publice deputatus: nolle se in dubium vocare, quod justis suffragiis sibi demandatum fuerat. Quod dicerent de subm- vando Schismate, sibi admodum placere ajebat, modo id in loco fieret libero: ne coactus quispiam, potius quàm sponte aliquid facere videretur. Hujusmodi locum negabat esse Constantiam, ubi Joannes ab his etiam Pontificatu se abdicare coactus fuerit, qui antea à sua parte steterant. Atque hæ erant tegetes inhæ- rentis fastus. Quare Imperator una cum Oratoribus Concilii ad Reges Angliæ & Galliæ, dein Aragoniæ perrexerunt, qui omnes se- cessum à Benedicto addixerunt. Sed, ut in pertinacia nullus est remedii locus, Benedictus omni ferè ope destitutus perstitit in recordia Panischole in Valentia loco munitissimo se continens.

Fuit ergo Ao. 1417. rursus in Concilio Generali excommunicatus & velut membrum turpiter abscissum rejectus; quod ut resciret, missi sunt duo Ordinis S. Benedicti Abbates, qui latam censuram intimarent. Hos advenientes cum ex fenestra prospiciens, interrogavit: *Quid sibi volunt corvi isti?* respondit unus eorum: *Ubi est corpus (putridum) ibi congregabuntur & Aquilæ.*

Anno eodem, postquam paulò ante obiisset Gregorius prope Laurettam, in Concilio sessione 41. viri spectatissimi ex universis Nationibus delecti una cum Cardinalibus Conclave ingressi elegerunt Odonem de Columna Cardinalem Diaconum ab Innocentio VII. creatum. Qui sine mora ad Benedictum misit Ademarium Cardinalem, ut eum ad saniora induceret. Negavit illo, id sibi integrum; ceteroquin se bene cum Martino, quem audivisset esse virum discretum, in proximo conventurum. Quo responsò indignati duo ex quatuor residuis Cardinalibus ab eo defecerunt. Remanserunt ergo bini tantùm, quorum unus Carthusianus erat. Omnis interim terra Christiana sequebatur Martinum. Anno secundo sui Pontificatus Florentiæ in profecto Corporis Christi Balthasar Cossà quondam Joannes XXIII. ad Pedes Pontificis provolutus illum demississime veneratur (quomodo è custodia elapsus fuerit, ignoratur) humanissimè receptus; constitutus fuit Decanus Sacri Collegii, itemque Ordinatum; ut in considerationem officii, quod dimiserat, ei in confessu paulò altior sedes poneretur. Eodem autem anno plenus dierum abiit ad plures. Mortem denique etiam Anno 1424. 26. Junii subitè non sine suspitione veneni, à Thoma monacho ejus familiari propinati Petrus de Luna annum agens nonagesimum, in Schismate trecesimum, vir, in quo nihil desideratum, præter nimiam retinendæ Sedis Apostolicæ cupiditatem, alias prisca severitate & religione reverendus; de quo & hoc proditum, quòd Perpignani peroravit eodem tono, sine interruptione, vultu immutato, quinque horis, septuaginta octo annor. ætatis. Morti proximus duos adegit suos Cardinales ut post fata eligerent quendam Aegi-

Aegidium de Munion Aragonum Canonicum Barcinonensem, qui suffectus Clemens VIII. dici voluit. Recognovit illum ex omnibus solus Rex Aragoniæ Alphonfus, ut sese vindicaret de Martino V. Creavit pseudopontifex sine mora quosdam Cardinales. Et quamvis Petrus Fuxiensis Cardinalis in Aragoniam tendens Regem abducere in partes Martini non potuerit, divinitus tamen immutatus, conditionibus acceptis & datis acquiescens in Comitiis protestatus fuit se Antipapam ut Pontificem reveritum non alium ob finem, quam pro bono communi Ecclesiæ. Jussus itaque coram Legato Apostolico Aegidius vestimenta Pontificalia, quæ quinquennio gesserat, deposuit: nihilominus pseudo Cardinales rogaverat, ut alium Pontificem eligerent; qui, exceptis duobus, ideo incarceratis, nullum præter Martinum V. Pontificem agnoscere voluerunt. Prætenso Papæ Episcopatus Majoricensis, velut ossa famelici guttur obstruens, datus fuit. Tum denique finis Schismatis, quod ultra annos quinquaginta viguerat.

S C H I S M A

XXIX.

F O E L I C I S V.

CONTRA

E U G E N I U M I V.

Martinus V. Pontifex maximus in Concilio Constantiensi creatus, approbantibus Patribus universis Synodum Generalem indixerat Papiæ celebrandam: quam ob pestem Senas transferri curavit: ubi prudenter suppressis Schismatis & discordiæ scintillis, aliud Concilium intra septennium Basileæ in Germania instituendum decrevit. Quem in finem 1431. Julianum Cæsa.

Nn 3

Cæsarini Archi-Episcopum Arelatensem S. R. E. Cardinalem il-
 luc tanquam Præsidem destinavit; morte autem interveniente
 rem prosequi nequivit. Nihilominus sub Eugenio IV. prima
 sessio habita fuit eodem adhuc anno. Sed cum inter Martini suc-
 cessorem & Concilii Patres necessària deficeret harmonia, Conci-
 lium ipse editâ Bullâ dissolvit, aliudque Ferrariæ celebrandum
 indixit. Perstiterè nihilominus cum Juliano Præsìde Antistites
 licet numero pauci. Qui deinde Eugenium ad se citare præ-
 sumpserunt; non comparentem ausu prorsus temerario de Sede
 depositum sessione 34. declaraverunt: atque urgente Philippo
 Duce Burgundico socero, reclamante Legato Franciæ, Ama-
 dæum substituunt 1439. quem Fœlicem V. infelicitè nominâ-
 runt. Fuit hic Amadæus Sabaudia Dux primus, Comes illius
 nominis Octavus; Vir magni nominis & sui temporis Salomon
 habitus: qui Ripalliam ad Lemani lacus ripam, cum Ducatu se
 abdicasset, cum proceribus suis secessit, ubi & magnificas con-
 struxit ædes, & vitam eremiticam quidem professus, sed aliter
 vixit, quàm inopes olim Eremicolæ in Palæstina seu Aegypto.
 Irridetur sanè ab eruditis, & jactatur à multis, quod secessus
 ejus plus habuerit pompæ & novitatis, quàm sinceræ pietatis.
 licet prolixâ barbâ, quæ æquè minus Eremitam, ac Philoso-
 phum facit, austeritatem præferret. Hominum quidem com-
 mercio sese subduxisse visus: ast in ipsa solitudine minimè solus,
 notatus fuit palabundus animus latè extra se vagatus. Hic igi-
 tur magno apparatu Basileam intrans, non minori pompa rece-
 ptus 1440. vigesima quarta Junii deposito Carthusianorum habi-
 tu, ibidem inauguratus fuit. Hunc profecto nègat S. Antoninus
 coævus sedisse in cathedra Petri: sed asserit occupasse Sedem Lu-
 ciferi, & Basileam peperisse Basiliscum: quamquàm non desint,
 qui illum prætendant innocentem, & bonâ conscientia oblatum
 sibi Pontificatum acceptasse, de quo videri possunt Philippus
 Bergomensis, Menoldus in *Amad. Pontif.* aliique, quibus valde
 displicet quod Odoricus Raynaldus religiosum, ut ajunt, Princi-
 pem

pem convitiis proscindat, qui aliquamdiu Pontificiam causam in Basiliensi Concilio defendisset: at ubi antipapatûs spe titillari se sivistet, præcipuus seditiosorum concitator, & signifer Schismatis evaserit. Factâ sibi à Concilio potestate, quinque Cardinales creavit: sed duos duntaxat publicavit. Prima constitutione evulgata Concilium suo nomini anteposuit. Pauca nationes illum agnoverunt, pro quo se gerebat. Fuerunt tamen qui nec hunc, nec Eugenium sequerentur, & Neutrales vocarentur; inter quos præcipuè Germani, adeoque Ecclesia Dei multas & maximas calamitates in currebat, cum imminutione Majestatis Pontificiæ, ut Palatina scribit; qua de re pluribus in Conventibus apud Fridericum Imperatorem fuit disceptatum. Tandem A. 1445. tota Germania Eugenio reconciliata sub auspiciis ejusdem Imperatoris, plurimum adjuvante Aenea Sylvio tunc Friderici Secretario postmodum Pio Secundo Pontifice; concessis nonnullis & sapienter indultis, quæ Principes primarii prætendebant, aliis dilatis, aut delusis. Eugenio defuncto surrogatus fuit 1447. Nicolaus V. perseveravit tamen Schisma ad biennium. Rex Galliaë Carolus VII. sollicitabat interim Amadeum, ut Abdicatione sui papatûs pacem Ecclesiæ reddi permetteret, donec tandem Fridericus Imperator instante Nicolao, illum compulit, ut cederet. Itaque Lausannæ in Helvetia congregatis Præsulibus 1449. Amadeus se abdicavit magnis sibi reservatis honoribus, scilicet ut perpetuus esset Legatus in Sabaudia, ei venienti Pontifex assurgeret, ille tantum osculum oris redderet, reservando sibi omnia Papalia, præter delationem Corporis Christi, annulum Piscatoris, Crucem in pedibus & umbellam. Nihil quidem de his apud Platinam, qui solum perhibet, quod Nicolaus erga Amadeum tanta benignitate usus sit, ut ad eum galatum Cardinalatûs miseret, & Legatum Germaniæ fecerit, ne omnino sine dignitate viveret, quodque Cardinales ab eo creati in arbitrium venerint Pontificis. Felicem V. non causæ diffidentiâ, sed pacis Ecclesiæ studio sese abdicasse, ex triplici illius Diplomate ostendere nititur

Natalis


Natalis Alexander *Hist. Eccles. tom. 8. Dissert. 8. art. 6.* à Censoribus Romanis ideo notatus. Ut ut sit: Hac concordia adeo lætatus est tum Clerus, tum populus Romanus, ut postridie tota Urbs resonaret, editis omnigenis lætitiæ signis. Decantatusquè ad morem Sæculi inepte confarcinatus versiculus ubique locorum.

Fulfit Lux Mundo, cessit Fœlix Nicolao.

Pontifex autem ne ignarus erga Deum tanti benefici videretur, supplicationes valde celebres cum populo, & Clero Vaticano habuit. Idem, ait Platina, fecere & reliqui Italiæ populi, tam pernitiõsa seditione liberatam Ecclesiam cernentes, quæ novem annis duraverat. Porro Amadeus postquam suam Eremum splendidissimam repetiisset, haud diu suis fuit gavisus prerogativis, quando necdum evoluto biennio Genuæ ex hac vita migravit æt. 69. ann., post mortem, ut à nonnullis jactatum est, miraculis clarus; quod facillè credent ii, qui scribunt, obiisse cum opinione sanctitatis.



LIBER



LIBER III,

DE

C O N C I L I I S.

CONCILIORUM RATIO ET DIVERSITAS.

Concilium est coetus, corpus, seu congregatio hominum simul & unà convenientium. Nomen illud tractum est ex more Romano, suamque habet derivationem à consulendo, quasi *Consilium*. C. *Canones*. Dist. 15. Quod ad concilia vocentur viri Sapientes ad consultandum super agendis, & ad publicam utilitatem spectantibus, de quo Jul. Cæsar. *Lib. 2. de bello civil.* *Quibus de causis concilio convocato de summa rerum deliberare &c.* Græcè dicitur Senedrion vel Synodus, id est, conventus publicus, seu comitia. *Cit. C. Canones vers. Synodus.* Soletque institui abiis, quibus rerum agendarum cura incumbit, iuxta illud Virgil. *Aen. 10.*

Conciliumque vocat divum pater atque hominum rex.

§. I. Conciliorum Ecclesiasticorum, in quibus scilicet tractatur de rebus Ecclesiæ necessariis & utilitatem ejus publicam concernentibus, secundum Gloss. in C. *Convenientibus* 1. q. 7. Alia sunt universalis seu generalia, Græcè Oecumenica Concilia, Alia particularia. Generale est veluti compendiaris Ecclesiæ universitas, quod à Papa, vel illius Legato cum omnibus, id est, totius orbis Christiani Episcopis, constituitur. Gloss. in C. *General.* Dist. 17. Quamquam non requiratur, ut omnes actualiter intersint Episcopi: sed ut ex potioribus mundi partibus aliqui convenient; & nullibi interim habenti communionem cum Ecclesia negetur suffragium. Jure stricto non convenit interesse

se Generali Concilio, nisi solis Episcopis, quos posuit Deus regere Ecclesiam suam *act. 10.* Quando in actis Concilii Chalcedonensis semel iterumque legimus: *Synodus est Episcoporum, non Clericorum.* Quod vel ipsemet Theodosius Imperator agnovit scribens Patribus Concilii Ephesini: *Illicitum est eum, qui non sit ex ordine Sanctorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Quare Auxentius Abbas, ut est in illius vita, apud Metaphrasten, cum esset ad eandem Synodum invitatus, nec venire quidem voluit, dicens, *non esse monachorum docere, sed doceri.* Obtinuit nihilominus posteriorum temporum consuetudo, ut advocentur S. R. E. Cardinales, Ordinum Religiosorum Generales, & quidam Abbates, qui unà cum Episcopis ferant suffragium tanquam iudices, & cum his subsignant: *Definiens subscripsi;* dum alii Theologi & Canonistæ acciti ut consultores tantum signant: *Consentiens subscripsi.*

§. II. Hujus concilii congregandi approbandique auctoritatem, jure divino nixam, Romano Pontifici privativè competere ac reservari, communis ferè omnium est sententia; atque antiquissima Ecclesiæ monumenta relicta satis evincunt; quod Pelagius II. manifestè declarat, *epist. 1. ad Orient.* scribens: *Generale Conciliorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi P. Petri singulari privilegio tradita est.* Quod verò legantur convocationes factæ Synodales ab Imperatoribus: id intelligi non debet quasi illi jus quoddam de rebus fidei decernendi, & Ecclesiam regendi sibi appropriaverint: sed quod patrocinium & præsidium impenderint suamque auctoritatem commodarint, ut tantæ molis negotia ad optatum finem feliciter perducerent, hæretici coerceretur, ut locus tutus celebrando concilio designaretur: tantum aberat, ut sic in re Apostolicæ sedis primatui præjudicare, ejusve jus ad convocandum Concilium Generale diminuerent vellent, quando consentiente Pontifice Imperatores convocarent Antistites. Constat illud ex Sixti III. epistola ad Orientales. *Vallenti-*

lentiniānus, inquit, *nostra auctoritate Synodum convocavit.* Item ex Adriani II. epistola ad Basiliū Imp. quæ est lecta in Synod. VIII. *Volumus per tuæ pietatis industriam Constantinopolim nūmerorum vocari Concilium.* Videri hic possunt Theologi polemici fusiū illud tractantes.

§. III. Concilium particulare est ad quod non vocantur omnes Episcopi totius orbis Christiani: atque sic opponitur Concilio generali. Quamquam aliter particulare dici potest ex parte auctoritatis, quod nimirum non stringat omnes Christi fideles.

§. IV. Concilia particularia alia sunt Nationalia, alia Provincialia, alia Diocesana.

Nationale seu Regionale est apud S. Augustinum *Lib. 7. cont. Donast. cap. 53.* cui præest Patriarcha vel Primas, ad quod vocantur omnes alicujus Nationis V. G. Germanicæ, Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ Archi-Episcopi & Episcopi. Hoc etiam quandoque dicitur Universale. Sicut Joannes VIII. *Epist. 56. & 57.* scribit. *Auctoritate Apostolica decrevimus Romanorum fratrum & cœpiscoporum nostrorum Italia Regni Universale, id est, totius Provinciae advocare Concilium,* Sic in Concilio Toletano III. C. 28. habetur. *Præcipit hæc Sancta & Universalis Synodus.* Gratianus *Dist. 3.* hoc Provinciale vocat; utique, quod ex certis Provinciis Episcopi conveniant. Vocatur etiam Concilium Plenarium apud S. Augustinum *epist. 47. 107. 235.* In Concilio Bracarenſi II. integrum & Perfectum, in quo Episcopus Metropolitanus fuerit. Non tamen est absolute Universale: sed respectu Nationis vel Regni: seu quo ad auctoritatem, quatenus scilicet à Pontifice maximo approbatum: & tunc omnes Christi fideles ad observantiam inibi decretorum obligati censentur.

Provinciale dicitur, in quo conveniunt unius Provinciae Episcopi; præsidetquæ Archi-Episcopus, quod vel semel in anno celebran-

lebrandum præcipit Synodus Nicæna. C. 5. Antiochena. C. 20. Carthaginensis III. C. 2. Ad triennium extendit. Tridentina *sess.* 24. c. 2. *De reform.* Ad Concilia Provincialia revocari possunt ea, quæ Legatus à Latere, vel alius ex Speciali mandato suæ Legationis celebrat cum Metropolitanis Provinciarum, intra terminos suæ Legationis contentarum.

Dicecesana Concilia, in quibus tantum presbyteri conveniunt unius Episcopatus; quæ, arbitrio Bellarmini, vix Concilia vocari possunt, quia solus Episcopus habet ordinariam jurisdictionem. Vocatur Dicecesanum Concilium etiam Civile, quia in Civitate fit; de quo Hadrianus *epist.* 18. ad Carolum Calvum. *Sed nunc, scribit, melius faceretis, si quod in Concilio civili apud suum Episcopum perperam gestum est, in Provinciali Synodo apud vos rationabiliter & apud fratrem nostrum Hincmarum cassaretur.*

§. V. Conciliorum originem etsi Albertus Pighius, ut in aliis quibusdam, sic hinc heteroclitus, *Lib. 6. de Eccles. Hierarch.* contendat esse planè humanam, & naturali ratione excogitatam; communis tamen opinio tenet esse divinam. Nihil siquidem à Spiritu Sancto edocta antiquius unquam habuit mater Ecclesia, nihilque unquam efficacius sensit, ac veluti per traditionem Apostolicam laudabiliter observavit; quodcumque de quibusdam fidei articulis inter ipsos fideles controversæ quæstiones motæ, aut suborta fuerunt infesta hæresum monstra; quàm ut in Comitibus Generalibus, quid credendum, tenendumve, decerneret, ac verbo Dei, quod est omni gladio ancipiti penetrabilis, iurgentem bestiam mox confoderet; demum filios suos obsequentes contra toxicum illud lethale; quod è faucibus infernalis Draconis evomitum, præservativo sanæ doctunæ alexipharmaco sollicitè muniret. Qualia quoque tunc concilia indicere necesse fuit, quando in supremo eligendo capite diuturnior fuit animorum vocumque discrepantia, aut de certitudine Canonice electionis

tionis haud satis certò constabat, aut de electi recta religione dubitabatur. Ipsa insuper Ecclesiæ hostis in terra sancta exerciti Tyrannis, non minus, quàm depravati mores, atque haud tolerandi abusus occasionem præbuere, ut Præsules convenirent, & de congruis remediis, quibus mala tempestivè restringerentur, salubriter statuerent.

§. VI. Porro Concilia communiter in Ecclesiis aut annexis locis celebrabantur, Sacrosancti Evangelii codex primum locum honorarium occupabat. Episcopi in sua serie consistebant. Aliquando reliquiæ & imagines sanctorum adferebantur. Notarii assistebant, qui acta conscribebant. Preces tam ante, quam post sessiones solemniter persolvebantur. Conciones sacræ in ipso confessu à deputatis dicebantur, & denique requisitis assistentium votis solemnè acclamatione sententia fecebatur, subscriptio fiebat &c.

CONCILIA APOSTOLICA.

§. VII. Varia ex variis recensentur Apostolorum Concilia. Lucas in eorundem actis refert

Hierosolymitanum I.; in quo electus fuit Matthias in locum Judæ proditoris.

Hierosolymitanum II., in quo septem Diaconi fuerunt instituti.

Hierosolymitanum III.; in quo actum de observantia rituum Mosaicorum, quod ipsum fuit præcipuum & solemnissimum Anno Aerae Christianæ 51., ex communiori Chronologorum omnium opinione celebratum, quod perperam Genebrardus ad annum 37. assignat. Occasionem convocandi præbuit suborta Antiochiæ in Syria de circumcissione & legalibus controversia. Missis inde Paulo & Barnaba pro una dissidentium parte Hierosolymam,

solyman, quæstio proposita fuit: *an ad observantiam Legalium Gentiles Neophiti adstricti essent?* Hujus controversiæ authores erant Cerinthus ejusque sectatores, Evangelio Legem Mosaicam miscentes, circumcisionem, aliosque ritus Judaicos sub æternæ jacturâ salutis servandos superstitione docentes. Itaque ad hujus hæresis suppressionem Hierosolymis indictum fuit Concilium, quo Petrus Româ, Joannes ex Asia venerunt. Interfuere quoque Jacobus frater Domini dictus, Paulus & Barnabas & Seniores, ut refert Lucas *act. 15.* Non scemina, non juvenes, non laici, ut fieri debere in Conciliis moderni prætendunt sectarii: sed Episcopi & presbyteri. Petrus sententiæ prærogativa, & primus pronuntiat, & rem definit. In ejus sententiam Jacobus Apostolus omnesque simul presbyteri transeunt, ut S. Hieronymus scribit *epist. 89.* Tacuit deinde omnis multitudo apud *cit. S. Lucam.* Deinde loquitur Jacobus, postquam Paulus & Barnabas enarrassent signa & mirabilia à se facta in gentibus. Dum ergo hi soli sententiam tulissent, subdit Lucas: *Placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia.* Omnis siquidem multitudo deferendo Apostolorum decretis paruit, ac proinde omnium nomine epistola fuit missa.

Summa hujus Concilii fuit, ut deinceps nulli incumberet Christiano obligatio observandi legalia, seu caremonias legis. Neque hic ulla exemptio à morali lege bonisque operibus aut proposita fuit à Paulo, ut ineptè somniavit Calvinus, aut Concessa à Concilio. Damnata fuit in hoc concilio fornicatio; eo quod videretur licita apud Gentiles. Idololatria quoque, qua Gentes contaminabantur, proscripita. Demum Christiani iussi sunt abstinere ab immolatis simulachrorum, à suffocato & sanguine; ad evitandum scandalum, & ut per abstinentiam illam fideles ab omni ferocia ed magis essent alieri.

§. VIII. Sunt, qui prætendunt aliud quoddam Concilium ab Apostolis celebratum Antiochiæ circa Annum Christi 56., cujus quidem

quidem primo meminit Gregorios Bisuntensis, homo versatilis ingenii, in Nicæno Concilio II., citans primum Canonem ex Synodo Apostolorum Antiochiæ, cujus Canones à Pamphilo Martyre in Bibliotheca Origenis inventos fingunt, cum tamen nulla scripta illum evulgasse satis eruitur ex silentio Eusebii & testimonio S. Hieronymi contra Ruffinum. Quare fides sit pœnes solum Turrianum, qui sine designatione loci & personæ jactat sibi obtigisse antiquissimum S. Pamphili manuscriptum exemplar; ac insuper frustra contendit Innocentium I. *epist. 18. ad Alex. Patriarch. Antioch.* Concilii meminisse hujus, cum conventum Apostolorum ibidem celebratum scribat. Quo nomine si præter Pauli & Barnabæ conventionem synodum celebratam intelligat; certè memoriam eum fefellisse oportet, quandoquidem Hierosolymis in causa Ecclesiæ celebratam constet: nec quisquam ante ipsum alibi ab his celebratæ meminerit. Adstipulatur quidem huic opinioni Baronius: sed nullo antiquitatis suffragio. Acta, quæ proferuntur, continent absona & absurda, viris Spiritu Sancto repletis indigna. Decernitur *Can. 1.* ut credentes in Jesum, quos illius temporis Galilæos vocatos additur, Christiani appellentur: cum tamen nonnisi Sæculo IV. Galilæos nuncupatos referat *Euseb. H. E.* Cætera videri possunt in *Controv. Ecclesiast. Historicis*, ubi prolixius de autoritate horum Canonum disputatur.

§. IX. *Concilium Romanum.* Post varia, quæ Romæ prioribus Sæculis, regnantibus adhuc Imperatoribus Ethnicis, sub Thelesphoro, Anniceto, Victore aliisque summis Pontificibus celebrata fuerunt Concilia, Anno 313. à Constantino Magno coactum ibidem fuit illud in causa Schismatis Donatiani & Ordinatione Cæciliani Carthaginensis Episcopi, quam invalidam prætendebant duo presbyteri, Botrus & Celestius, Donatistæ. Ex parte Imperatoris illuc missi sunt Episcopi, qui cum Melchiade Papa negotia tractarent Maternus scilicet Colonienis, Rhe-
tius

tius Augustodunensis & Maximus Arelatensis; de quo Euseb. *H. E. Lib. 10. cap. 5.* Præfuit Melchiades, non vicaria potestate & velut Imperatoris legatus, sicut quidam Protestantæ comminiscuntur theologastri: sed ut summus controversiarum iudex Ecclesiasticarum. Præter tres memoratos Episcopos adfuerunt quindecim ex Italia. Locus Concilii fuit Domus Faustæ in Laterano. In Donatum à Casis nigris Episcopum lata fuit sententia propria confessione convictum, quod repabtizaverit catholicos & etiam episcopos ordinaverit, qui in idololatriam lapsi fuerant. Cæciliæ communi consensu justificata fuit Ordinatio.

§. X. *Arelatense Concilium.* Cùm Donatistæ toties condemnati non desisterent totam Africanam conturbare Ecclesiam, tandem Constantinum Imperatorem interpellarunt, ut in novo Concilio eorum causâ decideretur. Hic tanquam caduceator constituit, ut Arelati in Gallia Ecclesiæ Præsules convenirent, quo sese pariter recepit. Illuc Ao. 314. ex omnibus pœne Provinciis vocati adfuerunt 200. (non 600., ut Ado Viennensis scribit) quibus suppeditari viaticum, & à præsidibus subministrari iussit Imperator. Ad hoc Concilium misit Sylvester P. M. duos presbyteros Claudianum & Vitum, item duos Diaconos Eugenium & Cyriacum. Canones 22. editi, & à Patribus ad Sylvestrum missi, cui testificabantur, quod majori adhuc rigore in Donatistas processissent, quàm si ipse synodo interfuisset. Hos Canones præclaris notis illustravit Gabriel Albaspinæus, Episcopus Aureliacensis. Numerosus Episcoporum Chorus Doctissimis viris Sirmondo & Launoyo occasionem præbuit propugnandi Synodum Arelatensem esse *Plenarium Concilium.* Sed rem aliter se habere, nec S. Augustinum nomine *Plenarii Concilii* aliud à Nicæno intellexisse, post Patrem Nicolai demonstrat Natalis Alexander: *H. E. speciali Dissertatione.* In Concilio illo Donatistæ, post discussam causam, damnati; Cæcilianus rursus absolutus. Acta, sine dubio scriptis mandata, perierunt.

§. XI. *Concilium Romanum.* Tempore Sylvestri Pontificis recensentur passim tria Concilia. Primum Ao. 315. Verum hujus acta per Adrianum I. ad Carolum Magnum missa falsitibus referta sunt. Secundum putatur celebratum Ao. 324. ab Episcopis 230., ut Cresconius in *Collect. Concil.* prodit, aut 284. Sed Chronotaxin falsam esse patet ex Prologo illius Concilii, qui damnatum perhibet Photinum, cujus hæresis longè post emerfit. Porro incredibile est, quod Sylvester intra thermas Trajanas tot Præsules, post tot Ecclesiæ persecutiones idololatria adhuc dominante ad Concilium Provinciale, in quo nulla de fide quæstio, congefserit. Suis nominibus recensentur Episcopi, non additis nominibus Episcopatus præter antiquum Ecclesiæ morem. Dicuntur stetitisse ad Episcoporum terga presbyteri, quod Romanæ Ecclesiæ repugnat disciplinæ, in quo solemne fuisse, ut confidèrent presbyteri, notat S. Hieronymus *Epist.* 89. Helena Constantini mater subscripsisse refertur concilio: quod ridiculum est, cum nullæ unquam mulieres ad Sacros hosce coetus admittæ fuerint. Canones communi Ecclesiæ consensui repugnant. Quidam habet. *Nullus Episcoporum virginem sacram maritali consortio expetierit benedicere, nisi eam probaverit 72. annorum esse constitutam. Canone XI.* Sancitur, ut nemo fiat acolythus nisi fuerit annis 30. lector. *Can. XIII.* legitur: *Nemo enim nisi velamen cæleste acceperit primum conjugii, per manus sacerdotis ad Clericatus honorem accedat. &c.*

Sunt & alii facti de Ecclesiæ redditibus, qui quatrifarii divisi pro Episcopo, Clero, fabrica, & pauperibus. Sed confunduntur cum iis, qui in tertia Synodo facti dicuntur.

§. XII. *Concilium Ancyranum.* Ut lapsis demum congrua præscriberetur pœnitentia, ut pariter statuerentur alia Ecclesiastica disciplinæ capita Ancyrani vel Anguri, quæ est Metropolis Gallatiæ, sub Constantinop. Patriarchatu, celebratum fuit Concilium convenientibus ex Asia minore, Ponto &c. 18. Episcopis.

P p

Præ-

Præfedit Vitalis Antiochenus, qui sedit ab Anno 311. usque ad annum 319. Unde patet falsum, quod in *Summa Concil. Caranza* legitur fuisse celebratum post tempora Marcelli Papæ parum ante Concil. Nicænum circa annum Domini 308. Siquidem Marcelli martyrium contigit Anno 230. Conditi fuerunt Canones 24. Horum præcipua pars concernit pœnitentiam in idolatriam lapsorum. *Can. XIII.* declaratur, non licere Chori Episcopis presbyteros vel Diaconos ordinare, nec iis imperare. *Can. XVI.* tractatur de pœna eorum, qui crimen bestialitatis commiserunt. *Can. XX.* imponitur adulteris 7. annorum pœnitentia. Hoc Concilium Ancyranum, seu, ut Gratianus vocat, Anchyritanum (alii Anquiranum) in Concilio Constantinopolitano Quinosexto receptum fuit. Illustravit æquè doctis notis Canones illos præfatus Albaspinæus, ubi explicat illa verba: *Inter hyemantes orare.* Leo Allatius illos vult dici *hyemantes*, qui variis voluptatum fluctibus à vero bono, & inanes istos variosque mortiferarum delèctationum vortices intrârunt, qui vèrè *Hyemantes* in continua sunt semper hyeme. Sed non est veri simile tam insolentem à PP. Ancyranis fuisse significationem adhibitam. Dionysius Exiguus, Martinus Bracarensis, Ferrandus &c. Demoniacos in Hyemantibus se invenire sibi persuasum habent: sed falsum: quia hi Narthecis aditu (erat pars templi ingredientibus prima, exeuntibus ultima, locus, in quo monachorum fideliumque corpora ponebantur mortua, postea Sacrarium dictum) non prohibebantur & versabantur inter *Audientes*: imo aliquando Eucharistiam participabant, cum blasphemix erant immunes, ut Cassianus *Collat. 7. c. 30.* tradit. Probabilius est *Hyemantes* fuisse homines vitiiis, ac omni dedecore infames, qui sub Jove frigido pœnitentiam agerent. Quod quidem negat Du CHESNE in suo eruditissimo *Glossario*, voluitque, quod extra Ecclesiam starent sub porticu, non Dio. Sed immensa diligentix atque doctrinæ virum subterfugit locus Tertulliani *De Pudicit. cap. 1.* Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora

pora & in sexus ultra jura naturæ, non modo limine; verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus: quia non sunt delicta, sed monstra. Unde patet quid sint Hyemantes, qui ne quidem porticum Ecclesiæ ingressi, sub dio frigora, procellas aërisquæ patiebantur inclementiam; quo corpora sua magis subigerent: & ob hoc cum leprosis conjungebantur, qui & procul ab Ecclesiæ porticu stare jubebantur, ne coeteros inficerent, ut olim apud Judæos.

§. XIII. *Concilium Laodicenum.* De anno hujus celebrati concilii historici discrepant. Baronius ejusque Achates Binnius volunt esse annum 314. non sub Theodosio, qui fuit Episcopus Laodicæ in Syria: sed Neunechio Archi-Episcopo maximæ in Phrygia urbis ad Lycum fluvium, qui postea interfuit Concilio Nicæno. Alii constituunt annum 319. Sed plures, inter quos Nat. Alexander, negant ante Concilium hoc generale celebratum, quia Photiniana hæresis meminit, quæ circa Sirmensis Concilii tempora prius exorta fuit; aliasque rationes adducunt, cur sub Liberio P. M.; qui anno 353. sedere coepit, PP. convenisse credant. Canones 60. conditi, qui Christianorum mores & conversationem componerent, fidei integritati confulerent. Ex iisdem manifestè probatur missæ sacrificium, Quadragesimale jejunium, differentia inter Episcopos & Presbyteros, pœnitentia publica &c. referuntur. *Canon XXI.* Quoniam non oportet Subdiaconos licentiam habere in secretarium ingredi & contingere vasa Dominica. Et habetur *Dist. 23. c. non oportet.* Unde arguit N. Alexander, quod subdiaconatus non fuerit ordo sacer, sed neque Ecclesiam Græcam illum pro tali habuisse. Collatus etiam olim Diaconatus illi qui subdiaconus non fuit, quod ex variis historiis, tum Pauliniani monachi apud S. Hieronymum *Epistola 60.* liquet. Subdiaconorum munus tunc erat stare ad ostium, & attollere vel supprimere vela ante januas suspensa &c. Ob hæc citatus author à censoribus Romanis notatus in Scholio

adducit Cardinalem Bonam *Lib. 1. rerum Liturg. cap. 25.* Ab initio & deinceps per aliquot sæcula subdiaconatus inter minores Ordines computabatur nec ei annexus erat coelibatus. Quamvis enim Concilium Illebiritanum *Can. XXXIII.* subdiaconis indixerit continentiam: certè constat hanc legem nec alibi, nec in ipsa Hispania tum fuisse receptam. Post sextum verò sæculum vix aliqua memoria subdiaconorum reperitur, qui non fuerint continentiae voto adstricti. Et Romæ quidem jam ab his continentia servabatur tempore Pelagii II., multo post tempore subdiaconatus inter sacros Ordines recensitus. Petrus Cantor, qui vivebat Anno 1200., relatus à Menardo scribit: *De novo institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem.*

Canone ultimo Libri Sacri recensentur, non tamen omnes quos nunc Ecclesia pro Canonicis habet. Unde N. Alexander deducit, quod nondum illo tempore in Asiaticis Ecclesiis Libri Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici & Apocalypsis sicut divinæ Scripturae partes recensiti fuerint. De quo, quidquid sit, non poterit illud Concilium præjudicare recepto ab universa Ecclesia Canon, quia est tantum Provinciale, nec à Pontifice aut Generali Synodo approbatum, quod à 22. tantum Episcopis fuit decretum. Extant hujus Concilii Canones in Collectione Isidori Mercatoris: & ex Græco transtulit Herverus Doctor Sorbonicus, interpretatus quoque fuit de Donis, illustravit Albaspineus.

§. XIV. *Concilium Eliberitanum.* Duo sunt de hoc Concilio Provinciali inter Criticos controversa. *Primum:* Ubinam celebratum fuerit? Et quamvis nullus dubitandi locus, quod in Hispania id contigerit: certa tamen loci cognitio haberi nequit; quandoquidem Eliberis, seu, ut alii scribunt, Illiberis nulla apud Veteres extet mentio, nec illius rudera à quodam fuerunt deprehensa. Sunt qui Granadam illi superædificatam prætendunt: alii nunc Caliooram ibi extare credunt. Hos tamen & illos

los verifimilius decipi cenfet Moreri in *Dict. Hiftor.* ubi tamen adfert rationes in contrarium parum facientes. *Altera* eft controverfia de hujus Concilii epocha. Morinus vult ante tempora S. Cypriani, celebratum. Ferdinandus de Mendoza ante Annum 262. conftituit. Nat. Alexander pluribus contendit imminente perfecutione Diocletiani & Maximiani convocatum. Baronius Anno 305. affignat. Ambrofius Morales ad annum 324. refert. Verifimile eft, ante Synodum Nicenam abfolutum, cum hujus non meminerit, neque hærefis Arianae. Futile ergo Centuriatorum opinamentum, quod in fine Sæculi VIII. Eliberitanum Concilium celebratum fit.

Itaque de antiquitate hujus concilii eruditi fatis conveniunt; utinam pariformiter de authoritate ejusdem; quam evacuant divinarum humanarumque fcientiarum peritiffimi, ac in Canonibus deprehensos errores non paucos affignant Caranza, Canus, Baronius, Bellarminus &c. Attamen citatus de Mendoza nobilis Hifpanus illos ab errore vindicare conatus fuit conſcriptis & Clementi VIII. oblatis Libris, quos Philippus III. Rex Hifp. ſub approbatione Univerſitatis Salmanticenſis fecit recudi, notasque addit Albalpinæus, uti & Gareias Loyſa. Demum Aevo noſtro Nat. Alexander ex veneranda antiquitate & præſentia virorum ſanctiſſimorum decretisque Conciliorum ſubſequentum argumentatur venerandam eſſe Concilii hujus authoritatem, in cujus fide nihil non integrum, in cujus diſciplina nihil non ſanctum fit. Quibus alia ineſt perſuaſio, animadvertunt quod *Can. XXVII.* prohibeatur ſacrarum imaginum cultus, qui talis eſt: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere: ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur;* quod *Canon XXXIV.* faveat Vigilantio cultum SS. reliquiarum damnanti, in quo prohibetur cereorum accenſio ſuper ſepulchra SS. Martyrum. *Cereos per diem placuit in coemiteriis non accendi: inquietandi enim Spiritus Ss. non ſunt.* Quod *Can. 1. 2. 3.* lapſis pœnitentibus communio-

nem prohibeant accipere, etiamsi sint in fine vitæ constituti. Quod *Canone 9.* Eucharistia concedatur sceminis, qui dimisso ad-
ultero viro alteri nupserint. Quod *Can. XXXVIII.* baptis-
mus ah Ethnicis in necessitate collatus negetur validus. Quod *Can.*
V. propter factum nullatenus peccaminosum, fortuitum scilicet
homicidium, quinquennali penitentia mulctetur.

Hos objectos in speciem errores diluisse se putat Alexander, respondendo ad *1mum*, Patres Eliberitani Concilii prohibuisse usum imaginum, quod tunc magis noxius, quam utilis censetur, si in omnibus promiscuè Ecclesiis invaluisset: Quia Ethnici existimassent Christianos idola potius mutasse quam reliquisse. *Ad 2dum* Prohibuisse cereorum usum ad inquietandos SS. Spiritus, seu ad animas evocandas gentilitio & magico ritu, quomodo iussu Saulis *1. Reg. cap. 28.* inquietatus fuerat Samuel à Pythonia evocatus. *Ad 3tium* Quod nomine communionis non absolutio sacramentalis, sed Eucharistia ibidem intelligatur. *Ad 4tum* Quod illis sceminis concedat Eucharistiam, quæ vera doloris signa ediderunt, cum proposito dimittendi virum, cui se conjunxerant. *Ad 5tum* Quod illicite in præsentia Christiani & Monogami ab Ethnicis & bigamis conferatur baptismus. Et si fortè voluerint, nec valide conferri potuisse: id erroneum non fuisse: cum tempore S. Augustini illud adhuc fuerit ambiguum. *Ad 6tum* PP. fecisse, quod aliqui in diversis Conciliis statuerant, necdum tamen ideo erroris convictos fuisse. Atque hoc modo vindicando antiqui Concilii auctoritatem, fidem & disciplinam de Ecclesia bene mereri sibi videbatur Historicus ille: sed ferulam Romanam sensit. Fuitque tota de Concilio Eliberitano expuncta dissertatio.

Canon XXXIII. Sic habet: Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis positis in Ministerio abstinere se à conjugibus suis & non generare filios. Quod quicumque

que fecerit, ab honore Clericatus exterminetur. Ubi observant supra citati Authores, quod vel ea Lex solus Ecclesiasticæ Provinciæ Baticæ Clericos spectaverit, nec pro universa Ecclesia Hispanica lata fuerit, vel in illa etiam Provincia summo consensu non fuerit recepta usive confirmata saltem quo ad presbyteris, ut patet ex supra dictis, inferiores. Quidam Canonem hunc exponunt, quasi Patres interdixerint re uxoria sacris ministris illo tempore solum, quo ministerium obibant. Sed quomodo rei violati Canonis honore Clericali, privari potuissent? nusquam enim aut difficile probari posset, quod tunc uxoriis se polluissent amplexibus, cum rem sacram ex officio peragere tenebantur. Pofitis itaque in ministeriis nuptiarum usus prohibitus est, id est, Clericis, ex quo ad sacros ordines promoti fuerant.

Referuntur in eo Concilio Episcopi 19., inter quos celeberrimus Osius, Valerius Cæsar Augustanus Episcopus; cujus Diaconus S. Vincentius Martyr. Interfuerunt quoque presbyteri 36. adstantibus pluribus Diaconis & plebe audiente. Putatur vetustissimum, cujus acta extent. Dionysius Exiguus, Ferrandus Diaconus, Cresconius & quidam alii Canonum collectores illius non meminerunt.

Canones conditi 87. qui testantur Ecclesiæ primitivæ rigorosam disciplinam. Nihilominus apud Baronium exigui sunt pretii. Canonem de tollendis imaginibus Canus *Loc. theol. Lib. 5. cap. 4.* dicit non modo imprudenter sed & impiè latum, qui tamen variè à Bellarmino Cabafutio, Bona &c. explicatur, haud tamen ita, ut omnibus satisfiat.

CONCILIUM GENERALE

PRIMUM, NICÆNUM.

§. XV. Nicæa in Asia minore Bythiniz Metropolis est, diversa à Nicæa in Thracia, ubi ab Arianis postea Synodus indicta

indicta (hanc errore crassissimo cum alia Nicæa confundit Calvinus) quam Leunclavius vocat Nichor, Stephanus Bisancenus Ancore, nunc dicta Isnich à fluvio præterfluente. In hac urbe amplissima & opulentissima fuit primum Concilium Generale, convenientibus Patribus in Palatio Imperiali, ut post Theodoretum alii perhibent: Valesius tamen ex Eusebio sustinet ultimam sessionem tantum in Palatio, priores in Ecclesia factas.

Convocavit illud Constantinus Magnus Imperator. Eusebius *Lib. 3. de vit. cap. 5.* & Patres in *Epist. ad Aegyptios. Epiphani. hæres. 69. n. 11.* Socrates *Lib. 6. cap. 8.*, Gelasius *Cycin. Lib. 5. cap. 5.*, Theodoretus *Lib. 1. cap. 9.* &c. persuasus ab Osio Cordubensi & Alexandro Patriarcha Alexandrino; iussitque Episcopis ex universo orbe accedentibus, vecturas & com meatum in itinere tribui. Id factum disponente Sylvestro P. M. probant Baronius, Binnius, Bellarm., Perronius, Du Vallius, Maimbourg, Nat. Alexander ex *Synodo VI. act. 18.* in qua habetur, quod *Constantinus & Sylvester Synodum apud Nicæam congregaverint.* Mirum interim multis videtur, quod prius citati antiqui historici causam instrumentalem, non principalem retulerint. De Sylvestro nulla fit mentio in *epist. Synodica PP. ad Alexandrinos*, ubi legitur: *Quandoquidem Deo Opt. Max. ejusque charissimo Constantino nos ex diversis civitatibus ac Provinciis congregante Sacra & Magna Synodus Nicææ celebrata est &c.* Nonne & Sylvestri nomen apponi debuisset? Ruffinus quidem favore videtur sententiæ Baronianæ, dum *Lib. 10. cap. 1.* scribit, quod *Imperator ex sententia sacerdotum Synodum Episcopalem convocaverit.* Sed æquè hoc ad alios sacerdotes, quàm ad Sylvestrum referri, quomodo Epiphanius *hæresi 68.* ait. *Alexandriæ sanctissimi Episcopi studio & hortatu B. Mem. Constantinus in urbe Nicæna congregat.* Denique Gelasius *hist. Concilii Nicæni Lib. 2. cap. 12.* *Sancta & Magna & Generalis Synodus SS. PP. Nicææ congregatorum per Beatum & Sanctum Osium coacta*

coacta est. Interim in Libro Pontificali perhibetur, quod cum consensu habitum sit Concilium Nicææ. Ast hujus apud Criticos non est magna autoritas.

Anno ære vulgaris 325. (non 321., ut in Chronico Hieronymi, qui est prochronismus) celebratam hoc Concilium & quidem mense Junio, communis fert opinio. Refert Socrates *L. 1. cap. 9.* & post eum Nicephorus *Lib. 8. cap. 26.* inchoatum fuisse sub Paulino & Juliano Coss. quorum Consulatum Onuphrius Panuinus collocat Ao. 325., alii anno 327.

Fuit certò sub Sylvestro celebratum. Quare Sozomenus errante calamo & memoriæ lapsu *Lib. 1. cap. 17.* scripsit Julium adfuisse. Quem locum, licet Marca corruptum velit, nulla tamen manuscripta variantis Lectionis adducit. Potuit certè in Pontificum annis facilè errasse homo Græcus & uno Sæculo posterior. Errantem Græcum secuti sunt Photius, Nicephorus Græci, item Joannes Calvinus in Gallia vocatus *Le petit Grec*, Parvus Græcus. Verum quia tota antiquitas perhibet testimonium de Concilio sub Sylvestro Nicææ celebrato, non erit opus soli facem accendere: ut proinde insigniter caligantem oportuerit fuisse Joachimum Camerarium scribentem se diligentissimè veterum scripta evolvisse in compositione historiæ Concilii Nicæni, nec reperisse, sub Sylvestro, quin potius sub Julio illud celebratum. *Cujus oculi peregrinantur, haud observat juxta se posita.*

§. XVI. De præside hujus Synodi non est una omnium sententia. Stolidum est Calvini judicium, quod Athanasius præfuerit, siquidem is tunc Diaconus solum fuit, & comes Episcopi Alexandrini, ut author est Ruffinus *Lib. 10. cap. 14.* Nec ejus nomen in subscriptione extat. Brentius Imperatorem præfedissee frivole prætendit. Hic enim ultimo loco subscripsit, & in ipso

Concilio annuentibus Episcopis, ut colligere licet ex Theodoro *Lib. 1. cap. 7.*, Eusebio *Lib. 3. de vit. cap. 9.* Ipse quoque edixit se debere ab Episcopis judicari iisque subjectum esse, non præpositum. Neque Athanasius, Osius, Leontius postea reprehendissent Constantium, quod Synodis præsidere attentasset, si antea pater ejus Constantinus in hoc Concilio præsedisset. Centuriatores volunt Eustathium præsidem, quod apud cit. Eusebium legatur primus sedisse à dextris Imperatoris, & orationem Panegyricam ad PP. habuisse apud Theodoret: *Lib. 1. cap. 7.* Cujus tamen relationem in dubium vocat Nicætas in *Theaur. Orth. fidei Lib. 5. cap. 7.* & dictam Orationem Alexandro vindicat. Magni tamen debet esse Theodoret testimonium, qui & Antiochenus & Nicætam sæculo præcessit. Plures item habet sibi suffragantes tum in synodis subsequentibus, tum in historia ejusdem Concilii. Nihilominus quia Alexander Episcopus Alexandrinus major & dignior præsul erat, contra rationem Eustathius, cujus nomen inter postremos scriptum reperitur, præcedentiam usurpasset. Petrus de Marca Osius præsedisse probare nititur ex quodam Eusebii qui est apud Gelasium Cizicensem scriptorem minus exactum; & longè aliter reperitur, quam in exemplaribus propriis, neque quispiam alius ante hunc Gelasium scripsit. Launoyus opinatur plures fuisse præsides Alexandrum scilicet, Eustathium & Osius. Sic enim legitur apud Eusebium *H. E. Lib. cit. cap. 13.* Constantinus cum Latinè dixisset, deinceps Concilii præsidibus sermonem concessit. Item Synodi Epistola apud Theodoretum testatur Alexandrum rebus decisis præfuisse. Osius ab Athanasio vocatur Conciliorum pater: *In qua enim Synodo ille non dux & antesignanus fuit?* Libellus Synodicus plures, præter hos, assignat præsides. At tamen Basnage negat tanta esse Launoyi argumenta, ut ad assensum prorsus cogant. Præsides vult esse Episcopos respectu presbyterorum. Valesius & Sirmondus de Alexandro vertunt. Gestorum author ac particeps extitit. Fuit Osius Synodorum Do-

ctor,

Et or, non præses, quamquam Concilio Sardicensi Sapia & auctoritate præfedit. In Eliberitano post Felicem Accitanum ponitur: nec ratio, cur Episcopus Metropolitanis præficeretur.

Cum Annalium Principe Ecclesiasticorum Marca, Alexander, Pagius, pleriquè nunc sentiunt, Vitum seu Vitonem & Vincentium presbyteros huic Concilio præfedisse, quos Sylvester, cujus grandævior ætas impediverat, quo minus Nicæam proficisceretur, illuc apocryfiarios misit, quatenus ibidem suo loco Sedis Apostolicæ auctoritatem manutenerent & Christi vicariatam conservarent. Testimonia authentica hujus Legationis non extant, sed nec historia Concilii completa habetur: adeoque potius ex conjecturis & præsumptis eventibus id defumitur, quas tamen aliqui arbitrantur magis solidas, quam si niterentur plurium scriptorum auctoritate. Quamquam interim non desint, qui hoc insinuent. Nam Cedrenus in *Compendio Historiarum* & Photius *Lib. de 7. synodis* ex Gelasio tradunt, Sylvestrum per suos Legatos Concilio Nicæno auctoritatem contulisse. Remanet interim majus dubium: an etiam Osius in qualitate Pontificii Legati præfedit? Habetur quidem ex Athanasio *epist. ad Solit.* Hosium Principem fuisse in Concilio & composuisse Symbolum Nicænum: sed dum aliqui dicant, suo nomine præfedisse, prius inde non evincitur, quamquam ex supradictis eorum nequaquam subsistat opinio. Cumquè primò subscripserunt, qui non fuerat eo tempore admodum senex, neque in aliis prioribus Conciliis id factum sit, neque in Arelatensi præfedit, in Sardicensi autem non nisi post Annos 22.; notat Perronius subscriptionem primo loco huic competere non potuisse, nisi in quantum esset Legatus Sylvestri. Veruntamen Osius subscripsit: *Osius Episcopus Cordubæ.* Vitus & Valerius: *Pro venerabili viro Papa & Episcopo nostro Sylvestro,* subscripsi. Interim observat Sozomenus, Patres Ordine inverso, ultimo Papam, penultimo Alexandrinum Patriarcham, deinde Hierosolymitanum sua nomina posuisse.

§. XVII. Patres interfuisse 2048. ex Eutychio Alexandrino defumitur. Eusebius *L. c. cap. 8.* supra 240. Episcopos, diacos innumeros dicit. Eustathius Antiochenus apud Theodoretum *Lib. 1. cap. 8.* numeratos vult circiter 270. Communis est traditio quod adfuerint 318. sanctitate, doctrinâ & confessionis gloriâ, seu pretiosis pro Christo susceptis in persecutione stigmatibus illustres Episcopi. Epiphanius siquidem *heresi 69.* testatur usque ad sua tempora fuisse horum Præsulum nomina conservata 318. Hilarius *Lib. de Synodis*, Ambrosius *præfat. Librorum de fide* mysticam hunc numerum observant. Siquidem expeditos vernaculos 318. numeraverit Pater æternus ad Filii sui gloriam contra Arianos hostes vindicandam, quot olim ad liberandum ex hostili manu Lothum fratris filium pater Abraham assumpsisse legitur *Gen. 14.* Hos inter Alexander Patriarcha Alexandrinus, Eustathius Patriarcha Antiochenus, Macarius Hierosolymitanus; & Metrophanes Constantinopolitanus Episcopi, necdum tamen Patriarchæ; S. Nicolaus Episcopus Myrensis in Lycia, S. Potamon Heracleensis, S. Amphion Epiphaniensis, S. Leoncius Cæsariensis, Aсклеpius Gazensis, Cæcilianus Carthaginensis, Eusebius Cæsariensis in Palæstina, Nicasius Dignensis in Gallia, Paulus Neocæsariensis, qui ambabus manibus ferro adustus. Illum præfides Romam reversi ob insignem zelum contra Blasphemias Arianas deprædicarunt. An Bizantinus personaliter interfuerit, dubitant Petrus de Marca, Baluzius &c. Metrophanem decrepitum duos misisse legatos putant. Eusebius memorat *L. 3. vit. Const. cap. 7.* abfuisse Regiæ Urbis antistitem ob senium; quo Roma intelligitur; alii volunt proinde Gelasium erasse, & Bizantii Episcopum, quæ postea rogatu Constantini Constantinopolitana dicta, in persona adfuisse. Ingens ornamentum fuit præsentia Paphnutii, in superiori Thebaida Episcopi, hominis Dei, qui fuit unus ex illis, quos Maximinianus dextro oculo offosso & sinistro poplite succiso ad metalla damnaverat, S. Jacobi Nisibeni Episcopi, miraculorum gloria illustris, S. Spiridionis

dionis Cyprii Episcopi Prophetiæ dono inclyti. Affuit quoque piissimus Imperator Constantinus, de quo Ruffinus *hist. Lib. 10. c. 2.* quod, cum interpellaretur frequenter ab Episcopis, videns quod ob particularia jurgia causa summi negotii frustraretur, diem certum statuit, quo unusquisque suas querelas proferret. Et cum resedisset, suscepit à singulis libellos: quos simul omnes in sinu suo continens, nec in iis, quid contineretur, aperiens, ait ad illos: *Deus vos constituit sacerdotes & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: & ideo nos à vobis rectè judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari &c.* jussitque omnes querimoniarum libellos simul exuri, ne innotesceret ulli homini simulatione sacerdotum. Has simulationes fuisse ortas ab Arianis Episcopis Orthodoxos accusantibus, observant historici.

§. XVIII. Convocandi ratio præcipua fuit hæresis Arii; cuius ut impium dogma de Christo, quem dicebat *Patre minorem, Creaturam, in tempore factum*, funditus damnaretur, & salubri providentia, quid in Ecclesia Catholica debeat observari, statueretur, Patres convenerant in unum. An Arius præfens fuerit? dubitari posset, quia Epiphanius *hæres. 69.* apertè scribit, Arium fuisse mortuum, priusquam Concilium celebraretur. Et quia cæteri historici post Ruffinum & Socratem contrarium perhibent, hinc quidam volunt duos fuisse ejusdem nominis synchronos Ecclesiæ Alexandrinæ presbyteros, paris in Filium Dei perfidiæ. Nominatissimus tamen Arius, qui Ecclesiæ parochiali dictæ Baccalion, præfuit, qui hæresin eam propagare coepit, juxta Baronium Anno 316., juxta alios 320. vel 221. De eodem Ruffinus *L. c. cap. 13.* Arius ad Ecclesiam pergens, Episcoporum & populorum frequentia constipatus, humanæ necessitatis causa ad publicum locum declinat: Ubi, cum federet, intestina ejus atque omnia viscera in secessus cuniculum defluxè: ita tali in loco dignam mortem blasphema ac fetida mente exsolvit. Hoc Valerius alteri Ario evenisse prætendit, ut salvetur Epiphaniæ auctoritas.

ritas. Verum Bellarminus contrarium ex Ruffino supponit, neque Authores sibi contradicentes posse conciliari putat, si duo Arii constituentur, ut significat Sulpitius *Lib. 2. hist. sacræ.* Præsertim cum in V. Synodo tractatum fuerit: *An liceat hæreticos post mortem damnare?* quod certe in dubium venire non potuisset, si Arium jam mortuum Synodus Nicæna damnasset. Nihilominus non desunt, qui Athanasium, qui id solus refert, & unde hausit Ruffinus, in nominis similitudine deceptum volunt. Ast Socrates & Sozomenus, non ex solo Athanasio tradunt: qui provocant ad constantem traditionem Constantinopolitanorum, testantium suo adhuc tempore locum fuisse monstratum, ubi Arius turpiter egressit animam. S. Athanasius quoque adducit Clericum Macarium, qui adfuit cum Alexandro in templo. Epiphanium hac in parte critici parum respiciunt, cuius ubique in historicis non est satis tuta fides & multa confulse scripsit.

§. XIX. In eodem Concilio Arium fuisse anathemate percussum negat quidem Hieronymus: sed post palinodiam fuisse receptum perhibet *advers. Lucif. cap. 7.* Quem Baronius sequitur. Verum Baronium cum suo Hieronymo totâ viâ errantem refellit epistola Synodica, quæ in ultimo actu scripta, in qua sic habetur: *Ea quidem, quæ adversus Arium gesta sunt, vel comperistis, vel brevi comperituri estis, ne nos insultare videamur homini, qui sceleris sui dignam mercedem recepit.* Eusebius quoque Nicomediensis tribus mensibus post Synodum exactis relegatur. *Philostorg. Lib. 1. c. 9.* Item Socrates *Lib. 1. cap. 9.* S. Athanasius *Apolog. tom. 1.* Cæterum in ea synodo, quæ Nicææ congregata, Anathemate damnata est hæresis, Arianique rejecti sunt. In Concilio Hierosolymitano Anno 333. Imperator constituit, ut Ariani reciperentur: ergo hucusque erant rejecti. Arium in *Thesauro Lib. 5. cap. 8.*

§. XX.

§. XX. Canones communiter recensentur 20., quos Theodoretus Leges Politicæ Ecclesiasticæ vocat, & habentur apud Gratianum in Decretis variis locis. Ruffinus 22. recenset, in quibus tamen nil magis, quam in illis continetur. Arabes 80. numerant quos alphonfus Pisanus & Franciscus Turrianus è Societ. Jesu, item Abraham Eschellensis Maronita Latinos reddiderunt, ut extant in nova editione Conciliorum. Sed Doctorem eruditissimorum iudicio nihil magis apocryphum censei debet, quam hujusmodi compilatio toti antiquitati incognita. S. Athanasius quidem 70. tradidisse refertur, quorum aliqui Concilio Antiocheno inserti, alii in Sardicense translata, aliqui etiam in Arelatensi leguntur. Veruntamen Stephanus apud Gratianum *Dist. 16. Can. Viginti*, nonnisi 20. agnoscit. Inter hos tamen non extat Canon, ut Pascha semper celebretur prima Dominica, post perfelenium seu plenilunium, hoc est post Lunam 14. primi mensis, cujus Canonis meminerunt Epiphanius *heres. 70.* & Ambrosius *Lib. 10. epist. 83.* Eusebius *in vit. Const.* Rectè proinde censet Baronius, præter Canones qui extant, alios plerosquè, qui non naufragium sint passi sancitos fuisse, id quod nemo inficiabitur, qui Hieronymum, quique Ambrosium, aliosquè antiquos Patres mendacii arguendos non putet, apud quos de aliis permultis à Nicænis PP. promulgatis legibus frequens mentio habetur.

Can. III. Subintroductæ mulieres interdiciuntur majoribus Clericis. Quo nomine aliqui intelligunt uxores. Negant plerique Doctores: quia subintroductæ mulieres sunt extraordinariæ, non legitimæ uxores. Apud Ruffinum, qui è Græco Canones Latinos reddidit, legitur: *Extraneas*. Has Agapetes, seu sorores adoptivas appellârunt; contra quarum contubernium graviter invecus fuit S. Joannes Chryostomus *in tract. proprio* item S. Hieronymus *epist. 22. ad Eustochium*. Has prohibuit Nicæna Synodus, non legitimas uxores: ut cum aliis sentit Christianus Lupus *Schol. in hunc Canonem*.

Canon.

Canone VI. Legitur. *Mos antiquus perdurat in Aegypto, vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Varie à variis hic paragraphus explicatur, & plurima opere scripta amoebea hodiedum de eo extant. Non erit abs re subungere, quæ apposuit Bartholomæus Caranza in *summa Conciliorum.* » Nonnullis perperam visum est, quod hic Canon VI. » parem faceret Episcopum Romanum cum aliis Metropolitanis, » quia dicit: *Episcopo Romano parilis mos est.* Sed licet hoc » leve sit argumentum, ut eo ambigamus de re alioqui tam co- » gnita, & probata, consului varias editiones tam Græcas, quam » latinas in illis si inscriberetur hic Canon ad hunc modum: & in » editione quadam antiquissima latina, quam exhibuit mihi Reve- » rendus Marcell. Cardin. S. Crucis amplissimus & unus ex tribus » Vicariis Apostolicis in Synodo Trid. inventus dignissimus, sic » habet sextus hic Canon: *Mos Antiquus perduret in Aegypto vel » Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium » habeat potestatem: quoniam quidem Metropolitanis Episcopo hoc » idem moris est &c.* Hunc scrupulum lectori eximere libuit, ne » in eum impingat. Ita Caranza. Qui an per hoc intentum as- » secutus fuerit, dubitare licet, præsertim cum in exemplaribus » vetustissimis, quorum unum in monasterio S. Vedasti, Atrebatii » custoditur, à Dionysio latinè redditus, legatur constanter: *Quo- » niam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Quomodo etiam » in Decreto Gratiani correcto *Dist. 65.* habetur. De sensu genui- » no & germano disceptant polemici, quorum aliqui volunt hoc » canone non impugnari sed astrui authoritatem & Principatum » Romani Pontificis.

§. XXI. Constat quidem Symbolum fidei, epistolam & Ca- » nones scriptis mandatos: an etiam acta, immensæ quæstionis est. » Accuratissimè scripta vult Baronius & citat Athanasium de *Syno- » dis tom. 1.* id clarissimè asserentem in versione latina: in Græca » enim

enim aliter haberi observant quidam moderni. Favet Hieronymus *adv. Luciferum*, & *præfat. in Judith*. Ubi tamen meminit tractatum à Concilio additorum. Gelasius quoque acta commemorat: videturque rationi consonum, PP. singula tam sacri coetūs gesta consignasse. Interim Eusebius scribit ea sola consignata, quæ in communi placuerunt. Vide illum *Lib. 3. cap. 14.* ergo non disputationes, contentiones &c. Idem censet Valesius, nulla scilicet alia fuisse scripta, nisi ea quæ etiamnum supersunt. Athanasius quidem in epistola quam insuper nomine Episcoporum Aegyptiorum ad Marcum P. R. scripsit (si tamen genuina) conqueritur quod Ariani præter omnes Libros Nicænam Synodum, qua clerus & populus imbuebatur, in contumeliam Orthodoxorum incenderint: sed id de Canonibus conditis intelligendum videtur. Quodsi ad abolendam tanti Concilii memoriam ab iis etiam suppressa acta, in aliqualem hujus jacturæ reparationem compilatores ea congesserunt, quorum veteres ea de re in operibus suis sparsim meminerunt. His actis à recentioribus scriptoribus congestis inferitur subscriptio Episcoporum, qui interfuerunt. Sed duplex inibi observatur error. Unus, quod confusus sit ordo, & Provinciarum Ecclesiasticarum nomenclatura pariter confundatur, plura quoque quàm centum nomina desint. Alter, quod nullum antiquitatis obtineat charactere, qui nequaquam in libris Græcorum, sed paucorum tantum Latinorum est repertus. Sagaciores arbitrantur magno posterorum bono acta illa deperdita, ne atrocia illa Episcoporum dissidia illis innotescerent.

§. XXII. Inter acta refertur, quod visum fuerit Patribus Concilii legem in Ecclesiam introducere, vigore cujus Episcopi, presbyteri & Diaconi ab uxoribus jam ante ductis abstinere deberent. Paphnutius magna pars hujus Synodi, non solum conjugæ carens: sed à congressu mulieris toto vitæ suæ tempore abstinens vehementer vociferatus est, non grave jugum cervicibus illo-

Rr

illo-

illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati: sed quod factis sit, si juxta veterem disciplinam deinceps à nuptiis abstinerent; non tamen quemquam ab illa, qui jam pridem cum Laicus erat uxorem duxisset, sejungi debere. Itaque cum totus coetus admisset, controversia sedata fuit, & cuique permissum fuit pro arbitratu ab uxore abstinere. Refert Socrates *Lib. 1. cap. 8.*, iisdem ferme verbis Sozomenus *Lib. 1. cap. 22.* Gelasius Cizic. *Lib. 2.*; Cassiodorus *L. 2. hist. trip. cap. 14.*, Niceph. *Lib. 8. cap. 19.* Historiam hanc adulterinam vocat Baronius, incertam Bellarminus & Epiphanius verbis manifestè contrariam. Valesius cum quibusdam recentioribus illam refutat, Socratem & Sozomenum mendacii arguit, dicitque esse figmentum à græcis adoptatum. Socratem dicunt Novatia num fuisse, & docuisse, nil laicis permissum, quod Clericis prohibitum, & S. Epiphanius *hæres. 59.* contra Novatianos disputans ait, esse contra Canones Ecclesiasticos, quod Sacerdos vel Diaconus liberos gignat. Illius historiam putridis passim mendaciis scaterere, v. g. Ecclesiam de celebrando Pascha observari jejuniis septimanarum, Avibus tunc licere visci &c. Sozomenum dicunt Socratem exscripsisse, & S. Gregorium Magnum *Lib. 6. epist. Indict. 5. epist. 198.* ejusdem historiam nigro theta notare, dum scribit: Ipsam Sedes Apostolica recipere recusat. Quod aliqui prætendant Suidam hujus rei meminisse in vita Paphnutii, qui paulò post tempora Constantini Magni scripserit, falsum esse constat, quandoquidem Sæculo VIII. vixisse manifestum sit. Deinde ex silentio Eusebii, Athanasii, Epiphanius, & maxime Ruffini, qui multa de Concilio & Paphnutio scripsit &c. historiam falsam prætendunt, cujus nullus ante Socratem meminerit. Demum observant Paphnutii nomen in subscriptione Episcoporum non extare.

Hæc argumenta illustrissimorum & doctissimorum virorum nullius esse ponderis scribunt Christianus Lupus & Natalis Alexander

xander & reponunt. „Socrates, licet Novatianis fauerit, non
 »tamen illi versantur in errore, quem ipsis S. Epiphanius affin-
 »git, ut Laicos & Clericos in iis, quæ matrimonium spectant,
 »æquales faciant. Nec coelibatus sacerdotum evertitur in illa
 »historia Paphnutii: cum perpetuæ continentiæ lege Clericos ad-
 »strictos asserat, qui coelibes aut vidui ad sacros Ordines promo-
 »ti fuerint. Licet etiam in quibusdam mentiatur Socrates, non
 »sequitur tamen quod pariter in hac historia, qui illo tempore
 »vixit, quo gestorum recens memoria erat, ususque colloquio
 »& viri senioris, qui Concilio interfuerat: Neque ullam causam
 »cur falsum perhibere vellet, habuit. De Sozomeno Gregorius
 »intelligendus in iis tantum, quæ Eudoxii Constantinopolitanæ
 »Ecclesiæ inuasoris & Theodori Mopsuesteni res gestas spectant,
 »ut legenti Gregorii epistolam constabit. Quod Epiphanius scri-
 »bit de sacerdotibus qui ab uxoribus suis abstinebant: alicubi,
 »non in omnibus locis Ecclesiæ Orientalis observatum fuit. Pa-
 »phnutii nomen in subscriptione non extat: inde tamen, non in-
 »terfuisse, inferri nequit: siquidem vix ducentorum leguntur
 »nomina subscripta; cum tamen ultra trecentos Episcopos Con-
 »cilio interfuisse, in apriço sit.“

Bellarminus quidem *Lib. I. de Concil. cap. 18.* historiæ cer-
 titudinem exinde vacillare putat, quod Concilium planè con-
 trarium ejus statuerit, quod ex Paphnutio refertur, dum *Canone*
3. decrevit, ne in domibus sacerdotum sint ullæ sceminae præ-
 ter matrem, sororem, vel amitam. Sed vir eruditissimus hal-
 lucinatur in eo quod hoc Canone etiam uxores legitimas excludi
 velit. Nam PP. prudenter Paphnutio auscultantes, decretum,
 quod fuerant meditati, suspenderunt, & sanctam disciplinam
 circa clericorum honestatem & convictus sanctimoniam lege lata
 stabiliverunt, qua subintroductas tantum seu extraneas mulieres,
 quales non sunt legitimæ uxores, ut ex supra dictis habetur, sed
 quæ nullo sanguinis jure vel matrimonii vinculo ipsis conjunctæ,
 iis interdixerunt.

Rr 2

Obser.

Observat autem Nat. Alexander Paphnutium, præter alia motiva huc etiam impulisse, quatenus confunderetur Eustathius Monachus hæreticus, qui tanto adversus nuptias ferebatur odio, ut in ædibus conjugatorum preces fieri prohiberet, ac sacrificium benedictionemque sacerdotum conjugatorum execraretur. Deinde Paphnutius prudenter suavit Patribus, ut à condendo de credo perpetuæ continentia, etiam Subdiaconis, si Sozomeno habenda fides, observandæ desisterent, quod Ecclesiæ noxium magis, quàm utile futurum esset iis temporibus, quibus conjugati ob sacrorum paucitatem ministrorum ordinabantur, obedientiam potius adacti quam sponte ad sacra ministeria convolantes. Porro quia Paphnutius solum prætendebat, ne usus uxorum interdiceretur iis qui eas habebant: nihilominus fortiter admonuit Patres, ut severe interdicerent sacerdotibus, ne post sacram ordinationem uxores ducerent, ut Socrates & Sozomenus testantur; perperam ex historia illa moderni sectarii quidam jus sibi vindicare moliuntur, qui contra Paphnutii sententiam uxores ducunt etiam si sacerdotes in vera Ecclesia, aut Ministri sacrorum in sua fuerint. Insultum verò est quod Lutherus *Lib. de Concil. part. 1.* scribit. Concilium Nicænum prohibuisse sacerdotibus usum uxorum, ac se non intelligere Spiritum Sanctum in eo Concilio, cum & castrationem prohibeat & contubernium sceminarum. Verum est quod prohibuerit contubernium sceminarum extranearum, falsum, quod interdixerit usum uxorum legitimarum, qui usque modo Græcis permissus est sacerdotibus. Cæterum non placuit omnibus illa Nat. Alexandri propositio: Tempora Concilii Nicæni Episcopi, presbyteri & Diaconi perpetuam continentiam servabant, & Ecclesiæ disciplina diuturno usu, atque ab Apostolicis temporibus derivato firmitas sua atque Canonibus roborârunt.

Hæc sufficiant de Historia illa celebri, posterioribus hæc sæculis in controversiam adducta, quam tamen ex recentioribus veram

veram agnovere Spenseus, Medina, Mendoza in *Comment. ad Synodum Eliberitanam*, Petrus de Marca de *Conciliis Lib. 1. cap. 8.* Du Pin. in *Nova Biblioth.* & alii plures.

§. XXIII. Concilium Nicænum annos 6. durasse Gelafius Cizic. tradit: Photius tamen ex ejus *Lib. 2. cap. 25.* quadriennium deducit. Bellarminus triennium constituit. Scaliger anno 3tio corrente dimissum autumat. Sesequi mensis spatio celebratum & absolutum plurimorum est sententia, potuitquè satis esse, ut negotia, quorum causâ convocatum fuit, expedirentur.

§. XXIV. Nicænam Synodum aëtorum suorum confirmationem à Sylvestro petiisse huncque Pontificem eam dedisse, persuasum habent illi, quorum animus non est omnino à præjudiciis liber; legiturque in Breviario Romano festo S. Sylvestri in 2. Nocturno. Verum Narratio in Gerusiam adducta non omnium obtinet placitum. Negant enim in antiquitatibus Ecclesiasticis versatissimi Critici, quod hæc petita & data confirmatio, ulla coævorum aut supparium scriptorum testificatione probari possit. Eusebius *Lib. 3. de vit. Const.*, Julius I. in *epist. ad orientales*, Liberius in *epist. ad Constantium* & in *Dialogo cum eodem Imperatore* apud Theodoretum, S. Hilarius *Lib. cont. Constantium*, S. Athanasius *orat. 1. & 2., contra Arianos, epist. de Nicæna Synodo, epist. ad Solit.*, *Libro de Syn. Armin. & Seleuc.*, *epist. ad Episc. Africæ*, Ruffin. *Lib. 1. hist. Eccles.*, S. Leo passim in *epistolis*, Socrates & Theodoretus *Lib. 1. hist. Eccles.* atque alii scriptores Ecclesiastici veteres Nicænae Synodi meminerunt, ejus autoritatem commendarunt: postulatam à Sylvestro aut ab eodem datam confirmationem aëtorum in hac Synodo, non referunt. Epistolam hujus Concilii ad Alexandrinam Ecclesiam & ad Aepypti, Lybiæ & Pentapolis Episcopos, Socrates & Theodoretus referunt: epistolam Concilii ad Sylvestrum, aut hujus ad illud nullam referunt. Quæ autem *tom. 1. Conciliorum* editæ sunt, à plerisque

eruditus tanquam supposititiæ habentur. Fœneratus est eas Laurentius Surius ex antiquo, ut perhibet, Codice Colonienfi. Pseudepigraphas esse probant Styli barbaries putidæque pharases. In epistola ad Sylvestrum anachronismus evidens, quo Synodus hæc à Sylvestro confirmationem petiit 5to scilicet vel 6to die, quo inchoata fuit. Legitur inibi: *Vestri oris consortio confirmetur.* Item: *Summis Consulibus:* Quasi essent alii subalterni. Victorini cujusdam ignoti fit mentio, qui Cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces scribente Sylvestro, cujus epistola est similis priori, ut similes habent labra lactucas. Supponitur in ea, quod Sylvester quædam Concilio addiderit. *In Gremio vestre synodi parva allegabo præcepta.* Adscriptus consulatus Constantini & Constantii alterum exhibeat anachronismum. Primus litterarum ingressus sensu destituitur: *Gloriam corroborata de divinis mysteriis Ecclesiasticæ utilitatis, quæ ad robur pertinent Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ ad Sedem tuam Romanam explanatæ & de Græco reducta scribere confitemur.* Et postea: *Nunc itaque roborati.* Neque ullam fidem meretur Concilium, quod prætenditur Romæ celebratum per Sylvestrum ad confirmationem decretorum Concilii Nicæni. Canones ficti absona continent & falsa. Nimirum quod Constantinus Magnus interfuerit, Episcopi 275. convenerint: & tamen hæc Synodus omnium subterfugit notitiam. 1. & 2. Canon nullum sensum continent: In 2do habetur. *Ut unusquisque Episcopus rediens ad parochiam suam compagine salutationis plebi tue innotescat.* 3. Can. prohibet Laicis comparere in judicio sæculari quamcunque ob causam; quod illius temporis disciplinæ planè contrariatur. 4. Can. decernit, ut qui Clericatum statum ambit, per omnes gradus ascendat. 1mo Anno Subdiaconi. 5to Diaconi tandem presbyteri 6to anno. Itaque ante annum sexagesimum non poterat Episcopatum suscipere.

Atque hæc & alia, qui Criticâ pollent, observant obstare, quo minus fidem suam adstringere possint prætensis litteris. Non negans

negant tamen Sylvestrum consensisse Concilio per Legatos, qui nomine ipsius præfuerunt.

§. XXV. *Concilium Antiochenum.* Ut in sævissima persecutione, quam Orthodoxi in Oriente ab Arianis patiebantur Episcopi, succurreret Julius I. P. M., Romæ tria convocavit Concilia. Ultimum celebratum Anno aræ vulgaris 342. Eo tempore Antiochiæ convenerunt Episcopi 90., aut 95. juxta S. Hilarium, ex diversis Provinciis Orientalibus. Præcipui erant Eusebius Nicomediensis, Sedis Constantinopolitanæ usurpator, Diænæus Cæsariensis, Placillus Antiochenus, Theodorus Heracleensis aliisque Ariani, Eusebii asseclæ. Occidentalium Episcoporum ne unus quidem adfuit. Plurimi Catholicorum dedignati fuerunt accedere: & Maximus Hierosolymitanus hæreticorum iniqua contra Ecclesiam advertens molimina comparere apertè recusavit. Fuit proinde ad nostra usque tempora creditum memoratos Episcopos Antiochiæ convenisse, ut judicium Julii Papæ evitarent & Concilii Romani pro Anastasii innocentia decretum eliderent. Paucis autem ab hinc annis Emanuel Schlesterte S. T. D., Ecclesiæ Antwerpiensis Canonicus deinde Bibliothecæ Vaticanæ præfectus hanc opinionem conatus fuit destruere, & consequenter illi Concilio attribuere auctoritatem competentem, quam venerati sint summi Pontifices plures, 1400. Episcopi in diversis Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ & Italiæ Conciliis, nec non in ipsa Generali Synodo Chalcedonensi. Hoc ut persuadeat, præ tendit, quod non tantum Eusebiani, sed insuper præter 40. Eusebianos fuerint pariter 50. Orthodoxi Episcopi; inter quos Jacobus de Nizibe & Paulus Episcopus Neocæsariensis, vita & miraculorum gratiâ illustres. Quod nequaquam hujus Concilii scopus fuerit evitare judicium Papæ aut Concilii Romæ per eum celebrati decretum elidere: eo quod Concilium Antiochenum fuerit modo celebratum, antequam Episcopi illi potuissent percipere aliud Romæ à Julio indictum: sed quod occasio-
ne de-

ne dedicationis Ecclesiæ Antiochenæ, ad quam de more omnes vicini Episcopi confluebant, cuncti Præsules tam orthodoxi quam Ariani 90. in universum illuc convenerint. Et quoniam illa aggregatio videbatur satis numerosa, petierunt ab Imperatore Constantio facultatem celebrandi Concilium.

Verum in eo fallitur scriptor antiquitatum Ecclesiasticarum probe gnarus, quod Antiochenus Conventus fuerit dissolutus, suâ opinione, antequam potuisset percipere Romæ indictum Concilium. Ut enim fortè ignorare potuisset, Julium eo tempore 50. Patres congregasse in gratiam afflicti nimium Athanasii: propter quod Pontifex in præclara epistola ad Antiochenos missa hos acriter reprehendit, certe non poterant nescire anno præcedenti in Romano Concilio quodam Athanasium fuisse innocentem declaratum; contra quem ipsi in principio conciliabuli sententiam depositionis tulerunt surrogato in Sede Alexandria Gregorio Capadoce Ariano. Mox fidei formula cusa. Atque ut inconstantia character est hæresis, cum illa minus arrideret moram trahentibus, alia confecta fuit, cui S. Hilarius sensum catholicum tribuere conatus fuit. Quorundam opinio est, eam fecisse Lucianum Martyrem qui annis 30. ante Arii hæresin vixit; ut mirum non sit, si in illa non reperitur, Filium esse Patri consubstantialem. Baronius dicit authorem Gregorium de Alexandria: sed quia liquet ex relatione S. Hilarii Pictaviensis, hunc Gregorium non fuisse tunc Episcopum illius civitatis, quando formula composita: utique alius fuit. Schelstrate in mentem venit fuisse Marcellum Episcopum Ancyrensem, qui accusatus de hæresi Sabelliana in Concilio Constantinopolitano damnatus fuit: eò quod quæstionem renovare voluerit, quare is ad Sedem Romanam appellaverit. Post haud longum intervallum Theophronus Episcopus Tyanæus tertiam adjunxit formulam, quæ ab ipsis Eusebianis Antiochiæ subsignata fuit. Sunt, qui quartæ meminerunt. Cassiodorus refert Symbolum Antioche-
num

num Orthodoxum, in quo Filius dicitur Consubstantialis. Sed quo tempore illud compositum, conjectura assequi nemo poterit.

Præter dictas formulas in eodem Concilio quædam decreta, quæ disciplinam Ecclesiasticam concernunt, & 25. Canonibus comprehenduntur, de quibus non eadem est modernorum scriptorum epicrisis. Aliqui enim censent, quod 40. Episcopi Arianæ decretis Concilii fraudulenter immiscuerint decretum condemnationis Athanasii, sic, ut justissimè Julius, Joan. Chrysostomus & Innocentius I. illa decreta impudaverint, & ipsum Concilium, in quo Arianæ cum Catholicis convenientes condiderunt ea decreta, quæ asseverant & confirmant antiquum usum & Valorem Sacramentorum Eucharistiæ & penitentia.

Antiochenos Canones non esse hujus concilii fetus, verisimile esse asserit N. Alexander *Dissert.* 26. sed fortè alterius, quod subsecutum fuit: dum alii autumant desumpta ex illa synodo, quam Eustathius Patriarcha Antiochenus Ao. 329. celebrasset, interpolata fuisse. Præferendum videri posset eorum arbitrium, quod commixtio decretorum facta fuerit ex diversis Conciliis Antiochenis, quemadmodum Carthaginensium Conciliorum decreta varia confuse sub unionis nomine exhibentur. Sunt nihilominus illius Antiocheni Concilii Canones ab Ecclesia recepti, quia in codice S. Eustathii reperiuntur, & à PP. Concilii Chalcedonensis laudati.

Atque ut ii, qui quietis expertes sunt, in continuo motu agitantur, & pacis oses concordiam turbare nituntur: ita Eusebiani, quoadusque vires suppetebant, contra Catholicos insurgere non desistebant & Anno 344. ut est apud Baronium, vel sequenti, quod alii malunt, aliud conciliabulum Antiochiæ instituerunt symbolumquè fabricarunt, quod ad Occidentales mis-

sum, illi acceptare remuerunt, quibus Nicænum sufficere visum fuit. Illius symboli synopsis legitur apud S. Athanasium & So-
cratem, quæ perperam putatur esse formulæ primæ in priori
concilio compositæ.

§. XXVI. *Concilium Coloniense.* Dicitur celebratum circa
Annum 346., in quo Euphrates Episcopus loci Christi divinita-
tem negans fuisset depositus. Acta in tom. 2. *Conciliorum* ex-
tant. Licet autem quidam viri docti, inter quos Petrus de Mar-
ca & Antonius Pagiushoc Concilium celebratum admittant: alio-
rum tamen eò inclinât animus, ut velint esse figmentum, quale
illud habent Baronius, scribens Concilium Agrippinense nullius
fidei, Hermantius, Du Pinus, quibus videntur acta suppositicia
& historia falsa. Quia hic depositus Euphrates Amantio & Al-
bino Coss. anno sequenti interfuit Concilio Sardicensi ut Episco-
pus Catholicus, fuitque unus ex deputatis quos Concilium mi-
sit in Orientem, ut perhibent Athanasius & Theodoretus. Nul-
lam autem veri speciem obtinere poterit, quod exauthoratus
qui Concilium celebratum propugnant, dicendo, Concilium Co-
loniense prius inceptum post Sardicense: sed frustra id asserunt.
In illo enim consignatur Consulatus Amantii & Albinii, qui in-
cidit in Annum 346. Sardicense ex omnium sententia refertur
ad Annum 347. Certe Maximinus Trevirensis Archi-Episcopus
qui in actis dicitur præses Concilii Coloniensis, mortuus est sta-
tim post Concilium Sardicense, ut colligitur ex *epist. S. Athanasii*
ad Solit., quod Paulinus sit Maximini successor, quod Valens &
Ursacius retractaverint errores id est Anno 349. Fuit autem ab
Anno 347. ad Annum 349. extra Galliam, scilicet in Oriente,
proinde à Maximino Colonia deponi nequaquam potuit. In
actis habetur, quod Servatius reprehenderit Euphraten in præ-
sentia Athanasii: non potuit autem Athanasium vidisse, nisi quan-
do is fuit Trevisis, aut quando ipse fuit missus in Orientem per
Magen-

Magentium: sed non potuit Trevisis reprehendere Euphrates, quandoquidem ante Synodum Sandicensem non fuit accusatus; & quando fuit in Oriente, Maximinus jam mortuus fuit.

Pagius ut casses rodas, fingit duos Euphrates Episcopos Colonienſes, sibi ſuccedentes; unum hæreticum, loco ſuo amotum, alterum Catholicum. Sed refellitur ex actis Severini, qui deſcripto ſuſceſſiſſe legitur.

Ut Sorex ſuo ſe indice prodit, ſic acta falſitatem. Subſcripti leguntur Didacus Langienſis & Simplicius Auguſtodunenſis, qui Sæculo V. vixerunt. Diſcolus Rhemenſis, qui in Catalogo non reperitur. Sardicenſi ſubſcripſere Simplicius, Diſcolus, Deſiderius: ſed quam Eccleſiam adminiſtrarint, non eſt in medio. Veriſimile eſt, quod, qui ſuppoſuit acta, inde deſumpſerit, ut Episcopalem dignitatem appropriaret. Severinus qui in locum deſcripti Euphratis fuit ordinatus: vixit adhuc anno 402. ut Sulpicus teſtatur. Stylus barbarus eſt & à Sæculo IV. Latinitate longè remotus. Maximinus Episcopus Trevirenſis dixit: *Quia voluntas Dei patris & Domini noſtri Jeſu Chriſti voluit, nos juxta poſtulatam fratrum ad hoc oppidum venire &c.* Acta fuere incognita antiquis, qui de his, aut Colonienſi Concilio non meminerunt. Author actorum cenſetur Servatius Tongrenſis; poſtea Lupus Servatus Sæculo IX. Concilii meminit in vita S. Maximini, retulit deinde Hogerus Abbas Lobienſis. In Conciliorum collectoribus nihil de hoc Concilio reperitur.

Quæret fortè aliquis, cui bono ſynodus ficta? cui reſpondendo, quæritur. Cui bono tot veteribus ſubdita monumenta. Fingendi cauſa hæc eſſe potuit, quod Gallia fidem orthodoxam de Chriſto illibatam conſervaverit.

§. XXVII. *Concilium Sardicenſe.* Sardica olim Thraciæ & Illyricæ, nunc Bulgariæ Urbs Episcopalis, quam Turcæ Sophia, ter-

territoriales Triadizza appellant. Fuit ibidem Concilium coactum Anno 347. Coss. Ruffino & Eusebio annis ferè 11. post mortem Constantini Magni. Cum enim Constans Arianæ hæresis scabie esset infectus, & tutaretur blasphemus atque implacabiles Athanasii hostes, Pontifex Romanus aliique Orthodoxi Episcopi ad Constantium recurrerunt, eique necessitatem celebrandi Concilii pluribus exposuerunt: quorum molimina Imperator approbans, scripsit fratri Constanti, cui talis congregatio non displicuit, atque amborum beneplacito Sardicæ, quæ urbs inter Orientem & Occidentem media quasi, designata fuit. Convenerunt itaque supra 300. ut Athanasius refert, qui ut Episcopus Alexandrinus interfuit. Theodoretus 250. tantum numerat: imo ipse Athanasius alibi 170. solum recenset: sed tunc computandi etiam alii, qui postea supervenerunt & Concilii decreta approbarunt. Et Baronius probat ab Athanasio & qui illum descripserunt, multos PP. fuisse præteritos, sicque veriorum esse eorum sententiam, qui ex Sabini Episcopi Heracleensis & hæretici Macedoniani, qui tum extabat, de Synodis commentario, atque ex sinceris Athanasii scriptis prope 400. fuisse tradunt. Rideliculus verò Gratianus *Dist. 16. c. 11.* Sexaginta tantum fuisse autumans, quod eorum tantum nomina legerit, qui hodie post hujus Concilii Canones descripti reperiuntur. Episcopi Orientis omnes Philippolis manserunt sub frivolo prætextu. Ast vera causa erat, quia Athanasius tunc Sardicæ erat. Et quamvis hi litteris peramanter invitati essent ab Occidentalibus, attamen una cum quibusdam Sardicâ profugis in suo conventiculo, Julium, Osium & Maximinum Episcopum Trevirensensem deposuere. Deinde novam fidei formulam, aliaque multa ab orthodoxia aliena statuerunt, quæ ipsius Sardicensis Concilii nomine evulgarunt. Atque hinc multi decepti; præsertim cum Cresconius Episcopus in Africa in fine Sæculi VII. in Concordia Canonum seu collectione Cresconiana Epistolam eorum citans probare voluerit, illam esse scriptam ab Episcopis habentibus communionem cum
Eccle-

Ecclesia Catholica. Verùm S. Augustinus *lib. 3. cont. Crescon. Cap. 34.* respondit, quod confecta sit ab Arianis Sardicæ congregatis in concilio. Ubi tamen mirari subit, quod non distinguat Concilium verum à falso, & Sardicensis nullam habuerit notitiam.

In Concilio Sardicensi fuerunt 300. Patres orthodoxi, ut supra notatum, qui nullam fidei formulam ediderunt, nefas putantes aliquid ad Nicænum addere: ut ex Athanasio probat Baronius: quidquid Sozomenus *Lib. 3. hist. Eccles. cap. 11.* scribat, quod aliam fidei formulam ediderint, pluribus quidem verbis compositam, quam in Concilio Nicæno: sed tamen eandem sententiam complectentem, & verbis non multum ab illo discrepantem; quod idem Theodoretus *Lib. 2. cap. 9.* tradit. Sed uterque eadem aberravit chordâ. Variis causis particularibus absolutis Canones 20. dicuntur conditi (Græci 21. numerant) inter quos tertius famosus ille de appellatione transmarinorum ad Sedem Romanam, quæ etiam *Can. 5. & 6.* Episcopo Romano conceditur. Interim non vana omnino videtur quorundam conjectura, Canones omnes esse supposititios, aut saltem maxima ex parte adulteratos. Ante annum Christi 419. eorum nullus meminit, Africae pœnitus ignoti, & tamen Anastasius prodit *apol. 2.* multos Africanorum concilio interfuisse. Codex Conciliorum à Chalcedonensi Synodo comprobatus, à Justiniano Imperatore confirmatus & editus nequaquam hujus Concilii meminit. Ad dictum fuisse à Dyonisio Exiguo suæ collectioni censent moderni critici. Præterea Gelasius Papa Anno 494. describens quatuor Concilia non meminit hujus, nec Canones refert. Stylus est obscurus & ineptus, ut non videatur latinitas illius temporis.

§. XXVIII. Servus Sulpitius *Lib. 2. hist. Sacr.* magnum prodit errorem hujus Concilii, quod Marcellinum in Gallia Episcopum Ancyranum Magistrum Photini & Sabellianum hæreticum, qui diu, ut Baronius ait, sub pallio Catholico latuerat,

absolverit. Neque id diffitetur Cardinalis, dum scribit: Marcellus tum innocens habitus, postea depravatus, & ab ipso Athanasio uti Sabellianus damnatus est: quo factum est, ut Ariani in Sardicenses Patres invehi viderentur. Neque Ariani tantum: sed ex Catholicis etiam nonnulli, quos idem recenset. Nihiloscilicet Nat. Alexander inficiatur Concilium errasse in absoluteione Marcelli, quem vocat integerrimæ fidei Episcopum & minime Sabellianæ hæresi addictum. Quidquid sit: Fidei naufragium passum & tempore S. Basilii condemnatum non infimæ notæ Authores perhibent.

A Julio Papa missi ad hoc Concilium fuerunt Archidamus ac Philoxenus Romani presbyteri; ut perhibet Athanasius, cui potius habenda fides quam Gratiano, qui Vincentium Capuanum, Januarium Beneventanum & Calepodium Neapolitanum comminiscitur. Quodsi alius præter duos presbyteros loco Julii federit, is, ut quidem Baronius autumat, Osius fuit, qui primas partes ibidem egit. Hic tamen subscripsit Osius ab Hispania. Deinde legitur Julius Romæ Episcopus per Archidamum & Philoxenum presbyteros. Si Osius nomine Julii subscripsisset, utique apposuisset: Julius Romæ Episcopus per Osium, Episcopum &c. Archidamum, Philoxenum presb.

S. Athanasius vocat Synodum Magnam, Socrates *Lib. 2. cap. 20.*, item Justinianus appellant Oecumenicum Concilium ex Convocatione scilicet. Unde Generale Concilium vult cit. Alexander ex intentione Imp. Constantii & Constantis: imò, & exitu fuisse, idem historicus præterdit. Bellarminus *Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 25.* scribit: Non minor est Sardicensis quam Nicæni Concilii autoritas: quin etiam præstare Nicæno vult Baronius, si numero res agenda: quod tamen ex superioribus patet in computu difficere.

Illud esse Universale Concilium cum plerisque negat Petrus de Marca, eo quod Occidentalibus sese conjungere recusaverint orientales. Sed neque Gratianus in censum Oecumenicorum refert *Dist. 16. cap. Sexta* Mirum proinde videri posset, quod Caranza in *Sum. Concil.* de eo scribat: Est Generale Concilium ex universi orbis Provinciis receptum ab universali Ecclesia ut patet *Dist. 16. can. Quod dicitis*. Hoc ultimum quidem Stephanus Papa Clero Constantinopolitano scribit. At cum in Concilio Carthaginensi vulgò VI. inter Legatos Pontificios acriter disceptaretur cum Patribus de Appellatione Transmarinorum, illique Canones tanquam Nicæni hac de re allegassent, contrarium à Patribus Africanis demonstratum fuit, non Nicæni, sed Sardicensis Concilii esse: quo indicare voluerunt, hoc cum illo non esse paræ authoritatis: alias enim Legati, qui illud demum agnoverunt quod per errorem allegarunt, Africanorum comprimere potuissent audaciam. Bellarmino videtur admodum probabile, quod Nicænum Concilium & Sardicense Romæ pro uno eodemque habitum fuerit. Quia alioquin, inquit, non potest reddi ratio, cur Sardicense Concilium, quod constat universale & probatum fuisse, non numeretur inter generalia. Sed imprimis hypothefin certam negant viri emunctæ naris, alias deinde rationes, cur inter Generalia Concilia non numeretur, in medium proferunt. Profertò Innocentius I. in causa S. Chryfostomi contra Theophilaetum non citavit Canones, ratus utique quod Generalis Concilii non essent. Patribus, qui non multò post floruerunt, *Synodus Occidentalium* audit.

§. XXIX. *Concilium Sirmienfe*. Celebratum fuisse Concilium Sirmii, quæ est urbs in Pannonia ad Savum, ubi is se in Danubium exonerat, conveniunt quidem Scriptores: Attamen magna apud eosdem reperitur discrepantia, quæ rerum confusionem parit, easque reddit valde obscuras. Quidam siquidem nonnisi unicum ibidem volunt celebratum Concilium: dum alii duo,

duo, alii tria statuunt. Primum à Catholicis contra Photinum in SSmam Trinitatem, blasphemum ejus Loci Episcopum Ao. 349. inchoatum, in quo Valens & Ursacius recepti. Ita *Dionys. Petavius in Dissert.* Multis persuasum, quod in hoc Concilio Marcus Arethulius, postea sub Juliano Martyr, Græcè composuerit fidei formulam, quæ ea esse videtur, quam S. Hilarius in *Lib. de Synod.* prope finem ut Catholicam explanavit. Huic subscripsisse Liberium nonnulli opinantur. Anno 357. juxta eundem Petavium rursus à Catholicis ibidem concilium celebratum, quod à plerisque cum priori confunditur, & ab Arianis convocatum creditur. Anno 357. Ariani Sirmii conglomerati, ut exosam hæresis notam, qua afficiebantur, obliterarent, fidei formulam composuerunt. In ea nihil reprehensibile visum, nisi quod *omouision* esset omissum. Interim orthodoxi sine scrupulo admitterunt. Non multo post vertigine blasphemi Spiritûs agitati, ut hæreticorum mos est, mentem mutaverunt, atque è diametro contrariam formulam evulgarunt. Verùm Semi-Ariani abhorrentes à manifestissimis blasphemis inibi contentis mixtam quandam formulam consârunt. Hac aliqui prætendunt deceptum Liberium, dum subscripsit: de quo prolixius *in controversiis Ecclesiastico historicis.*

§. XXX. *Concilium Mediolanense.* Quod dicitur II. fuit celebratum in Italiae urbe Amplissima Anno 354. aut sequente. A Liberio P. M. expetitum, ut tandem Ecclesiæ pax redderetur, & S. Athanasius à calumniis Arianorum vindicaretur. Convennerunt 300. Patres. Tantùm autem Arianorum invaluit violenta machinatio contra Athanasium, ut à congregatione, quæ in Ecclesia erat, sese separantes conventicula in Palatio instituerent, quibus terminatis plures Orthodoxos Præfules exulare fecerunt. Inter eos fuit Dionysius Loci Episcopus, cui Auxentium suæ sectæ choragum substituerunt. Reliquos Imperator Constantius præfens, cum condemnationi Athanasii subscribere renuerent, variis
modis

modis afflixit. Hoc Concilium, in quo etiam obliquè fides Catholica damnata fuit, secundum Generale reprobatur recenset Bellarminus *l. c. Lib. 1. c. 6.*

§. XXXI. *Concilium Ariminense.* Ariminum Urbs est in Italia ad Mare Adriaticum, quo Anno 359. seu, ut notat S. Hieronymus in *Chronico* 363. iussit Constans Imperator celebrari Concilium. Interfuerunt Episcopi ex Occidente 400. è quibus 80. erant Ariani, reliqui orthodoxi ex Italia, Anglia, Gallia, Hispania, ut legere est apud Athanasium & Sulpitium. Emicuit in eo constantia in propugnanda fide Phebatii Agennensis, Servatii Tongrensis. Ariani siquidem ad fraudes & callida studia converfi Catholicos Episcopos circumvenerunt, & damnatis Arii & aliorum hæreticorum de Christo abjecte nimis sententiarum dogmatibus, formulam fidei ediderunt, in quâ *Filius ante omnia secula ex Deo Patre genitus eique per omnia similis* asserbatur. Huic formulæ subscribere omnes pacis studio, vel incantè, latentem fraudem non animadvertentes, vel coacte metu sibi intentati exilii, exceptis duobus nominatis Episcopis. Et tunc Catholica veritas penè naufragium passa est. Tunc, ut ait S. Hieronymus in *Dial. contra Luciferianos*, Nicænæ fidei damnatio conclamata, & ingemiscens orbis, Arianum se esse, miratus est: non quod invitum se Arianam hæresin amplexum crederet: sed quod in nova fidei regula *Omniusii* seu *Consubstantialis* termino demisso, visus fuisset Arianis quodammodo favere. Viginti demum restabant, qui Symbolum Nicænum ratum habebant: dum inter hos videbantur columnæ Ecclesiæ Phebatius & Servatius, hos suâ panurgiâ Valens ad subscribendum induxit, permittendo ut apponerent, *Filium Dei nequaquam esse creaturam, sicut cætera*, dummodo abstinere ab illis terminis. *Essentialis & Consubstantialis*. Verum enimverò toxicum latebat in tò *Sicut*. Hoc etenim termino comparationis intendebant significare, quod Verbum duntaxat esset Excellentior præ cæteris creatura. Mirum quàm

quàm insolenter Ariani de hujus formulæ subscriptione exultaverint, quam tamen totus deinceps Orbis Christianus, etiam illi, qui subsignaverant, merito execrati sunt. Putat Bellarminus, qui hoc Concilium Generale tertium reprobatum dicit, quod quasi pars quædam fuerit Synodi Seleuciensis. Hæc initium sumpserat Ao. 359. 27. Septembris. Sed excepto S. Hilario Pictaviensi, qui antea in Phrygia exul fuerat, paucisque Episcopis Aegyptiis cæteri omnes numero 60. blasphemi in Filium Dei reperti sunt; quorum agmen duxit Acacius Cæsariensis, à Semiarianis tamen exauthoratus.



CONCILIIUM GENERALE.

II.

CONSTANTINOPOLITANUM PRIMUM.

§. XXXII. Constantinopolis urbs nobilissima à Constantino Magno fundatore suo nomen sortitur, quæ olim Bizantium dicta, Thraciæ, quæ tunc Romania dici cæpit, metropolis, Imperatorum Orientalium Sedes, quam, si Verronio *Lib. 7.* credendum, illuc memoratus Constantinus transtulit, ut Persarum potentia nimium excrefcenti commodius obviam iret. Potius, quia Sacra Gentilium avitamque superstitionem averfatus odium S. P. Q. R. incurrerat: quorum obtreftationes non ferens, novam urbem condidit, Romæ æmulam, quæ proinde *nova Roma* nuncupata fuit, quemadmodum Zofimus perhibet *Lib. 2.* Eandem civitatem Turcæ Anno 1453. magno Christianorum damno occuparunt & ab ipsis vocatur *Stamboul*. In hac urbe celebratum fuit Concilium Generale II., Anno æræ Christianæ

stiana 381. Mense Majo inchoatum. Scopus fuit, ut Ariano-
rum conventiculorum coërceretur petulantia, atque ut Episco-
pi Constantinopolitani Macedonii Pneumatomachi, qui scilicet
Spiritus Sancti divinitatem impugnaret, damnaretur blasphe-
mia.

§. XXXIII. A Theodosio Imperatore, Damafo Pontifice
inconsulto, fuisse convocatum multi inferre volunt ex silentio
Socratis *H. E. Lib. 5. cap. 8.* Sozomeni *Lib. 7. cap. 7.* Theodoretii
Lib. 5. cap. 7. ex epistola Synodica illius Concilii ad Theodosium,
qua Patres se ipsius mandato ad Concilium convocatos testantur,
& gestorum confirmationem ab eodem petunt. Hinc Nat. Ale-
xander observat, vi convocationis suæ Nationale duntaxat fuisse
Concilium, post factum Oecumenicum; cum Damasus totaque
occidentalium Ecclesia hanc illi suo consensu auctoritatem & di-
gnitatem tribuisset, & antea solum generalis synodus orientalis
dici poterat.

§. XXXIV. Interfuerunt Patres 150. De Præsede vix ali-
quid certi ex antiquorum monumentis habetur. Constat tamen
Damasum nec per se nec per alium præsedisse. Permiserat qui-
dem ipse, ut Episcopi Constantinopolim convenirent, ut legere
est in epistola orientalium ad ipsum Damasum aliosque Episco-
pos Romæ existentes: sed volebat etiam eos Romam venire, ubi
ipse congregaverat Episcopos Occidentales, ut Romæ fieret ple-
nissimum Concilium. At orientales excusarunt se justis de cau-
sis, atque conjunxerant se animis & sententiis cum Occidentali-
bus, non autem corporali præsentia. *Quis enim nobis det alas,*
scribunt, velut columbæ, ut ad vos devoleamus, & vobiscum acquies-
camus? Et post pauca: Cumquæ etiam præstituti temporis angu-
stia non modo ad Longius iter opportunam instructionem excludat:
sed nec facere quidem certiores omnes communicantes in Provinciis
Episcopos, & eorum assensionem obtinere patiatur &c. Scribit
qui-

quidem Cardinalis Bellarminus *Lib. I. de Conc. cap. 19.* constare, huic Concilio præsedisse Nestarium Episcopum Constantinopolitanum: sed unde illud constet, non addit. Timotheum Alexandrinum præsedisse, alii augurantur ex eo, quod dum Damasus interesse noluerit, ad secundæ Sedis Patriarcham jus devolutum fuerit.

§. XXXV. Stabilium inibi fuit Nicænum Concilium velut tessera orthodoxiæ, atque expressius à Gregorio Nysseno concinnatum Symbolum, quod postea Occidentalis Ecclesia inter Missarum solemniam decantari iussit, id quod aliqui tempore S. Henrici Imperatoris primò factum autumant, alii jam antea in usu fuisse prætendunt. Addidit autem Symbolo Nicæno: *Visibilem & invisibilem* (licet id negaverit Andreas Colossensis in Synodo Florentina Sess. 6.) *Natum ante omnia sæcula; De Spiritu Sancto; Natum ex Maria Virgine; Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato; Et sepultus est; Sedet ad Dextram Patris; Et iterum venturus cum gloria; Cujus regni non erit finis; Dominum vivificantem; Qui ex Patre procedit; Qui loquutus est per Prophetas; Et unam Sanctam &c. Amen.*

Porro in versione Latina legitur: *Qui ex Patre Filioque procedit.* Ut apparet in actis Concilii Generalis Lugdunensis Anno 1274. sub Gregorio X. P. M.

§. XXXVI. Canones 7. refert Caranza, qui tamen non fuerunt recepti usque ad Innocentii III. tempora: quandoquidem Damasus, juxta Baronium, non nisi quantum ad ea, quæ fidem spectant, approbaverit Concilium. Tres duntaxat editos Canones probabilius videtur Nat. Alexandro. Canonum 3. tum, qui 5. tus est apud citatum Caranzam, de primatûs honore Constantinopolitani Episcopi post Romanum, Baronius arbitratur suppositum: sed legitimum propugnat idem Alexander *tom. 4. dissert. 28.*

28. art. 2. Ubi scribit, quod eundem Canonem omnes codices & Collectiones, antiquæ mediæque ætatis & posteriorem Sæculorum adscriptum habeant. Sustinet pariter, quod Patriarchalis dignitas & jurisdictio in Diceceses Thraciam, Ponticam & Asiaticam Sedi Constantinopolitanæ adjudicata fuerit.

CONCILIIUM GENERALE

III.

EPHESINUM.

§. XXXVII. Cum Nestorius ex monacho & Antiocheno presbytero Episcopus Constantinopolitanus, fucato quodam Zelo contra hæreticos agens, sui Antiochia adducti Anastasii presbyteri amicissimi hæresin propugnandam suscepisset, & Mariam *Dei matrem* minimè appellandam sustinisset, Cælestinus I. P. M. à Cyrillo Alexandrino admonitus, acceptis ipsiusmet Nestorii Litteris & quaternionibus hæresin continentibus, Romæ celebravit Synodum Anno 430., in qua excommunicationis & depositionis sententia Nestorio interminata fuit; nisi intra decimum à denuntiatione diem, errores suos aparta, & scripta confessione detestaretur. Eidem Cyrillo vices suas demandavit Cælestinus. Ille verò ex tota Aegypto Alexandriam Episcopos convocavit eodem adhuc anno. Missæ tunc fuerunt litteræ Pontificis ad Nestorium præter epistolam synodicam: denuntiata Patris sententia, præscripta errorum ejuratio, fidei professio: imperata denique subscriptio anathematismis editis. Non paruit Nestorius in erroribus pertinax: sed docere non destitit Mariam non debere dici *Deiparam*, aut *Christiparam*, eò quod in Christo veller duas hypostasies, seu personas, quarum una esset Deus de Deo, altera homo ex Maria. Expertus itaque Cyrillus vali-

T t 3

dissimis

diffimis rationibus, quas in epistolis & commentariis adduxerat, hominem nefarium coerceri non potuisse, nec minis intentatis flecti, operæ pretium duxit congregare Concilium Oecumenicum, id quod Cœlestino in epistola significavit, qui illius molimina approbavit suumque Vicarium in instituendo Concilio designavit. Interea Theodosius Imperator ejus nominis II., hucusque Episcopo loci satis benevolus, ratus non esse grassantem pestem deterrimam, cum Ecclesiæ detrimento & animarum pernicie diutius sufferendam; quæstionem motam in Concilio Generali voluit definiri. Fuit itaque illud indictum Ephesi, quæ est urbs in Asia minori olim celeberrima ob magnificum Dianæ templum. Et communis est opinio illam incoluisse S. Joannem Evangelistam unâ cum B. M. V.; de quo tamen nihil veteres. Equidem præter cæteras in Asia eam fundavit Ecclesiam, quæ postea facta est Metropolis.

§. XXXVIII. S. Cyrillum hujus Concilii Præsidentem fuisse nomine Cœlestini Papæ constans est traditio, quam Joannes de Launoy impugnare præsumpsit, & ante eum Calvinus prætendit Cœlestinum artificio quodam quæsisisse saltem nomen Præsidentis, cum rem habere non posset, & ideo eum mitteret illic, ut saltem per illum præfidere videretur. Sed ambo in vanum laboraverunt. Siquidem ex ipsa epistola Cœlestini apparet, multò antea, quàm Arcadius, Projectus Episcopi, & Philippus presbyter à Pontifice mitterentur, hunc partes suas illi delegasse ad extirpandam hæresin Nestorianam. Ex ipsa quoque Synodo evincitur Cœlestini præsentia: Evagrius enim *Lib. 1. Hist. Eccles. cap. 4.* postquam verbis apertissimis scripsisset, Ephesi Cyrillum locum Cœlestini Episcopatum antiquæ Romæ gerentis obtinuisse in lata sententia contra Nestorium, perhibet Patres effatos, quod fuerint epistola Sanctissimi Patris sui & Collegæ Cœlestini necessariò compulsi ad eam proferendam. Quod certe

rè argumento est, Cœlestinum re ipsa & non solo nomine Concilio præsedisse.

§. XXXIX. Inchoatum fuit Concilium illud Anno 431. ipso festo Pentecostes. Numerati fuerunt in eo 200. præfules. Dum Baronius scribit ferè 300. ex universo orbe Christiano conuenisse, fortè si adnumerandi, qui postea ex occidente aduenerant. Fuit quoque S. Augustinus huc invitatus per Theodosium sed tabularii eum mortuum repererunt. Eodem itaque anno (mendum est, quod habetur in *Summa Caranzae* Ao. 468.) postquam frustra fuisset expectatus Joannes Antiochenus, 21. Junii prima sessio habita fuit.

§. XL. Morabatur quidem Nestorius Ephesi; sed ter vocatus ad Concilium venire renuit, causatus Joannis Antiocheni absentiam. Quare sess. 2. gradu Ecclesiastico fuit depositus ejusque errores condemnati. Quindo die Joannes Ephesum ingressus cum Nestorio sedus impium contraxit, & Candidianum Comitem cum militibus præfidiariis defensorem nacti, una cum quibusdam Episcopis congregatis, qui à suis Ecclesiis ob crimina extorres erant, & circiter 30. à Synodo recesserant, Patribus Concilii anathema interminant, nisi gesta retractent, atque Cyrillum pariter ac Memnonem, in quos impii sententiam damnationis tulerant, pro damnatis haberent. Verum cum Joannes tertio vice ad Concilium accitus non comparuisset, liberantur Cyrillus & Memnon; ipse verò cum suis affectis presbyteris exathoratur & excommunicatur; ut legere est apud Evagrium *lib. cit. cap. 5.* subjungitque: Ubi Theodosius (qui primo Nestorii depositionem minimè approbaverat, post tamen ejus blasphemiam exploratè cognitâ, eidem assensus est) litteras admodum piæ ad Cyrillum & Joannem Episcopos dederat, illi inter ipsos redeunt in gratiam, abdicationemque Nestorii ratam faciunt. Postremò Apostolicæ Sedis Legati maris tempestate diutius agitanti Ephesum venientes Synodi actis calculum suum addiderunt.

§. XLI.

§. XLI. Canones recensentur 13. secundum veterem translationem. Et quidem 5to anathema infligitur, qui audeat dicere Christum *Theophoron*, id est *Deum ferentem*, quasi non esset Deus; sed cui per inculpata vitæ meritum divinitas esset collata. Fuit quoque decretum, B. M. V. *Theotocon*, id est, *Deiparæ* recte nuncupari. Alii Octo tantum Canones recognoscunt; quos Lucianus Mantuensis, monachus Cassinensis latine reddidit. Damnata quoque fuit Pelagiani doctrina sess. 6ta cum cæteris hæresibus. Nestorius Antiochiam in monasterium relegatus, cum blasphemias evomere non cessaret, Imperatoris edicto Oæsenam in exilium missus, tandem linguâ vermibus exesâ, ad graviora, Dei iudicio supplicia infligenda, eaque sempiterna migravit. Evagrius *Lib. cit. cap. 7.* Tradunt alii, Oæsena per Blemmianos destructa blasphemum profugum atque huc illucque vagandum, ex præcipitio collisum collo fracto ad barathrum descendisse. Perstitit nihilominus impia secta ad nostra usque tempora in oriente, & indias penetravit. Plus una vice se Catholica Ecclesiæ submiserunt scilicet tempore Eugenii III., item Anno 1274. Archi-Episcopus Nisibensis suam confessionem Apostolicæ Sedi submisit. Tempore etiam Concilii Florentini, quando Eugenius IV. Romæ quasdam sessiones habuit, Nestoriani Cyrenses unâ cum Timotheo suo Metropolitano eo se contulerunt, ut se se Ecclesiæ Romanæ aggregarent. Idem contigit sub Julio II. P. M. qui iis Patriarcham dedit monachum Ord. S. Pachomii, Simonem Sulacham, qui Caramita in Mesopotamia Sedem tenuit. Demum Abd Jestr in fine Concilii Tridentini præfens fuit, ut Nestorianos reconciliaret &c.

CON-

CONCILIUM GENERALE

IV.

CHALCEDONENSE.

§. XLII. Eutyches, celeberrimi intra Constantinopolim Monasterii Archimandrita, dum improvidè minusquè prudenter Nestorii errorem oppugnaret duasque naturas in Christo negaret, eò dementiae pervenit, ut assereret divinitatem esse passam & mortuam, Christum verò apparenter tantum & specie tenus hominem extirrisse, sic, ut habuerit corpus ccelestè, quod duntaxat transierit per uterum S. Mariæ, & quod per naturarum commixtionem, non nisi una in ipso remanserit. Sic verificatum illud.

Dum stulti vitant vitia, in contraria currunt.

Flavianus Constantinopolitanus Episcopus has Eutychetis blasphemias ejusque personam in Concilio suo, quod ob alias necessitates convocaverat, damnavit. Flaviani judicium S. Leo Pont. Max. ratum habuit. Econtra Dioscorus Alexandrinus Patriarcha, lupus inter oves truculentissimus Eutychis patrocinium suscepit, & Chrysofagii Eunuchii favore à Theodosio Augusto impetravit, ut secundò Synodus convocaretur, in qua lata contra Eutychem Constantinopoli Romæquè sententia ad examen revocaretur. Annuit S. Leo, misitque Legatos, quamvis rem synodali non indigere decreto censeret. Permisit tamen, ut Ephesi convenirent, ut sic pleniori judicio error aboleretur. Cum verò Chrysofagii machinatione ac Diodori tyrannide Ephesina illa synodus in apertum Latrocinium evasisset, eo quod in illo confessu 128. Episcoporum, subverso omni judiciorum ordine violata fuisset Romani Pontificis Majestas, per intortum anathema

U u

in

in Leonem, per calcibus extrusum Flavianum & post triduum mortuum: adeoque prædatorium Ephesinum fuit nuncupatum. Fuit quoque in eodem, præfide Theodosio Episcopo Cæsareæ in Cappadocia Eutyches innocens declaratus.

Dum itaque in hac rerum acerbitate Concilium œcumenicum unice videretur necessarium, S. Leo apud Theodosium urfit, ut in Italia convocaretur: sed Imperator impii Chrysfaphii persuasionibus deceptus Ephesi convocandum censuit. Eo, lapsu ex equo, mortuo Marcianus, qui in Imperio successerat, quidem primo Nicææ statuerat convocandum; mox tamen determinavit Chalcedoniam. Est ea urbs Asiæ in Bithinia annis fere 700. ante Christum structa apud Thracium Bosphorum, qui Asiam dirimit ab Europa è regione Constantinopolis.

§. XLIII. Anno itaque æræ Christianæ 451. Chalcedoniæ convenerunt Patres ferme 600., ut Leo in epistola 52. seu 630., quot Liberatus in *Breviario cap. 13.* numerat. Sex insuper superaddit Nicephorus. Habita conventio in S. Euphemie templo, quod Evagrius *Lib. 2. cap. 3.* concinnè descripsit, confundens Zachariam rhetorem mendacii, quasi Nestorius illuc quoque vocatus fuerit. Interfuerunt etiam Imperator & Augusta. Incepit Concilium 8vo idus Octobris. Absolutum Kalend. Novembris. Præfederunt Pascasianus Lilybei in Sicilia, Afcalonus & Licentius Episcopi, Bonifacius & Basilius presbyteri vicarii Leonis, antiquæ Romæ Pontificis, quibus postea adjunctus Julianus Episcopus Coënsis, quorum tamen posteriorum Evagrius non meminit. Interim Leonem per suos legatos præfedissee habetur ex actis Concilii, & epistolis Leonis ad illud, illiusque ad Pontificem. Calvinus quidem præendit, illos præfedissee ex privilegio Imperatoris, quod extorfisset Leo: sed Bellarminus sy-cophantam impudentissimorum mendaciorum convincit, quæ is ex hæretica pravitate confinxit.

§. XLIV.

§. XLIV. Sessiones habitæ fuerunt 15., ut Liberatus habet. Baronius tantum 13. recenset, quot diebus durasse putat. Canones conditi 27.; alios tres Anatholius addidit pro sua Ecclesia Constantinopolitana. Sed Legati Præsides *sess. ult.* protestati sunt; eo quod non essent conformes disciplinæ Ecclesiasticæ. Homo hic ambitiosissimus ex relegatione & depositione Dioscori, cujus quondam legatus apud Constantinopolitanam Curiam fuerat, occasionem nactus suæ Ecclesiæ primatum post Romanam vindicare instituerat: qua de re illum acriter S. Leo increpuit, datum ad eum, tum ad Marcianum Augustum litteris. Refert nihilominus Evagrius *cap. 4.* decretum in concilio fuisse, ut Sedes Episcopalis novæ Romæ (Constantinopolis) propterea quod secundas post Romam antiquam obtinebat, primas inter alias urbes ferret. Constat interim Anatholium hæreseos fuligine infectum Patribus Concilii fuisse suspectum, quantumvis coram illis nequiter se humiliasset. *Sess. 8va* Theodoretus de hæresi Ariana suspectus, atque ideo ab Episcopatu depositus, ægre quidem ad Concilium admissus, postquam Nestorium, Eutychem aliosque hæreticos anathematizasset, per omnia orthodoxus declaratur. *Sess. 9.* Ibas accusatus Arianismi per Legatos Apostolicos, relecta ejus epistola, & factâ pariformi anathematizatione, recognoscitur Orthodoxus suæque restituitur Sedi. Atque hæc servire poterunt pro clariori notitia actorum in sequenti concilio. Acta vero hujus Concilii Chalcedonenfis per Anatholium verisimiliter corrupta ad Leonem Pontificem transmissa fuerunt.

CONCILIIUM GENERALE

V.

CONSTANTINOPOLITANUM

SECUNDUM

§. XLV. Temporibus Vigiliï Papæ exorta fuit famosa illa controversia de tribus Capitulis, & ob eandem præcipuè

Uu 2

cipuè habita fuit hæc Constantinopolitana Synodus: cujus quidem controversiæ series ex Petavio hîc præmittenda.

Nestorio damnato, ejus fautores Theodoretî Mopsuesteni ex flagitioso monacho, in Cilicia quondam Episcopi Libros, in varias Linguas translatos, sparserunt in vulgus. quibus ita naturas duas in Christo assererat, ut Nestoriano errori suffragari videretur. De his libris inter se altercati sunt Catholici paulò post synodum Ephesinam. Hinc Armenis monachis Theodorum olim Nestorii Magistrum oppugnantibus cum Rabulo Edeffeno Episcopo & aliis plerisque: inde Joanne Antiocheno, itemque Theodosio Imperatore & quibusdam aliis pro illo stantibus. Ibas Edeffenus Rabulæ in Episcopatu Successor Nestoriana infectus hæresi epistolam scripsit ad Marim Persam, in qua Cyrillum pariterque Nestorium redarguit, ut & Rabulam, quod Theodorum condemnasset, ipsum verò Theodorum laudat. Secutum est Chalcedonense Concilium, in quo Ibas ille à nonnullis judicio postulatus & in Berythenfi Synodo absolutus Anno. 448. denuò est receptus, postquam Nestorio & Eythiceto anathema dixit. Ac dum lecta est illius epistola, eatenus tolerata, quod nullum dogma hæreticum contineret. Cyrillum perstrinxisse illi condonatum propter recentes inter Aegyptios & Orientales discordias. In eodem Concilio S. Joannis Chryfostomi discipulus & scriptor egregius Theodoretus Cyri Episcopus, qui in Latrocinio Ephesino à Dioscoro injustè depositus, uti & Ibas, in confessum est admisus: qui quidem flagrante illa Joannis Antiocheni sui Primatis cum Cyrillo simultate contra hujus anathematismos in Concilio Alexandrino vibratos aculeatum commentarium ediderat. Interea Palæstinis quibusdam monachis instigantibus & una cum his Pelagio Romanæ sedis Diacono & apocryphario Origenes damnatus fuit ex Justinî Imperatoris decreto, cui Mennas Constantino- politanus & Pelagius subscripserunt, tum Vigilius Papa & cæteri

teri Patriarchæ. Quæ res Cæsariensem in Cappadocia Episcopum, Origenis & Acephalorum patronum, quocum Pelagius similitatem habebat, vehementer offendit. Hic pro ea, quæ apud Imperatorem valebat, gratia author fuit, ut ad conciliandos cum Catholicis acephalos Theodorus Mopsuestenus, in Ibas laudatus epistola, damnaretur, unâ cum adjuncta deinceps epistola ipsa & Theodoretæ libris, quibus anathema dixit Cyrillo. Quod cum Imperatori Justiniano, reintegrandæ spe concordiæ, placuisset, Catholici complures intercesserunt; rati tribus illis condemnatis auctoritatem Concilii Chalcedonensis labefactari, in quo Ibas respiciens cum epistola sua orthodoxus ac Theodori Mopsuesteni commendatione probatus erat; pariter Theodoretus facti pœnitens Sedi suæ Cyrenensi restitutus. Pervicit tamen Imperator Justinianus & Anno 546. Constitutionem operis ejusdam Theodori Cæsariensis edidit, qua tria Capitula damnavit, coëgitque Mennam & cæteros Patriarchas, ut subscriberent. Vigilium etiam Pontificem Romanum excivit Constantinopolim, ac diu tergiversantem in suam aliquatenus traxit sententiam. Nam sequenti anno pacis studio, Vigilius decretum edidit, quod IUDICATUM dicitur; in quo salvâ Synodi Chalcedonensis reverentiâ, tria ista Capitula damnavit. Instante porro Justiniano, ut absolute, & sine Synodi facta mentione capitula damnaret; Vigilius abnuit, adque adversus minas omnes ac contumelias invicto animo perstitit. Anno 552. præfatus Theodorus Cæsariensis se quidem specie tenus humiliavit coram Vigilio, sed Eutychianus permansit, & Imperatorem induxit in hæresin Apthardocitarum seu Gajenitarum.

§. XLVI. Justinianus demum ut huic controversiæ finem imponeret, Generale Concilium indixit, quod Constantinopoli Anno 553. celebratum, reclamante Vigilio, qui trium Capitulorum patrocinium adversus Imperatorem resumpsit. Nihilominus eadem ab hac Synodo damnata fuere, & Origines insuper ana-

anathemati subjectus unà cum Didymo & Evagrio. Vigilus quod illius decreto subscribere recusaret, in exilium relegatus fuit: alii Præfules ob eandem causam variis modis vexati. Concilii initium fuit quarta Maji eodem anno. Judicat quidem Zonaras *in vit. Justin.* Vigilium præfedisse, dum scribit quod Episcoporum Congregatorum Princeps fuerit, rogatus per tres Patriarchas, ut locum suum conscenderet: non tamen per se, vel per alios etiam, unquam præfedit, nec accedere voluit, causatus infirmitatem, etsi in loco præfens. Præterea allegavit Episcoporum paucitatem, non verò, ut illyricus fingit, ne cogere-tur secundus esse. Neque tamen præfedit Mennas, quod falsò prætendit Calvinus: hoc enim Concilium præcedens particulare fuit, ut Zonaras *Loc. cit.*, Nicephorus *Lib. 17. cap. 9.* disertè perhibent. Præfedit autem Eutyclus Constantinopolitanus Patriarcha. Patres interfuerunt 165. Inter hos Apollinaris Alexandrinus, Domninus Antiochenus, Eustatius Hierosolymitanus per legatos.

§. XLVII. Sessiones habitæ sunt 14. Et quidem 12mâ damnatus fuit Theodorus Mopsuestenus cum dogmatibus suis & anathema dictum in non anathematizantes illum. Sessione sequenti damnarunt Patres Theodoretum Episcopum, & ea omnia, quæ conscripfit pro Theodoro & Nestorio. Sessione ultima damnatur epistola, quam scripsit Ibas ad Marim Persam, in qua negatur B. M. V. Deipara, defenditur Theodorus & cum ipso Nestorius. Antequam Concilium absolveretur, quod contigit quarto Nonas Junii, Vigilus Papa suam Constitutionem edidit, in qua 60. articulos erroneos per Imperatorem ex Theodori Libris extractos singulatim solidè refutaverat Augustoque exhibuit. Ast quantum ad tria Capitula, id est, Theodorum Mopsuestenum Ibas & Theodoretum, quandoquidem Concilia Ephesinum & Chalcedonense illos anathemati non subjecissent, recusavit illos anathematizare allegando testimonia Leonis ac Gelasii Pontificum.

tificum, prohibuitque ne quis anathematizare præsumeret. Si-
 ve ergo illa constitutio cæteris Episcopis per Imperatorem fuerit
 exhibita, ut plurimi Critici sentiunt: sive suppressa, quæ est opi-
 nio Baronii; certum manet, quod Schisma de tribus Capitulis
 per hoc concilium non fuerit extinctum: sed in diversis locis aug-
 mentatum. Siquidem Vigilus, Episcopi Africani & Illyriæ
 Orientalium decreta non admiserunt: quidquid tandem Impera-
 toris voluntati Papa morem gesserit. Quæ Synodus (hæc prima
 est, quæ hæreticos post mortem damnavit) Romanæ tandem Se-
 dis assensione firmata, suum inter œcumenicas locum obtinuit:
 non tamen ejusdem authoritatis, inquit Brietius, cum quatuor
 prioribus: quia in his de fide, in illa tantum de personis actum
 esset. Observabis tamen acta hujus Concilii mutilata fuisse, nec
 integra ad nos pervenisse, maximè, cum iis hæretici manum in-
 jecerint, ex quibus sincerum nihil exire potest. Insuper Bellar-
 minus *L. c. Lib. 1. c. 5.* animadvertit, Liberatum in *Breviario*
 hic cautè legendum: quæ aut ipsius non sunt, aut falsa ab ipso
 decepto prolata; utpote minus convenientia cum aliorum Pa-
 trum relationibus.

§. XLVIII. Ex incidente hinc memorandus crassissimus error
 in historia Ecclesiastica imperiti Jo. Calvini, qui *Instit. L. 1. c. 7.*
 ut primatum Papæ ex antiquitate oppugnaret, præten-
 dit, quod Mennas Patriarcha Constantinopolitanus huic Concilio præse-
 dit, non obstante, quod Agapetus ibi tunc præsens Pontifex Ro-
 manus esset. Verum extra omnem controversiam est, quod
 non solum Agapetus, sed etiam Mennas diu ante celebratum
 Concilium obierint. Ao. 27. Justiniani Imp. fuit inchoatum Con-
 cilium, Mennas verò è vivis excessit Ao. 21. ejusdem Justiniani,
 ut Calvinus potuisset legere Actione 3tia Concilii Gener. VI.
 quando scilicet Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus erat.
 Nec est, quod quidam Calviniani suum Magistrum tueri velint,
 quasi intellexisset Concilium per Mennam celebratum: præter-
 quam

quam enim quod illud non fuerit Generale, constat, quod Agapetus morte sublatus fuerit, antequam Mennas hoc Concilium celebraret, in quo eum appellat suum sanctæ & felicitis memoriæ patrem. Quam autem veri speciem obtinere poterit, quod Mennas, si etiam Agapetus adhuc vixisset, primum in hujus præsentia locum sibi vindicare voluisset, à quo, excusso Anathemo Eutychemo, fuerat in Sedem patriarchalem constitutus, qui publicè inibi protestatus fuit, quod subit Authoritati Sedis Romanæ, præsertim cum Justinianus Cod. 7. declaraverit quod Papa Romanus caput sit omnium Dei prælatorum, & Patriarcha Constantinopolitanus secundum post illum locum obtineat. Quocunque ergo se vertat Calvinus, mortuum inveniet, quem credebat vivere; & quia liquet, Calvinum donum miraculorum non habuisse, non poterit horum unum resuscitare & substituere in locum defuncti: quo extrema ejus duntaxat apparet ignorantia.



CONCILIIUM GENERALE

VI.

CONSTANTINOPOLITANUM

TERTIUM.

§. XLIX. Pernitiosissima inter omnes, quas Eutychemiana hæresis veluti scatebra sectas produxit, recenseri debet Monothelitarum, id est eorum, qui unam tantum in Christo voluntatem tradiderunt. Ed quidem procedere non fuere ausi, ut Concilium Chalcedonense apertè oppugnarent: & quidem duas in Christo naturas confitebantur: sed unam duntaxat operationem & voluntatem in illo admittebant. Author horum creditur quidam Joannes, cognomento Philiponus Grammaticus

cus Alexandrinus, suaque opinamenta circa Annum Domini 535. evulgavit contra Severianos, item & Proclam, quorum errorem cum vellet redarguere, incidit in Treitharum id est tres Deos constituentium hæresin: adjecitque, quod post unionem hypostaticam in Christo non remanserit nisi unica voluntas. Quæ quidem hæresis in ipso suo partu videbatur suffocata: sed tempore Heraclii Imperatoris vires resumpsit, quando hic ex bello Persico redux, Hierapolis existens, urisit, ut Jacobitarum Patriarcha, nomine Athanasius Concilium Chalcedonense admitteret. Quod quidem se facturum promisit: sed excepit, unam tantum in Christo esse voluntatem. Quem errorem Sergius & Cyrus, ab Imperatore consulti, propugnarunt. Ipseque Heraclius sphaeram suæ activitatis excedens *Ecthesin* suæ fidei expositionem promulgavit. Constans, qui post Heraclii filium fasces Imperii adeptus, ejusdem commatis edidit decretum, quod *Typus* dicebatur, & Martinum Pontificem maximum sibi refragantem exilio multavit. Fuit nihilominus ea hæresis in Conciliis provincialibus Romano, Numideni, Byzacensi, Carthaginensi damnata. Interim Constantinus Pogonatus filius & successor Constantis Orthodoxam doctrinam egregiè sustinuit. Quare Agatho Pontifex Romanus ratus commodam haud esse negligendam occasionem stabiliendi Catholicum dogma & pravitatem hæreticam extirpandi, Concilium Generale Constantinopolis convocari fecit.

§. L. Hoc Concilium coeptum fuit Anno 680. die 7ma Novembris in Pallatio, qui *Trullus*, id est capsula, vocatur propter fornices rotunditatem, eratque Palatii Sacrarium seu Secretarium. Præfederunt Agathonis Legati Theodorus & Gregorius, presbyteri, & Joannes Diaconus. Interfuerunt Episcopi 289. ut perhibent Theophanes & Cedrenus *in Annal.* Paulus Diaconus &c. Et consentit numerus qui habetur in Synod. VII. act. 3. Beda tamen *Lib. de 6. ætatib.* prope finem, Anastasius Biblioth., Regi-

Regino, Ado Vienn., Treculphus in Chron. 150. duntaxat numerant. Photius in tract. de septem Synod. Patres 170. (quot leguntur interfuisse in Breviario Rom. festo Leonis Papæ 28. Junii. Multorum est opinio, id intelligendum esse de initio Concilii, postea enim plures accesserunt. Patriarchæ adfuerunt, duo, Gregorius Constantinopolitanus & Macarius Antiochenus, item Alexandrini & Hierosolymitari Legati, & quidem Theodorus Hierosolymitanus misit Andream Cretensem, monachum tunc Hierosolymitanum, ut communis fert opinio, quamquam acta referant Gregorium presbyterum Hierosolymitanum monachum, qui potuit esse primarius, proinde solus relatus. Certum est Andream tunc Constantinopolis excivisse, & ob insignem eruditionem eximiæ pietati conjunctam in pretio à Patribus habitum, qui ibidem in Diaconum assumptus, antequam Archi-Episcopus Cretensis fieret.

§. LI. Sessiones habitæ fuerunt 18. Sess. 4ta Anathema fuit dictum, Theodoro, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro &c. An inter eos computandus etiam Honorius Papa? vide in *Controversiis Ecclesiastico-Historicis*. Resipuit quidem Gregorius: sed Macarius ob pertinaciam excommunicatus fuit. Sess. penultima longa oratione explicatum fuit mysterium Dominicæ Incarnationis in unitate personæ, & unius substantiæ duas concurrisse naturas, & duas naturales voluntates & duas naturales operationes indivise, inseparabiliter, inconfuse, secundum SS. PP. doctrinam in Christo copulatas, non contrarias, juxta quod impii asseriebant hæretici: sed voluntatem humanam nunquam reluctantem; sed subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.

§. LII. Acta hujus Concilii an ad nos integra pervenerint: seu an per Græcos, aliosve hæreticos summi Pontificatus inimicos depravata fuerint, inter scriptores modernos valde controversitur. Albertus Pighius Concilium hoc, & quod sequitur,
ut

ut modo extant, adulterina & supposititia contendit. E contra Turrianus vult genuina ac legitima esse.

§. LIII. Post aliquot annorum intervallum 227. Græci Episcopi in eodem loco convenerunt, qui Trullus dicitur: ibidem collegerunt Canones centum & duos, quos ipsi attribuunt Synodis quintæ & sextæ. Hinc eorum coetus à Balsamone aliisque postea dictus fuit Synodus *Quino-Sexta*, quasi supplementum priorum duarum, in quibus nulli Canones leguntur conditi. Baronius autumat hunc coetum fuisse convocatum per Callinicum Constantinopolitanum Patriarcham sub Imperatore Justino II. Anno æræ Christianæ 692. Et quamquam alii Annum 685. statuunt, quod Cardinali Bellarmino videtur probabilius: attamen eruditissimus Dionysius Petavius *Lib. 2. de Doctrina temporum et 2. part. Ration. temp. Lib. 4. cap: 15.* argumentis sanè egregiis probare nititur conventum hunc nonnisi Anno 707. sub Pontifice Joanne VIII. alias VII. & Imperatore Justiniano II. fuisse celebratum: quem plerumquæ moderni cum Cabasutio in *Not. Conciliorum*, sequuntur. Verùm si Sergius P. M. qui Anno 701. hos Canones repudiaverit, ut referunt Beda, Paul. Diac., Otto Frif., Regino, Ado Vienn. &c. hæc Chronotaxis subsistere non poterit.

Porro conveniunt Authores orthodoxi, hos Canones in Synodo Erratica, ut eam Beda vocat, conditos, quando nullus in ea fuit Pontifex, vel ejus Legatus, nullus Latinus Episcopus, nequaquam ab universa Ecclesia approbatos. Nihilominus Adrianus I. P. M. *in epist. ad Carol. Mag.* citat. Canonem 82. de pingendis imaginibus, qui etiam à Concilio Generali VII. allegatur act. 5. & 6. Illius quoque miminit Nicolaus I. *epist. ad Michael. Imp.* Item PP. qui ex oriente & Occidente convenerant ad Concil. Gen. Florentinum sess. 5. citant. hos Canones: quos etiam Gratianus in Decreto variis locis allegat. Qui tamen non censentur

ur eo ipso approbati: sed Pontifices iis usi sunt, sicut David Gladio Goliath. 1. Reg. 21. Quantum verò ad dictum Can. 82. statuit ille, ut Christus in figura humana depingatur. Quod autem Caranza in *Sum. Conc.* dicit prohiberi ibidem, Christum depingi in figura agni, erroris illum arguit Bellarminus *Lib. 1. de imag. cap. 8.* eo quod Concilium non prohibeat illas imagines in figura agni: sed anteponat his imagines in figura humana.

CONCILIIUM GENERALE.

VII.

N I C Æ N U M

SECUNDUM.

§. LIV. Sacrarum imaginum usus cultusque ab exordio in Ecclesia perviguerat, quemadmodum Scriptores ex alia antiquitate deducunt, quoadusque Imperator Leo III. dictus Isauricus, post abdicationem Theodosii III. Imperii habenas consecutus magnam stragem in easdem imagines edidit, ideo Iconomachus nuncupatus. Paulò antè Arabum Rex Ezidius Christianis omnes imagines ademerat, suasu cujusdam Judæi nomine Sarentapechis, post semestre, defuncto Rege, ab hujus filio intrempti. Interim quidam ex Christiano Mahumetanus Bezerus appellatus in Syriam abductus cum cæteris mancipiis, Leonem Isauricum, unà cum quibusdam Judæis, qui Imperium illi prognosticaverant, miro astu induxit, ut imaginibus bellum favissimum indiceret. Et primò quidem statuam Soteris æneam Urbis portæ superpositam in ignem probrose iniecit. Cumque inde magna fuisset Constantinopolis exorta seditio; edicto publico cunctas imagines sacras ex Ecclesia pariter & ædibus quibuscunque abolendas sancivit; sibi que obstantes fortissimè duo-

duodecim Ecclesiasticos, ob sanctitatem vitæ & raram eruditionem in prærio habitos consiliarios, nocte flammis exurendos tradidit. Demum etiam Sanctum Germanum Patriarcham infracto animo obsistentem Anno 730. in exilium relegavit; authorque fuit, ut quidam Saracenorum Rex S. Joanni Damasceno manum, quâ SS. imaginum cultum defenderat, amputari faceret. Tyranni ferociam Gregorius II. item Gregorius III. reprimere conati fuerunt. Cumque hic se nihil proficere adverteret, Romæ Concilium indixit, in quo Iconoclastæ omnes anathemate percussi fuere.

§. LV. Nihilominus Constantinus Copronymus, crudelior Leonis catulus majori furia iconomachiam persecutus, posthabitis exhortationibus Zachariæ, Stephani III. & Pauli I. Rom. Pontif. conciliabulum 338. Episcoporum in urbem regiam indixit, ut Paulus Diac. *Lib. 22. Rer. Roman.* perhibet. Non fuit autem Ephesi celebratum: sed in eo Episcopus Ephesinus præfedit, in quo hæc pravitas stabilita fuit. Episcopos in decreta blasphema conjurare compulit Imperator: Quo tempore etiam sanctissimi vitæ solitariae professores pro Christiana veritate sanguinem suum fuderunt. Leo IV. Imperator gentilitiæ impietatis propugnator post quadriennium discedens filium, sub matris Irene ductu, hæredem reliquit: quando Ecclesia in Oriente post tam sævas persecutiones respirare visa fuit. Irene enim Regina, postquam S. Therasium in Sedem Patriarchalem promovisset, apud Adrianum I. P. M. egit, ut pro stabiliendo cultu SS. imaginum Concilium Generale Nicææ indiceretur.

Inchoatum fuit hoc Concilium juxta Panlum Diaconum *Lib. 23. Rer. Rom.* Anno salutis 787. Juxta computum Cedreni Anno 786., onuphrii 789. Plures volunt Anno 787. die 24ta Septembris incepisse & die 12ma Octobris finisse.

§. LVI. Præfedit in eo Concilio Adrianus I. per suos Legatos Petrum archipresbyterum & Petrum Abbatem S. Sabæ. Patres interfuere 350., pietate & doctrina excellentissimi, inter quos eminebat Tharafius: cæteri per Legatos. Fuerunt pariter in eodem, qui ex Conciliabulo Constantinopolitano resipuerant, Basilius Episcopus Ancyranus, Theodorus Cyrus Episcopus Myronensis & Theodosius Episcopus Amorii, & alii quidam.

§. LVII. Sessiones septem habitæ, & cultus SS. imaginum, quatenus excitant homines ad imitationem Sanctorum repræsentatorum, excussis Sacræ scripturæ textibus, in contrarium ab hæreticis prolatis, argumentisque aliis resolutis, fuit stabilitus & confirmatus: contrarium sentientes anathemati subiecti. Imago etiam Christi allata ab omnibus, flexis genibus, in veneratione habitæ.

Canones conditi 22. de rebus tum ad fidem, tum ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus. Approbatum fuit Concilium ab Adriano P. M. & rursus postea à Leone III. ut patet ex *Jvo- ne, part. 4. cap. 147.*

CONCILIIUM FRANCOFURTENSE.

§. LVIII. Anno 794. Rex Carolus Magnus convocavit Francofurtum ad Mœnum Episcopos ex Italia Germania & Gallia, quorum proinde Concilium fuit vocatum Occidentale. Canon Concilii hujus secundus, qui incipit: *Allata est in medium questio de Nova Græcorum Synodo:* occasio extitit contentionum & opinio- num, quas Sectarii in partes suas contra Ss. imaginum cultum trahere studuerunt. Merito quidem Bellarminus *Lib. I. de imag. cap. 14.* censet rem esse incertissimam, quid in hoc Concilio statutum fuerit de imaginibus. Nam antiqui authores haud sibi constant: quandoquidem ipsum decretum, quod citatur in præ- fatione quatuor librorum, Carolo Magno adscriptorum, testa- tur

tur in eadem Synodo damnatum Concilium, quod Constantino-
 poli fuit celebratum & imagines adorari jufferat: Ubi videtur
 loqui de Synodo hæreticorum: ast cum infuper dicat ibi decre-
 tum de imaginum cultu, videtur loqui de Synodo Nicæna Ca-
 tholicorum: præsertim cum in iis Libris referatur quod Con-
 stantinopoli in Bythinia habita Synodus citra Papæ auctoritatem
 pro adorandis imaginibus decreverit; quod decretum fuit Nicææ
 in Bithinia, non Constantinopoli in Thracia. Infuper Hincmar-
 us Rhemensis *Libro contra Hincmarum Laudunensem cap. 20.*
 In Synodo Francofurtensi, scribit: damnata Synodus Nicæna
 sine auctoritate Papæ celebrata. Aimonius *Lib. 4. de Gest. Franc.*
cap. 85. Abbas Urspergensis in *Chronico* &c. volunt in illa
 damnatam Synodum VII. Græcorum, quæ celebrata fuit Con-
 stantinopolis sub Constantino & Irene. Quæ omnia profectò
 sunt magna contradictionum lerna.

§. LIX. Equidem Platina in Adriano I., Blondus *Decadis*
Lib. 1., Sabellicus *Enneed. 8.*, Paulus Aemilius *Lib. 2. de gestis*
Francor. &c. dicunt in Synodo Francofurtensi damnatam Syno-
 dum de imaginibus tollendis, quam Græci VII. Generalem vo-
 cant: Verum cum recentiores sint, hac in parte eorum vacillat
 auctoritas: estò, quod ipsi dicunt, observante Bellarmino *L. c.*
 non pugnet cum antiquorum dictis: siquidem in Synodo Fran-
 cofurtenfi duo Concilia reprobrata fuerunt, nimirum Constanti-
 nopolitanum contra imagines, Nicænum pro imaginibus decer-
 nentia. Quæ fortasse causâ videtur, cur antiqui quidam histo-
 rici nominent Nicænum, alii Constantinopolitanum, cum tra-
 dunt in Synodo Francofurtana reprobratum Concilium Græ-
 corum.

§. LX. Porro Concilium Francofurti à Rege Carolo Magno prin-
 cipaliter fuit institutum contra Elipandum Toleranum & Feli-
 cem Urgellensem, qui docuerunt Jesum Christum secundum
 car-

carnem esse duntaxat filium Patris adoptivum: quorum blasphemia ibidem damnata fuit. Ex lectione verò librorum Carolo Magno adscriptorum Episcopi congregati in duplicem errorem fuerunt inducti. *Primus* erat, quasi in Synodo Nicæna definitum fuisset, imagines adorandas cultu latriæ, qui eorum error patet ex Canone citato: *Allata est &c.* *Alter*, quasi eadem Synodus sine autoritate summi Pontificis fuisset celebrata. Igitur, ut Aimonius, Rhegino, Ado &c. passim tradunt, reprobarunt Synodum Generalem: & statuere, non quidem, quemadmodum Angli in *Apolog.* fingunt, esse imagines ex Ecclesia submovendas (imo anathema dixerunt iis, qui imagines abolere voluerunt) quod vel ipsi Centuriatores observant *Cent. 8. cap. 9.*, sed ut in templis quidem maneant, non tamen ut adorarentur. Ubi errarunt non in iuris, sed facti quæstione atque ex falsa hypothese. Manifestè enim *sess. 7.* in Nicæna Synodo definitum fuit, non esse imaginibus adorationem latriæ exhibendam *Quæ solum Divinæ naturæ competit.* Quare paradoxum est Patres Concilii Francofurtensis sibi persuasisse Synodum Nicænam per vocabulum *Prochensios* talem cultum latriæ intellexisse, qui soli Deo proprius: cum saltem per hunc terminum indigitaſſet venerationem cultûs relativi: nisi fortè credamus ipsos Linguae Græcæ fuisset ignaros, & per obrusa in Libris Carolinis mendacia fuisse deceptos.

§. LXI. Falsum quoque, quod Nicæna Synodus non fuerit approbata à summo Pontifice: quandoquidem *sess. 2.* lecta fuerit Adriani I. P. M. pro imaginibus epistola, atque in omnibus sessionibus præfata Synodi legantur subscriptiones Legatorum Apostolicorum. Quin ex Libris Adriani de imaginibus ad Carolum M. in comperto est: & in confesso est apud Centuriatores *loc. cit.* eundem Adrianum, quantum ad reprobationem Synodi Generalis non consensisse, sed repugnasse ac Legatos contraxisse. Quodcunque igitur fuerit decretum de imaginibus, non

non potuit obstare decretis Concilii Generalis VII. ab omnibus velut legitimum admissi; Et quia certum est eundem Pontificem totum deinde Conciliabulum ejusque decreta repudiassè: minime necessarium est, ut eo recurramus, quod aliqui prætendunt, citatum Canonem: *Allata est*, supposititium esse aut corruptum, ut vult Turrianus: sive, quod Alano Copo *Dialogo* 4. placet, solam Synodum Hæreticam Constantinopolitanam fuisse damnatam. Præsertim cùm ipsa Synodus Francofurtensis, ut patet ex Libris Carolinis, decreverit, judicium ultimum controversiarum in materia fidei spectare ad summum Pontificem, quo defectivi Nicænam ac proinde rejiciendam falsò persuasa fuit. Præterea eadem Synodus nonnisi particularis erat, adeoque ejus decreta non obligant universim neque infallibilitatem obtinent.

§. LXII. Cæterum quod illi quatuor Libri, in quibus Iconomachi præcipuum fundamentum causæ suæ constituunt, nunquam scripti fuerint à Carolo Magno Litterato, prudente & ingenioso: sed à quodam antiquo hæretico, attamen barbaro, imperito levi ac pene stulto, ostendit Bellarminus *loc. cit.* quodque Libri memorati missi fuerint à Rege Adriano, ut is responderet, quos ipse accurate refellit Libro ad Carolum scripto: ex quo Ivo multa in quartam partem sui Decreti transtulit, extatque *tom. 3. Conciliorum.*

§. LXIII. Convenerunt deinde Iconoclastæ Constantinopolim Anno 814. & temerario ausu reprobarunt Concilium Generale VII., atque imagines è templis ejiciendas decreverunt. Verum quando Michaël Porphyrogenitus Thronum Anno 842. conscendit, has restituit, ejecto Joanne hæretico ex Sede Constantinopolitana, cui S. Methodium surrogavit. Quare Græci festum hujus restitutionis quot annis Dominica prima Quadragesimæ celebrant, quo die Conciliabulum fuerat inchoatum. Ea tempestate Claudius Taurinensis Episcopus virus suum, quod
viven-

vivente Carolo occultaverat, contra imaginum cultum evomuit: sed à Jona Aurelianensi, jussu Ludovicii Pii, valide refutatus: quamvis hic etiam quibusdam sit suspectus de heterodoxia: atque de eo scribunt Baronius & Bellarminus quod sibi minime constiterit: de cujus ore calidum & frigidum exiverit. Floruit tunc quoque Agobardus Episcopus Lugdunensis in Gallia qui pariter Iconomachia in simularum, quem tamen Theoph. Raynaudus in *Indiculo SS. Lugdun.* vindicat, scribens: Negari non potest Agobardum durius, quàm exactæ Theologiæ amuffis ferret, esse locutum, & omnino admittendum esse imagines veneratione & cultu prosequendas esse: tamen in re ipsa non videtur plus errasse, quam plerique Patres quos describit & in sententiam suam laudat. Videtur non aliud voluisse, non esse imagine adorandas supremo cultu. Imo per se, & secluso omni profus ordine ad prototypum, non esse cultu dignas, nec imagines esse colendas, ut imagines sunt: easque in eum finem excogitatas non esse, ut invocentur & colantur: sed ut memoriæ inservant manuducerentque ad prototypum, notitiam ejus ingenerando. Crucem putat eo errore non esse obnoxiam; quia nullam effigiem humani vultus exhibet &c. Quamvis incommode loquatur Agobardus: nec sit hoc tempore approbanda ejus locutio: tamen in re ipsa videtur ab errore Iconomachorum plane immunis. Idem de ejus æquali dixerim Jona Aurelianensi. Agobardo minus favit Baronius: tamen postea ingenuè errorem retraxit, & pro sancto coli voluit, quomodo in Ecclesia Lugdunensi sub ritu duplicis officii colitur 8. Idus Junii.

Nihilominus ex Agobardi aliorumque scriptorum Libris Præsules Galli male imbuti iconomachiam amplexi fuerunt, qui anno 824. Parisiis convenientes decreta ediderunt Concilio Generali VII. contraria, ut legere est in Libro M. S. Bibliothecæ Thuanae.



CON-

CONCILIIUM GENERALE

VIII.

CONSTANTINOPOLITANUM QUARTUM.

§. LXIV. Irene Augustâ per summam ingratitude & perfidiam depositâ atque in exilium turpiter relegatâ, rerum potitus Nicephorus sceleratissimus filiam suam Procopiam desponderat Michaeli Curopalati, id est, supremo aulae Præfeto. Ast anno vix evoluto per Leonem Armenum victus fufus- què monasticam vitam amplexus fuit. Duo ejus filii Theophi- lactus & Nicætas, quorum natu minor in monasterio Ignatius vocari voluit, qui post mortem S. Methodii ab Episcopis fuit electus Constantinopolitanus Patriarcha Anno 847. quam electio- nem Theodora Augusta ratam firmatamque habuit: præsertim quando scemina religiosissima à consulto Joanne Eremita miracu- lis conspicuo, percepit, Spiritus Sancti instinctu hanc electio- nem fuisse factam. Postquam vero Michaël III., jam grandior effectus, matrem Theodoram impiè amovisset, hujus fratri, qui Bardas nominabatur, Reipublicæ gerendæ curam commisit. Cùm hic nefaudissimus Tyrannus repudiata legitima conthorali suam in pellicem adduxisset, & propterea à Sancto Igna- nio, post frequentes admonitiones contemptui habitas, anathe- mate tandem percussus fuisset: tanto furore in virum innocen- tissimum exarsit, ut illum prodicionis & criminis læsæ Majestatis reum agere machinaretur (quia Theodoræ Augustæ Sacrum velum imponere recusaret, vel, ut alii referunt, quia Impera- toris Sorores matremquè exoculari constanter recusaret) tantùm- què effecit, ut Sede sua dejectus in Insulam Therebinthi exula-
re

re compelleretur Anno 858. Quo anno Photius illustri quidem profapia, sed homo Laicus, ambitione turgidus atque scientiâ inflatus eunuchus in Sedem Patriarchalem intrusus fuit. Unde dirum illud & diuturnum Græcorum Schisma ortum suum traxit. Consecratus fuit Photius tumultuarie à Gregorio Asberto, quondam Episcopo Syracusano, & ob gravissima crimina à S. Ignatio exauthorato cum aliis quibusdam.

§. LXV. Atque ut firmum in male parto gradu iniquissimus usurpator stabiliret pedem, Concilium 320. Prælatorum coëgit, Sacrarum imaginum causam agendam in speciem prætexens. Ad quod Concilium Nicolaus I. P. M. rerum non facis gnarus, & quodammodo compulsus misit suos Legatos Zachariam & Rodoaldum, ut de causa duntaxat cognoscerent; nihil insuper definirent. Huc evocatus Ignatius comparuit; sed crudeliter & contumeliose habitus, quando solemniter per Sacrarum vestium detractionem gradu motus fuit, & Photius legitimus Patriarcha acclamatus. Consensere in hæc contra præscriptum à Nicolao Papæ Legati, quâ blanditiis, quâ minis adacti: ideoquæ Romam reversi, Episcoporum, qui aderant, ac totius Romani Cleri conventu habito, publicè increpiti & velut prævaricatores damnati sunt; in quo Photius pariter & Gregorius Syracusanus proscripti fuere. Quare pseudo patriarcha in furorem actus denuo Conciliabulum convocavit, in quo Nicolaum temerario ausu anathematizare præsumpsit, & omnes S. Ignatii cognatos, fautoresque exterminii pœnam subire compulsi sunt. Sublato demum è vivis Michaële, dum Basilius Macedo facces capefceret, Anno 867. perversus incubator extruditur ac in monasterio Insulæ Scepe recluditur, demum S. Ignatius maximâ pompa Sedi suæ restituitur. Verùm cum ab iniquis machinationibus Photius minimè desisteret; ut demum turbatæ nimium Ecclesiæ Orientali pax firma obveniret, Adrianus II. P. M. Anno 869. Concilium Generale Constantinopolis indixit celebrandum.

§. LXVI.

§. LXVI. Ex universis Ecclesiis Orientalis Imperii interfuerunt huic Concilio Episcopi 102. Præsides fuere Legati Apostolici Marinus & duo alii. Habitæ sunt sessiones 10. Prima quidem die quinta Octobris, ultima 28. Februarii anno seq. Sessione 7ma Photius ingressus baculo: quem ab eo non pastore, sed Lupo præses iussit auferri; adeo tanquam sæcularis, Tyrannus, Schismaticus, Danus, mæchus, parricida cum omnibus suis sequacibus & fautoribus anathematizatus fuit. Hæc damnatio, ut Nicephas *in vita S. Ignatii* refert, in maiorem hominis detestationem, tincto in Christi sanguinem calamo ab Episcopis subscripta fuit: quomodo legitur Pyrrhus Episcopus Constantinopolitanus Anno 642. damnatus, quando Theodorus P. M. accessit ad sepulchrum S. Petri, & de Sanguine Christi distillato in attramentum ex calice illius damnationi subscripsit.

In actis Concilii Generalis VIII. nihil hac de re extare vult Baronius, quæ reputat integra, additque quosdam existimasse, Græcorum prodicione, legatos Apostolicos Romam tendentes à pyratis rebus omnibus spoliatos, imprimis verò Originali actuum Synodali codice privatos: & actum planè de legitimis Synodi actis fuisse, nî antea, Anastasii Bibliothecarii diligentia, qui eo tempore Constantinopolim missus fuerat, descripta fuissent.

§. LXVII. Canones hujus Concilii, editionis Græcæ extant 14., Latinæ autem per Anastasium 27. Hujusmodi Caranza, *in Sum. Conc.* nactus per Amanuensem insigniter depravatum, scribit. Græcum aliquod exemplar, cum quo conferret Latinum, nunquam se videre potuisse. Qui etiam post finem Canonum animadvertit, quod in Decreto Gratiani huic Synodo adscribantur multa decreta, quæ in exemplaribus Latinis minimè reperiuntur: ut proinde vel falso illi adscribantur; vel Gratianus nactus fuerit exemplaria magis integra.

Yy 3

§. LXVIII.

§. LXVIII. Synodus hæc œcumenica, qua in tom. Concilior. extat imperfecta, à Græcis non recipitur: sed ipsi substituunt quandam aliam post defunctum S. Ignatium, à Photio per Basilium Imper. dementatum restituto celebratum, in qua 383 Prælati convenerint, & ad quam Joannes VIII. Adriani Successor suos Legatos miserit. In hac, dicunt, fuisse planè rescissa acta præcedentis Synodi sub Adriano, statutumque ut tolleretur de Symbolo illa particula *Filioque*, utpote per Latinos inserta. Ast S. Antoninus in *Sum. hist. part. 3. tit. 22. cap. 13. §. 10.* docet esse omnia conficta, quæ hic dicuntur de Joanne VIII., quod sibi persuasum esse scribit Bellarminus *de Concil. Lib. 1. cap. 5.* aut certè verum esse, Photium à Joanne VIII. per Legatos restitutum in Sedem Constantinopolitanam, aut incerta & supposititia esse à Græcis conficta, ut ex Manuele Calleca Turrianus ostendit *Lib. de actis 6tæ 7mæ & 8væ Synodi.* Confirmatur autem Cardinalis in hac sententia, tum quia Zonaras meminit quidem restitutionis Photii, non autem abrogationis Concilii VIII., neque ablationis illius particulæ *Filioque* ex Symbolo, tum etiam quia Græci in Concilio Florent *sess. 6.* non agnoscunt pro Synodo Oecumenica Concilium illud sub Joanne VIII., etsi multum prodesse potuisset, si legitimum fuisset. Nihilominus idem Zonaras, Theodorus Balsamon, Nilus & plures alii Græci scriptores hoc conciliabulum legitimis adnumerant Synodis. Et merito Baronius conqueritur, quod Cardinalis Julianus Cæsarini in citata sessione Ferrarii habita disputando contra Marcum pseudo-Episcopum Ephesinum, qui hoc conciliabulum, quasi per Joannem VIII. approbatum, volebat legitimare & œcumenicum Concilium condemnare, validis argumentis hanc imposturam non eliserit.

Subscripserunt in hoc Concilio primò Legati Apostolici, Ignatius Patriarcha, Patriarcharum Vicarii: deinde Imperatores Basiliius Constantinus & Leo, qui noluerunt ante Vicarios nomina sua poeere, demum subscripserunt reliqui Episcopi.


Scien-

Laterani, quem Nero occidit. In hujus templi porticu hi antiquissimi leguntur versus:

*Dogmate Papali datur simul ac Imperiali,
Ut sim cunctarum mater caputque Ecclesiarum.*

Convenerunt ibidem 300. Patres, ut perhibet Sugerus Abbas S. Dionysii in Gallia, qui pariter interfuit; non verò 900., ut Pandulphus, Platina, & quidam recentiores, inter quos Belarminus, scribunt. Multi quoque adfuerunt Principes seculares horumquè Legati. Actum ibidem de recuperatione terre Sanctæ, quæ tunc post insignem stragem Balduini II. Regis Hierosolymitani potissimum à Saracenis occupata tenebatur. Azor reputat hoc Concilium Nationale.

Canones 22. recensentur, quos Gratianus, illo tempore florens suo maxima ex parte inseruit Decreto, Sunt ii constituti contra Simoniacos, Ecclesiasticos concubinarios, falsos monetarios, peregrinantium invasores. Insuper gradus Consanguinitatis, in quibus nefas est contrahere matrimonium, designati. De Sessionibus nihil antipuitas reliquit posteris.



CONCILIIUM GENERALE

X.

LATERANENSE SECUNDUM.

§. LXX. Innocentius II. Pont. Max. loco & tempori cedere compulsus, ob Antipapæ Petri Leonis, genere & propinquorum numero valentis violentiam, reductus è Gallia Romam; & autoritate Lotharii II. Imperatoris suæ Sedi tandem restitutus, nihil antiquius habuit, quam diversas ab invicem dicro Schif-

Schismate oves colligere ad ovilis Domini unitatem, revocatas congruis pascuis reficere, opportunis remediis morbidas curare, tueri à mortifero luporum dente atque à sparso hæresiar-chæ Arnaldi Brixienfis Clerici veneno præservare. Eum in finem Romæ in Laterano celebrari fecit Concilium Generale.

§. LXXI. Anno 1139. die octava Augusti hoc Concilium exorsum fuit; interfuerunt 1080. Prælati. Conditi sunt Canones 30. 1mus contra Simoniacam pravitatem. 2dus & 9nus de excommunicationibus, quarum absolutio solis Episcopis reservata fuit. 3tius de habitu decenti & simplici Ecclesiasticorum. 6tus & 7mus de presbyteris concubinariis, eorumque missa non audienda. Alius prohibet clericis exercere officium advocati seu medici. 13tius conditus fuit contra usurarios, qui Ecclesiastica debent sepultura privari. Alius excommunicat percussores Clericorum. 23tius damnat Arnaldum Brixiensem ejusque Sectatores. Penultimus est contra eos, qui arma infidelibus administrant. De Sessionibus actis que nihil constat.



CONCILIUM GENERALE

XI.

L A T E R A N E N S E TERTIUM.

§. LXXII. Quietam hoc ævo sua ab infestatione vacare Ecclesiam haud passus est cacodæmon.: sed ex diro Schismate ortas dissensiones promovit. Insuper Orthodoxiam studuit novis errorum monstris per pravos ministros corrumpere. Enimvero memoratus supra Arnaldus Brixienfis per Italiam susurravit, nulla bona temporalia licere Clericis possidere, parvulos non esse baptizandos, Sacramentum Altaris nihil esse &c.

Zz

Hen-

Henricus Tolosanus monachus effutiit, Sanctos non esse invocandos, Deum Canticis non colendum, oleum seu Chrisina perperam consecrari. Huic acclamarunt Patari alias Cathari, Cotorelli &c. Circa annum 1160. exorti sunt Waldenses à quodam opulento cive Lugdunensi nomine Petro Waldo: qui relictis, & in pauperes distributis facultatibus suis paupertatem sectabatur: unde sui adhærentes Pauperes de Lugduno nuncupati fuerunt. Erat hic homo illiteratus & idiota, ubi tamen nonnullos Sacrae Scripturae libros, locis præposterè intellectis, sibi describendos curavit, concionatorem agere voluit, naotos eos auditores, quibus benefecerat. Docuit verò Christianorum bona omnia debere esse communia, Sanctos non invocandos, Tempa eorum destruenda, auricularem confessionem abolendam, Leges ab Ecclesia ferri non posse, Exorcismos irridendos &c. quæ nostra tempestate, fetida Sathanae phlegmata per cacochymum Waldensium Stomachum olim evomita resorbere non reformidarunt hæretici. Primum tamen, etsi minus absonum non placet iis imitari tanquam minime è re sua, licet alias à Waldensibus sese derivari glorientur.

§. LXXIII. Itaque post diuturnas jaçtationes gravissimasque tempestates à Dæmone excitatas, quibus Navicula Petri diu concussa fuerat, & præcipuè eo tempore, quo Alexander III. clavum ejus tenebat, tandem malacia secuta fuit, dum inter Pontificem & Fridericum I. Venetiis de pace actum fuit; eoquè res deducta per gratiam Christi, qui imperat ventis & mari, ut residuis, quæ tempore Schismatis exorta fuerant, malis hæreticorumque machinationibus congruens medela applicari potuerit. Quem in finem idem Alexander vigesimo sui Pontificatus anno Lateranense Concilium Generale indixit.

§. LXXIV. Anno 1179. feria 2da post Dominicam tertiam Quadragesimæ, quæ tunc erat quinta Martii, in Basilica Lateranensi

Europæ pernicies imminebat; visum fuit remedium illud, quod in antiqua Ecclesia Antistites contra hæreticam pravitatem adhibebant, etiam nunc applicare.

§. LXXVI. Ergo Innocentius III. P. M. pro pastorali sua sollicitudine Concilium Generale Romam convocavit, quo pariter Almarici Carnotensis impia dogmata, inter quæ præcipuum, quod opera in Charitate Dei facta sint opera bona etsi per se pessima; nec non Joachimi Abbatis sententiæ minus orthodoxæ proscriberentur.

§. LXXVII. Anno æræ Christianæ 1215. die undecima Novembris Præsidente Pontifice eodem hæc Synodus initium sumpsit. Interfuerunt Patriarchæ Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Legati Alexandrini & Antiocheni, Primas Maronitarum nuper converforum, Metropolitanus 71., Episcopi 340. ultra 800. Abbates & Ordinum Religiosorum Priores, Græcorum & Romanorum Imperatorum Legati, Regum Jerusalem, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ & Cypri Oratores. Ob hunc prodigiosum numerum, quem alii AA. magis auctum referunt, fuit dictum *Concilium Magnum*.

Canones communiter recensentur 70. Plerique Decretalibus Gregorii IX. per Raymundum de Pennafort inserti. Ex præcipuis sunt: 1mus de fide Catholica, ubi recipitur *Transsubstantiationis* vocabulum pro cavenda deinceps omni tergiversatione circa fidem Eucharistiæ. 19nus qui in *Sum. Concilior.* 21. est, incipit *Cap. Omnis utriusque Sexus*, confirmat annuam & Paschalem communionem præcipit. 50. & 51mus in conjugio prohibitum cognationis seu affinitatis ad quartum gradum restringit. 61. de reliquiis antiquis extra capsam non ostendendis nec vendendis, novis absque Pontificis Romani approbatione non exhibendis tractat: & ne permittant Prælati de coetere illos, qui ad eorum Eccle-

Ecclesias causa venerationis accedunt, vanis figmentis, aut falsis decipi documentis; sicut in plerisque locis occasione quaestus fieri consueverat. Canon 62. Moderationem indulgentiarum praescribit; sic, ut Episcopis non liceat, nisi in dedicatione Ecclesiae extra annum, & in anniversario dedicationis ultra 40. dies indulgentiarum concedere &c. Can 64to Monachis monialibus & quibuscumque regularibus prohibetur, ne sub palliato praetextu paupertatis recipiant aliquos ex condicto pretio: & contrariantes ad perpetuam poenitentiam, in alio monasterio subeundam damnantur. Canon III. in quo sub poena depositionis praecipitur Regibus & Principibus, ut militent contra Albigenes, non creditur Conciliariter conditus, sed à solo Papa. Neque additur: *Sacro approbante Concilio*; & plures Episcopi contradixerunt, ut refert Matth. Paris.

CONCILIIUM GENERALE

XIII.

LUGDUNENSE

PRIMUM.

§. LXXVIII. Fridericus II. Imperator avum patremque æmulatus, egregias corporis animique dotes, bellicam scilicet fortitudinem, munificentiam, consiliorum sagacitatem, laborum tolerantiam, vitiis non paucis nec parvis, hæditario imprimis in Sedem Apostolicam odio obscuravit, Romani Pontificis quasi ex professo hostis, Ecclesiae malleus, & alter veluti Typhæus terræ filius, eò vecordiae proventus est, ut Jovem de coeli possessione dejicere conaretur, quapropter fulmine ab eodem iectus. Quod quidem in se vibratum sensit, haud tamen continuo resipuit. Posteaquam igitur Innocentius IV. P. M. eundem de justitia & pace nequidquam interpellasset, Galliam
 adiens,

adiens, Lugdunum, quod est Galliaë Celticæ emporium celeberrimum, conditum in colle supra confluentem Rhodani & Araris, ad Generale Concilium Ecclesiæ univērsæ Antistites convocavit.

§. LXXIX. Anno 1245., non priori, ut Platina, Nauclerus & Cranzius tradiderunt; neque sequenti, ut Trithemius, Langius &c. scripserunt, Synodus inchoata fuit die Lunæ post festum S. Joannis Baptistæ in ædibus monachorum S. Justini.

Præfedit Pontifex comparentibus 140. Prælati, inter quos duo Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus, præsentem etiam Balduino Orientalium Imperatore; Nulli ex Palæstina præter Episcopum Beritensem, qui casu illuc advenerat, nulli ex Hungaria, Polonia, pauci ex Germania. Referunt, quod Innocentius in elegantissima illa, quam ad Patres habuit, oratione textum ex Jeremia assumpsit. *O vos omnes, qui pertransitis, videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Et quod quinque Christi vulneribus assimilaverit plagas, quas sustinuit à Tartaris, Schismaticis, hæreticis, infidelibus & ab Imperatore. Quidam Thadæus, Imperatoris affecla, proposuerat, ut Imperatorem illum in persona pro defensione suæ causæ admittere juberet: cui respondit Innocentius, se non credere, sibi gratiam martyrii à Deo datam.

§. LXXX. Fuit itaque in hoc Concilio Generali Sacrilegii, perfidiæ, contumaciæ, proditiōis, inite cum Saracenis Societatis reus declaratus, eique Sacrorum usus interdicitus, Imperium ademptum, potestate facta Electoribus alium eligendi. Fuit quoque Vaticanis Consiliariis pro insigni datus pileus rubeus, quo scilicet commonerentur, paratos semper se esse debere, ad sanguinem pro Ecclesiæ libertate fundendum. Nativitas B. M. V. per octiduum celebrari jussit. Nova item in Palæstinam expeditio decreta, duce S. Ludovico Galliaë Rege.

§. LXXXI.

§. LXXXI. Canones 17. potiori ex parte Libro VI. Decretalium sunt inserti. Quidam Gallorum, ut elidant depositionem Friderici legitimè factam, etiam à potiori parte Episcoporum, dubitari posse censent, an illi universalem Ecclesiam sufficienter repræsenterint, cum pauci præter Italos, interfuerint Episcopi; observantque quod in Concilio Constantiensi *sess.* 39. in formula confessionis fidei Pontifici eligendo fieri solita, dum Concilia Generalia enumerantur, unius tantum Concilii fiat mentio Lugdunensis, per quod Lugdunense posterius intelligatur.

CONCILIIUM GENERALE

XIV.

LUGDUNENSE

SECUNDUM.

§. LXXXII. Ob quatuor potissimum causas hæc Synodus coacta fuit a Gregorio X. Pontifice Maximo. Pro determinanda tandem controversia de processione Spiritus Sancti, quæ inter Latinos & Græcos diu viguerat. Pro tentanda rursus terræ Sanctæ recuperatione. Pro Sancendis legibus, quæ deinceps in electione summi Pontificis servarentur. Item pro restauranda Ecclesiastica disciplina.

Anno Dominicæ Incarnationis 1274. die 7ma Maji inchoatum fuit hoc Concilium. Præsedit Gregorius X. in propria persona. Nam quod Bonaventuram præsedisse ajunt Sixtus IV. in Bulla Canonizationis & Sixtus V. in Bulla quæ eum Doctoribus Ecclesiæ adnumerat, ita Gelafinus interpretatur in ejus vita, ut dirigendi Concilii curam Bonaventuræ commiserit, providendi scilicet, quæ proponenda essent: primas enim habere præsentem Pontifice non potuit. Adfuerunt item Opizion Patriarcha Constantinopolitanus & Pantaleon Antiochenus, 15. Cardinales,

nales, 70. circiter Metropolitanis, 500. ferme Episcopi, 60. Ab-
bates, 1000. Decani, Doctores, Priores. Visus ibidem quoque
Jacobus Aragoniæ Rex. Accessere Magistri supremi Hospitalium
& Templariorum. Non adfuit Michaël Palæologus Imperator
Orientalium, quod volunt Platina, Trithemius, Sabellicus, Nau-
clerus, Vignier, Sidonius & alii recentiores, decepti per Blon-
dum; sed legatos miserunt, tam hic, quàm Rudolphus Impera-
tor Rom., item Abagla Tartarorum Rex, quorum aliqui ex 16.
missis, baptismum receperunt.

§. LXXXIII. Sessione VII. Legati Michaëlis litteras exhi-
buerunt, vigore quarum recepta fuit abjuratio Schismatis, pro-
fessio fidei pariformiter Ecclesiæ Romanæ, & signanter de pro-
fessione Spiritus Sancti a Filio. Quare in Symbolo fuit ter repe-
ritum: *Qui ex Patre Filioque procedit*, dum Festo SS. Petri &
Pauli Missarum solemnia celebrarentur à Pontifice. Quibus ab-
solutis Græci idem Symbolum bis cantaverunt repetiveruntque:
Qui a Patre Filioque &c.

Finita fuit Synodus 17. Julii, Canones conditi 31.; quos
Bonifacius VIII. Libro 6to Decretalium inseruit, Guilelmus Du-
randus dictus Speculator commentariis illustravit, quibus Ma-
julus notas adjecit.

CONCILIIUM GENERALE

XV.

V I E N N E N S E.

§. LXXXIV. Cum Clemens V. P. M. ante aliquot annos Ro-
manam Sedem Avinium transtulisset, Zi-
zanium in agro, Dominico inimicus homo copiosè seminaverat,
quæ

quæ usquè adeo invaluerat, ut ipsum triticum suffocari videretur. Ad illam itaque averruncandam idem Pontifex Generale Concilium indixerat celebrandum Viennæ, quæ est Allobrogum civitas ad Rhodanum fluvium.

§. LXXXV. Anno 1311. prima die Octobris (Chorierus in *Hist. Delph.* 20. Januarii assignat) cœptum fuit hoc Concilium. Præfedit Clemens. Interfuere Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, aliisque Prælati circiter 200. Philippus Pulcher Galliarum Rex, unâ cum fratre suo, tribusque filiis, quorum unus Ludovicus Hutinus, Navarrae Rex, ibidem comparuit. Quod quidam tradunt Reges Angliæ & Aragoniæ quoque adfuisse, Spondanus absolute falsum dicit.

§. LXXXVI. Quæ tractanda suscipi deberent, proposuit Clemens nimirum terræ Sanctæ recuperationem, Templariorum extinctionem, hæresium condemnationem, & morum reformationem. De secundo extat sanctio per modum provisionis, seu Ordinationis Apostolicæ Viennæ 6to Non. Maji, vigore cujus ordo ille famosus extinguendus decernitur. Quantum ad tertium, exortæ hæreses apud Novarienses per Dulcinum, qui se tertii Regni caput jactabat, & Margaritam conjugem, profligatæ; ejusque sectatores, Waldensium progenies exterminati, qui sustinebant fornicationem, impulsu charitatis factam, non esse peccatum, & more bestiarum cohabitabant. Damnati quoque Beguardæ & Beguinæ, Albigenisum fœtus. Ubi observandum venit duo Beguardorum & Beguinarum esse genera. Alii Ordinis approbati à Joanne XXII., & Beguinæ institutæ sunt à Begga S. Gertrudis Sorore, aut certè à Lamberto Begga presbytero in Belgio. Aliæ in communi viventes sine professione, docentes hominem adeo perfectum evadere posse in præsentî vita, ut nec peccare amplius queat, nec justior fieri; osculum mulieri impresum esse peccatum mortale, cum ad hoc natura non inclinât:

A a a

actus

actus autem fornicationis, cum ad copulam humana natura vehementer inclinaret, non esse peccatum: maxime quando exorcens, qui docent usuras non esse peccatum. Fuit quoque in eo sancitum, ut festum SSmi Corporis Christi ab Urbano IV. institutum per univ[er]sum orbem Christianum solemniter cum Octava celebraretur, concessis indulgentiis iis, qui tunc devote intererunt officio divino. Fuit etiam ordinatum, ut in Academiis instituantur Professores Sacrarum Litterarum periti, quatenus sic Judæi Mahemetani &c. facilius possent converti. Multum quoque, sed irritum conatu, Rex Galliarum instituit, ut Bonifacius Papa VIII. condemnaretur. Ejus tamen acta contra Regem & Regnum Galliarum fuere per Clementem V. rescissa. Quæ circa Templarios acta, fusius habentur in *Controversiis Eccles. Historicis*. Cæterum quæ sunt in eo Concilio factæ Constitutiones, Libris Decretalium adjunctæ sunt; quæ Clementinæ nuncupantur, atque à Joanne XXII. Anno 1317. solemniter publicatæ.

Finitum fuit Concilium 6. Aprilis 1312. adeoque sex mensibus duravit, quamvis alii ad biennium extendant.

CONCILIUM PISANUM.

§. LXXXVII. Post mortem Gregorii XI. P. M. exortum Schisma omnium deterrimum & diutissimum lustris sex jam peractis sic inoleverat inter Pontifices Romæ & Avinione electos horumque affectas, ut inconsutilis Christi toga, diversarum nationum factione scissa videretur nulla reparabilis arte. Fuerat quidem pro unione indictus Conventus Savonæ in territorio Genuesi, quo Gregorius XII. Romæ & Benedictus XIII. Avinione sedentes sese pariter recipere deberent. Verum cum neuter operi tam necessario, tanto, quo uterque debuisset, cooperari vellet conatu; hæc quoque præmeditata medela expectationi rectè sentientium minimè correspondit.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII. Nihilominus Anno 1408. utriusque obedientia Cardinales Livorni convenerunt, quatenus de concordia inter fideles restituenda eadem statuerent, quæ huc maximè profutura potior pars sustineret. Denique post maturam rerum deliberationem communi consensu conclusum fuit, unicum & maximè necessarium animos componendi esse remedium Generale Concilium quod proinde Florentinorum permissu, indicarunt Pisis in Hertruria celebrandum insequenti anno, die 25. Martii. Comparuerunt ibidem, ultra viginti Cardinales, Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, item Hierosolymitanus, 180. Presules, 300. Abbates, 282. Theologi, Legati quoque divetorum Principum.

§. LXXXIX. Sessiones habitæ fuerunt 23. Sessione 14ta, quæ habita fuit 5ta Junii, duo competitores Gregorius & Benedictus fuerunt depositi, iisque prohibitum usurpare officium & nomen Pontificis Romani. Sessione autem 19na, quæ 26. ejusdem mensis habita fuit, in Pontificem electus fuit Petrus de Candia ex Ordine FFm. Minorum Archi-Episcopus Mediolanensis, qui nomen assumpsit Alexandri V., cunctaque quæ in Concilio hoc decreta fuerant, sua autoritate approbavit, atquè utriusque obedientiæ Cardinalium Collegium in unum redegit. Demum protestatus fuit, hoc unum se pro viribus moliturum, quomodo Ecclesia Catholica in Capitè & in membris ad meliorem disciplinam reduci valeret. Hunc in finem intra triennium Concilium loco opportuno celebrandum indixit, applaudentibus cunctis pacem & concordiam amantibus.

Verum enimverò evenisse compertum fuit, quod scripsit Ovidius de Ponto. L. 3. eleg. 7.

Curando quedam fieri majora videmus vulnera.

Tantum enim abfuit, ut sublatum fuerit scandalum, ut potius multiplicata factione novum sumplerit incendium: quod

quidem, frustra amotis corivalibus, qui se pro Vicariis Christi gerere persistebant, tertius sit additus. Atque adeo Schisma fuit velut cancer aggravescens medendo, aut Dædali Labyrinthus inegressibilis, seu fabulosæ hydræ caput, evadens sua recessione fecundius; sic, ut desiisse videretur consilium à Sapientibus. Proindeque plures eruditione & Sanctitate conspicui viri tunc viventes, inter quos Sanctus Antoninus *Sum. hist. part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3.* asseruerint Conciliabulum illegitimum, non verum Concilium œcumenicum fuisse, quod à nullo postea Pontifice indubitato fuit approbatum; quamquam nec improbatum fuerit. Quod autem in confirmationem quidam adducunt legitimæ electionis, Alexandrum VI. si Patres de Concordia non legitimè elegissent, sese appellare debuisse Alexandrum V., ficulneum est argumentum, ut videre est in *Controv. Eccl. Historicis.*

CONCILIUM GENERALE

XVI.

CONSTANTIENSIS

§. XC. Vix decem mensibus Petrus de Candia in asserto sibi Pontificatu vixerat, quando vir decrepitæ ætatis è vita excessit. Huic non multò post Balthasar de Cossa Bononiæ fuit substitutus, qui nomen Joannis Vigesimali tertii assumpsit. Nihilofecius Petrus de Luna in Hispania sub nomine Benedicti XIII. & Angelus Corarius sub nomine Gregorii XIII. in Italia sese pro Pontificibus habebant, & à diversis Nationibus agniti fuerunt: adeoque Schisma illud longævum nullo sine terminandum videbatur, nisi tribus hisce viris abrogatis in Concilio Generali unus verus legitimus atque indubitatus ovilis Dominici Pastor postliminio crearetur. Et quoniam in Concilio Pisano ordinatum fuerat, ut intra triennium tale Concilium con-

voca-

vocaretur; præfatus quidem Joannes Anno 1412. tale Romæ indixerat: sed, quod nonnisi pauci Episcopi comparuissent, in aliud tempus dilatum fuit. Interea ope & studio nunquam satis laudando Sigismundi Imperatoris fuit coacta Oecumenica Synodus Constantiæ in Germania ad Lacum Podamicum.

§. XCI. Anno 1414. hæc Synodus initium sumpsit juxta decretum Joannis P. M. prima die Novembris. Non fuit tamen sessio habita, nisi 16ta ejusdem mensis. Comparuerunt præter utriusque obedientiæ, 4. Archi-Episcopi, 47. Episcopi, 160. Abbatés, Doctores tum Theologi tum Canonistæ quam plurimi, inter quos S. Vincentius Ferrerius, Joannes Gerson Cancellarius Academiae Parisiensis, Petrus de Alliaco. Adfuere præter Imperatorem Principes Germaniæ, Regum Catholicorum Legati. Festo Natalis Domini, celebrante eodem Pontifice, Imperator in habitu Diaconi Evangelium cantavit. Sessio secunda fuit habita 2da Martii 1415. in qua Joannes Pontifex renuntiavit ea conditione, si duo competitors pariter renuntiarent: Sive autem metu coactus, sive indeliberate hoc fecerit, facti pœnitens nocte sequenti aufugit. Non multò tamen post reductus, inquisitus, convictus fuit depositus sess. 12ma die 29. Maji. Post biduum ipsemet in forma cessit Papatui. De Sess. 4. & 5. vide *Controversias Ecclesiast. Historicas*. Sessione 14ta Gregorius quoque per Carolum Malatestam cessit, remanente ad mortem usque in pertinacia Petro de Luna, cui anathema dictum. Sessio 15ta damnata memoria Joannis Wicklef Sacerdotis Angli mortui Anno 1384., sed exhumati & jubente Concilio, combusti. In Eadem sessione fuit condemnatus articulus ille: *Quilibet Tyrannus potest & debet licitè ac meritorie à quovis occidi Vasallo suo vel subdito, etiam per clancularias machinationes, non obstante quocunque præstito juramento seu confederatione, non expectata sententia vel mandato judicis cujuscunque.* Hic fuit Doctoris Joannis Petit, Doctoris Parisiensis, in Libello quem edidit pro justificatione

ficatione Caroli Ducis Burgundi, qui assassinio sustulerat Ludovicum Aurelianensem, fratrem unicum Caroli V. Regis Galliarum. Quæ quidem sententia jussu Episcopi Parisiensis Anno 1414. condemnata, & Liber igni traditus fuit. Cùm verò mortuo Joanne Petit procuratores Ducis Burgundi ad Concilium Coastantiense appellassent, ibidem condemnatus sed suppresso nomine ad instantiam partis. Insuper in illa sessione Joannes Hus Sacerdos Bohemus, auditus, hæresis convictus, degradatus, sabbatho, quod fuit 6ta Julii, combustus fuit. Sessione 19na hujus assella Hieronymus de Praga suos ejuravit errores: verùm cùm ad vomitum reversus fuisset: rursus comprehensus rogo adjudicatus fuit 30ma Maji 1416. Sessione 41ta, quæ habita fuit 11. Novembris 1417., mortuo jam Joanne, fuit in Pontificem electus Otto Columna, qui fuit dictus Martinus V. Anno 1418. 12ma Aprilis habita fuit sessio 45ta quæ fuit ultima. Quâ finitâ Cardinalis Umbaldo alta voce pronuntiavit: *Domini ite in pace.* & responderunt omnes; *Amen.*

§. XCII. Martinus V. omnia & singula in Synodo hac determinata, conclusa & decreta in materiis fidei, alia etiam, quæ Conciliariter facta, approbavit, & ratificavit, & non aliter, & non alio modo. Unde hanc approbationem non cadere supra decreta sess. 4tæ & 5tæ, quæ non nisi tumultuarie, repugnante majori ex parte, & nondum constituto capite cusa, plurimi volunt, & recentissimè multis ostendit P. Leytam.

§. XCIII. De Joannis Hus condemnatione in hoc Concilio declarata ingens hodie dum à Sectariis, qui hunc sibi vendicant prodromum, movetur litigium, prætenduntquæ contra fidem datam tentum ac infami morti adjudicatum; quandoquidem Sigismundus Imperator eidem saluum conductum Pragam miserit, quò Liberè Constantiam venire, ibi morari & Pragam reverti liceret.

Sciendum itaque quod Joannes Hus obscuro loco in Bohemia natus, quondam Reginae confessorius, vividus moribusque compositus Universitatis Pragensis Rector condemnatam Wicklesi doctrinam amplexatus, Romam venire iustus fuerit, & ad instantiam Reginae ac Archi-Episcopi per procuratores comparuerit. Demum ad Concilium Generale citatus sub salvo conductu Imperatoris comparuerit. Ast cum suis pertinaciter inhæreret opinionibus manifestè hæreticis, post septem mensium examen iussu Concilii degradatus & brachio sæculari extraditus; cujus iudicio ad vivicomburium fuit damnatus.

Atque imprimis in comperto est, Generale Concilium nullum Joanni Hus dedisse salvum conductum, cum neque in actis Concilii neque apud ullos etiam adversæ religionis historicos, hunc à Synodo datum habeatur. Imo sine ullo salvo conductu profectum illum fuisse testantur ejus epistolæ 5ta, 6ta. & 41ma. Sigismundus deinde Spiræ Anno 1414., 18. Octobris hunc salvum conductum, qui ad maturandum iter spectabat, impertiit. Nemo Joanni in itinere nocuit, ubique humanissimè exceptus, Constantiæ etiam bene habitus suo vivebat arbitrio. Testatur id Plebanus de Janowiz ejus contubernalis epistola 4ta, inter Hussianas, data Constantiæ Sabbatho ante Martini. *Liberi sumus, scribit, omnino in Constantia & Magister divina quotidie peragit, & in tota via pergit hucusque.* Idem perhibet Hus epistola 5ta. Verum ubi adverteret se deprehensum, quod contra pacta propria in itinere ubique programmata & dogmata valvis Ecclesiæ affixisset, quibus denunciabat se Constantiam proficisci, ut horum rationes redderet, & unicuique, qui ipsum erroris convincere vellet, responderet, voluit se examini & iudicio citatus subducere contra ejusdem Imperatoris iussione, ne errores revocare compelleretur, atque ut ne in Bohemiam redux hæresin impunè spargere pergeret, interim retentus carcerique addictus fuit. Itaque prætendunt Hussi paratastæ, quod salvus conductus fuerit violatus.

§. XCIV.

§. XCIV. Qui id negant, non eadem ducuntur ratione Ludovicus Maimbourg scribit, saluum conductum datum fuisse à Sigismundo, postquam Hus declaraverat, se velle comparere, & sese submittere iudicio Concilii, si erroris convinci posset, & quod illo præstito posset liberè reverti. Varillay duplicem saluum conductum datum à Magistratu Constantiensi & Imperatore. Rosweidus ait, insertum fuisse, *salvâ justitiâ, & sine religionis præiudicio*, clausulam subintellectam, aut necessariò subintelligendam. Sunt, qui ex tenore ipso salvi conductus, à patronis Hussi non satis bene intellecti, ut est apud Cochlearum & Bzovium, evincere volunt, quod nonnisi quædam commendatio fuerit, ut à magistratibus oppidorum urbiumve, qua Hus transfret, bene haberetur, & liberè transire permetteretur. Alii censent, quod salvus conductus nihil tribuat illi, cui datus, quam securitatem contra vim injustam, salva semper juris ac legum executione. Verùm quia jus gentium, atque ipsa lex naturalis violentam & quamvis iniquam invasionem aut injuriosam actionem proximo inferendam prohibet; salvus conductus à potestate sive Ecclesiastica sive sæculari alicui concessus, quid ultra in se protutamento impetrantis continere debet, quo scilicet à quacunque aggressione, quæ ex vero seu etiam præsumpto delicto apprehenditur, sit immunis. Unde etiam, qui V. G. homicidii crimen commisit, vigore salvi conductus obtenti liberè in ipsa civitate moratur, ubi aliàs hujusmodi delictum punitur. Et sanè ipsimet hæretici aliàs justo metu ad Concilium Tridentinum accedere fuissent absterriti, si salvus conductus à PP. ejusdem Concilii illis datus nonnisi securitatem ab iniqua aggressione tribuisset.

Sed quid? quod L'enfant, Gallus natione, è Protestantum coetu in Germaniam profugus *in hist. Concilii hujus* recentissimè edita fateatur, quod Concilium universum non violaverit saluum conductum? Nam jussu particularis congregationis fuit Hus detentus, adeoque penes Imperatorem tunc erat decernere, quid, habito

habito respectu ad concessum saluum conductum, esset statuen-
dum. Priora concernebant forum Ecclesiasticum, in quo Im-
perator poterat nequidquam illi præjudicare. Et quoniam no-
verat Hus fastu turgidus, adversarios suos, ut adessent omnes
ad ipsum coarguendum non posse recusare pœnas hæreticis de-
bitos, si de errore in fide convinci posset, ipse verò manifestè
convictus fuerit, Imperator auditus fuit aliquando dicere.
*Quodsi Hus perseverare vellet pertinaciter in hæresi, se paratum es-
se propriis manibus ligna adferre & bustum incendere.*

§. XCV. Accedit, licet Hieronymo de Praga Concilium,
non verò ipse Imperator dederit saluum conductum, quem
non dederat Hussio, neuter tamen de violata fide publica fue-
rit conquestus. Cum Hus duceretur ad supplicium paloque
alligaretur, multa protulit de doctrina & innocentia sua, multa
contra testes pariter & iudices; ad Christi tribunal appella-
vit: haud tamen conquestus est de violata fide. Epistolas
aliquot ex carcere scripsit ad familiares, multa recenset, in qui-
bus sibi injuriam illatam depromit: non tamen causatur, quod
Concilii Patres contra datum promissum innocentem retinuerint.
Hieronymus Pragensis magna facundia & libertate causam suam
in Concilio egit: sed quod ipse aut Joannes Hus contra saluum
conductum aliquid pateretur, aut passus fuisset, nec verbo con-
queritur. Extat quidem querela ejusdem Hussii adversus Sigif-
mundum, quod salvi conductus fidem violaverit: sed non est
credendum reo adversus judicem, hæresiarchæ adversus Impe-
ratorem Catholicum, injustè secum agi: cum Imperator nihil
non egerit, ut salvus esset, suaquè protectione gauderet. Non
erat Rex major Deo, nec fide nec justitiâ, neque Concilio Eccle-
siam universam repræsentante, ut plurimis deducit Cochlaus
Lib. 2. Hist. Hussit. pag. 80.

§. XCVI. Porro de hoc Joanne Hus horum temporum
sectarii deblaterant sanè ridicula. Et imprimis, quod cum ad
Bbb rogam

rogum duceretur, prædixit: *Post centum annos ex cineribus meis veniet Cygnus, quem affare non poteritis.* Quod quidem vaticinium nullus auctor fide dignus retulit. Et si dixisset, unde constat Lutheranis, hæc, ut prætendunt, dicta de Luthero, cujus effigiei cygnum ideo apponunt, & non potius de Zwinglio, Carolstadio, aliove esse locutum? siquidem dum temporis ratio strictè observaretur, vaticinium non est de Luthero, quia ab Hus usque ad Lutherum plures quàm centum anni sunt elapsi. Si autem Chronotaxis non strictè observanda erit, cur non æquè de Calvino, Mennone, Socino, aliove sectario intelligi possit? Ast neque Lutherus fuit cygnus, sed potius corvus, qui ex Arca Noe, Ecclesia avolans, dum morticinæ carni infedit, benequè pastus, non fuit amplius reversus.

§. XCVII. Deinde mirum in modum Novatores deprædicant Hussi raram ad mortem usque constantiam & fortitudinem animi, quam, etiam testimonio Aneæ Sylvii postea Pontificis Maximi probant, scribentis quod *ad supplicium velut ad convivium processerit, nec verbo signove animi dolorem expresserit, quod in medio flammarum hymnos cantaverit, quod nullus Philosophorum tam lete lethum obierit &c.* Illud quoque Spectatores literis mandârunt authenticis: atque hinc Theodorus Beza *in suis Virorum illustrium doctrina simul & pietate, ac prætorum Martyrum & Christianismi instauratorum iconibus Hussium infert. Cujus minimè obstrepero, sed suavissimo ac planè tempestivo clangore, coelitus potius, quam ex terra sonante veterinosi tot Sæculis Christiani sint excitati.*

Nescivit fortè Beza, aut se scire simulavit & Dæmonem suos habere martyres. Non ex passione certa est justitia: sed ex justitia passio gloriosa redditur. Scribit S. Augustinus *Lib. 1. cont. Panormit:* Laus martyrii est in causæ bonitate, ut idem docet *in Psalm. 68.*, non in penæ acerbitate. Multum differunt constantia,

ria, quæ juxta S. Thomam Aquinat: *in 2dam 2dæ quest. 173. art. 3.* est virtus faciens firmiter persistere in bono contra difficultatem, & Pertinacia, qua in malo proposito obfirmatur animus. Et quamvis pertinacia videri velit ipsissima constantia: atamen est rabida quædam ac vecors audaciæ series, & prorsus obstinatio inconsulta: cujus ut principia sunt prava, ita impetus sunt efficaces, conatus temerarii, exitus infauti.

§. XCVIII. Mirari subit, qua fronte Protestantes sese Hussio fociare velint, obstante dilucida æquè ac multiplici antipathia, quæ suæ cum Hussitarum doctrinis intercedit. Præterquam enim, quod Hus transubstantiationem crediderit & scriptis suis sustinuerit, non est ullus sensatus, qui in triginta articulis, à Concilio damnatis, non multa advertat dogmata, quæ à Calvini sectatoribus nequaquam admittuntur, Nempe Papam, saltem cum bene vivit, esse Vicarium Christi & Petri successorem. Quod tamen Hus sustinuisse eruitur ex damnato articulo 12. qui sic habet. *Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus* &c. Art. 17. & 18. Clerum per suas censuras parare antichristo art. 19. Cùm tamen ministri Protestantum plenis buccis ubiquè decantent Antichristum jam venisse & hunc esse Papam. Docuit etiam Hus Prælati potestatem tantò esse majorem, quanto magis operibus meritoriis in rem Ecclesiæ abundaverit: & tamen Protestantes nihil magis averfantur, quàm bonorem operum merita. Denique ex citato Aenea Sylvio compertum habemus, quod Hussitæ admittant quinque Sacramenta, scilicet Baptisum, pœnitentiam, Eucharistiam, ordinem & matrimonium. Cum interim plerique Protestantium nonnisi duo Sacramenta agnoscant, pœnitentiam, Ordinem & matrimonium respuant; non poterunt igitur cum Hussitis inire religionis consortium atque unam conflare Ecclesiam. Ut enim Calvinus tradit ejusque sectatores communiter profitentur, unum ex duobus primariis indiciis seu notis, quibus vera Christi Eccle-

ſia ab aliis ſecreta dignoſcitur, eſt legitima Sacramentorum admi-
niſtratio. Atqui hæc pervertitur, ſi vel Sacramenta vera igno-
rentur, vel veris Sacramentis commentitia admiſceantur.

CONCILIUM GENERALE BASILIENSE.

§. XCIX. In concilio Constantienſi ſeſſione 44ta fuerat conſtitu-
tum, ut frequenter deinceps generalia Concilia ce-
lebrarentur: fuitque tunc pro proximo celebrando Anno 1423.
designata Pavia, ubi cùm nulli tranſalpini præter duos Abbates
Burgundos & Joannem Boſtonum Carmelitam à Clero Anglica-
no deputatum comparuiſſent, propter graſſantem ibi peſtem,
Senas translatum fuit ibidemque eodem adhuc anno 8va Novem-
bris initium ſumpſit. Præſedit ibidem Martinus V. P. M. Reſo-
lutum erat cauſam Huſſitarum ingraveſcentium proſequi, An-
tipapam Benedictum XIII., cui Alphonſus Rex Aragoniæ adhuc
adhærebat, ruruſum anathematizare, Græcos ad communionem
reducere: Verum quia Patres, inter quos quidam è Germania
& Gallia, non ſatis multi conveniebant, ſub prætextu peſtis, de
qua rumor erat, jufſu Pontificis Concilium diſſolutum fuit in
Februario anni ſequentis. Et Papa qui præſederat, indixit aliud
intra ſeptennium celebrandum Baſileæ Raucorum ad Rhenum.
Anno 1431. idem Pontifex illuc miſerat Julianum Cæſarini Car-
dinalem S. Angeli: ſed Martino paulò poſt vita functo Eugenius
IV. ejus ſucceſſor illud Concilium proſequi jufſit, omneſque
Epiſcopos illuc convocavit menſe Julio. Prima tamen ſeſſio non
fuit habita quàm 14ta Decembris eodem anno: præſeditque me-
moratus Cardinalis Julianus. De Patrum numero non uſque
adeo conſtat, quamvis alii 100. ab initio interfuiſſe velint.

§. C.

§. C. Hic autem ordo fuit constitutus atque observatus, ut quatuor Nationes Germanica, Gallica, Hispanica & Italica in quatuor conventus distribuerentur, quos *Sacras deputationes* appellârunt, quibus propria indita nomina, secundum negotia ipsis demandata, scilicet *fidei, pacis, reformationis & communium*. Pari numero constabant ex omni natione & Ordine Magistratus, præside, promotore, ministris, Notario &c. Ter in hebdomade conventiones habitæ, & propriis in prætoriis, ubi res divina peracta fuerat, negotiis publicis operam dabant. Ex quatuor deinde conventibus viri deputabantur terni ex singulis, doctrinâ prudentia atquè rerum agendarum pericia clariores, quocum Magistratus mensurus erat. Finito mense, quatuor ex antiquis permanebant, qui octo recens allectos instruerent & dirigerent. Hi ter in Hebdomade conveniebant, ad quos primùm omnia negotia referebantur, iisque discussis vel rejiciebantur vel ad quempiam ex conventibus remittebantur. Concilii præses nihil ad Patres referre poterat, nisi de quo prius à quatuor conventibus seu deputationibus sacris maturè deliberatum esset, aut saltem à duobus, si quid novi emerisset, quod moram non pateretur. Sessio secunda habita Ao. seq. in Februario, in qua declaratum, quod Synodus in Spiritu Sancto congregata & Ecclesiam militantem repræsentans potestatem immediatè à Christo habeat, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiam Papalis, obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis & generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris. Sessio 3tia habita fuit 29. Aprilis, in qua reperuntur, quæ in priori fuerant definita. Insuper decretum, dissolutionem Concilii nullatenus fieri posse per Eugenium, quoniam sit contra Constitutionem Concilii Constantiensis. In aliis sessionibus nihil habetur: sed Papa duntaxat commonetur, ut veniat ad Concilium, & accusatur ejus contumacia nolentis parere.

§. CI. Interea Eugenius Papa hujus Concilii dissolutionem, non obstantibus quibuscunque, decrevit Anno 1431. Legatum revocavit, aliudque Concilium Generale Bononiæ post annum & semestrem celebrandum indixit, ubi se cum omnibus Cardinalibus adfuturum promisit. Rationes fuere paucitas Prælatorum hyemali tempore, nec spem esse ut plures aliquando convenirent, bellum inter Philippum Burgundum & Fridericum Austriacum duces flagrans. Græcis, qui ad unionem aspirabant Basileam venire nimis difficile esse & Bononiam hos elegisse. Audivisse etiam Patres admisisse Hussitas aliosque hæreticos ad disputationem in dedecus & contemptum Sedis Apostolicæ. Adversam etiam valetudinem causatus fuit Pontifex, ob quam tam longum & difficile iter non posset peragere, item gravia negotia suâ præsentia Romæ indigere; adesse quoque alias causas, quas litteris explicare tutum non esset, neque reipublicæ expedire has omnibus esse perspectas.

Acceptis Eugenii litteris Sigismundus Imperator Placentiæ 1432. 9. Januarii scripsit, & ex Pontificis decreto rescindente innumeras calamitates, discriminosâ pericula & scandala toti orbi Christiano successura remonstravit: quamobrem rogat, ut Synodum Basileæ celebrari sinat, nec dissolutionem urgeat, sed bullam de ea re datam revocet. Longe acriori Stylo in Spiritu vehementi scripsit Julianus Cardinalis Præses, ostenditque non posse sine gravissimo fidelium scandalo & fidei periculo Concilium dissolvi, Patres obfirmasse animum ad ejusdem continuationem: rationes Bullæ insertas esse falsas &c.

§. CII. Ao. 1432. 2. Mart. in II. sess. PP. declarant Concilio competere superioritatem à Christo datam. In III. sess. 19. April. Papam citant. In VI. declaratur contumax. Itaque Anno 1433. Kalendis Januarii sess. 16ta Eugenius annullat dissolutionem a se factam, & declarat Concilium à principio inchoationis suæ fuisse & esse legitime congregatum, revocatque bullas, quas ad dissolutionem dederat. Unde Nat. Alexander & Galli passim deducunt,

cunt, evidens esse, quod Papa Synodum Basiliensem usque ad sessionem 16tam expressè confirmaverit.

§. CIII. Deinceps in Congregatione Generali Nationum Legati Eugenii incorporati sunt Concilio nominibus privatis, deum præsentente Sigismundo iidem in Concilio præsidentes sunt admissi nomine & vice Eugenii Papæ, cujus quidem locum tenerent: sed absque jurisdictione coactiva, & salvis modis antea in Concilio observatis, & ut acta Concilii Bulla & Sigillo ejusdem Synodi obsignarentur. Sessione 21. decretum de annatis non exigendis tam in Curia Romana, quàm alibi pro confirmatione electionum &c. Sessione 24. 1434. 18. Kalend. Maji celebrata, conceduntur indulgentiæ plenariæ, qui certam pecuniæ summam pro Græcorum subsidiis dependerent (hi enim resolverant ad Concilium in loco quodam maritimo Italiæ celebrandum, sumptibus Latinorum venire) & necessitati Ecclesiæ succurrerent. Andreas Duvallius Doctor & Professor Sorbonicus in præfatione Libri de authoritate Papæ & Concilii, criminatur quod hoc concilium sibi arrogaverit jus concedendi indulgentias plenarias, & tum ipse, tum Spondanus illud accusant, quod indulgentias quæstuosas largitum fuerit, venumque exposuerit merita Christi & Sanctorum, ac sordidum indulgentiarum abufum introduxerit. Natalis Alexander tom. 8. Dissert. 8, art. 3. num. 54. & 55. prolixè defendit concessionem harum indulgentiarum, & legitimas fuisse conatur probare.

§. CIV. Sessione 25. Orta inter Patres dissensione de Loco Concilii futuri pro Græcorum unione procuranda, duo contraria decreta edita sunt. Unum à Concilii præsidibus & plerisque præsulibus iis adhærentibus, quo Florentia & Utinum nominata sunt loca, Græcis & Pontifici Romano commoda. Portum Venetum, Ariminensem & Ravennas, quem Græci mallent, pars Synodi reliqua, duce Ludovico Cardinali Arelatenfi numero quidem

dem major: sed ex ordine Sacerdotali constans, selegit. Insuper Decretum fuit, ut fieret Concilium Basileæ, Avinione, aut in Sabaudia: atque omnibus singulisque personis Ecclesiasticis, etiamsi cardinalitia aut Pontificali dignitate fulgeant, decimam omnium Ecclesiasticorum proventuum partem imponit solvendam. Cum verò hæc pars nollet permittere, ut sigillo alterius partis nomine Concilii subsignaretur: Præsides novo decreto sanciverunt, ut Sigillo Cardinalis S. Petri ad vincula Archi-Episcopi Panormitani & Episcopi Burgensis crederetur, quorum opera ipsorum litteræ sunt munitæ. Hoc probavit Eugenius IV. suo diplomate, ad instantiam Sigismundi Imperatoris, qui tunc Basileæ erat, & dum cum Eugenio convenire non potuisset, se protectorem Concilii edixit.

§. CV. A sessione 25ta in duas partes scissi Patres, eorum conventus non amplius repræsentare poterat Ecclesiam universalem, præsertim cum plerique Episcoporum discessissent, & ex Sacerdotibus tantum potissimum constaret. Sessione 26ta pridie Kalendas Augusti multorum criminum accusatus Eugenius in jus vocatur ad diem sexagesimum. Sessione 27ma 6to Kalend. Octobris nova creatio Cardinalium ab Eugenio facta contra Synodi decretum abrogata fuit. Ipsi Kalend. Octobris, quando sessio 28va habebatur, Eugenius translationem Concilii Ferrariam de Cardinalium Archi-Episcoporum & Episcoporum consensu decrevit diplomate, dato Kalend. Jan. Anno 1437. Bononiæ, quo simul evulgavit, Concilium Basiliense esse dissolutum. Sessione 36ta (nam congregati, posthabito Pontificis decreto persistebant) definitum & declaratum fuit Beatam Virginem Mariam nunquam peccato originali infectam, fidei Catholicæ, rectæ rationi & Sacræ Scripturæ esse conformem sententiam, fuitque renovata institutio de celebranda sancta ejus conceptione, quæ 8va Decembris antiqua & Laudabili consuetudine celebrabatur.

Ante-

Antequam verò hæc sessio habita fuisset, 7. Kalend. Julii 1439. lata fuit in Eugenium sententia depositionis tanquam notorium & manifestè contumacem, mandatis Universalis Ecclesiæ inobedientem, violatorem SS. Canonum, pacis & unitatis Ecclesiæ conturbatorem, notorium simoniacum, perjurum incorrigibilem, Schismaticum, à fide devium, hæreticum, dilapidatorem jurium & bonorum Ecclesiæ inutilem ac damnosum. Huic damnationi duo duntaxat Episcopi subscripserunt. Doctores graduati, Canonici, Parochi, numero, non dignitate expendebantur. E contra Eugenius Constitutionem, quæ incipit, *Moses*, evulgavit, in qua Basilienses congregatos, homines perditissimos, scandalorum duces, veræ pacis osiores, Sacrilegos, Schismaticos & hæreticos appellat & declarat &c. eosdem demum tam furiosè, tam impiè Christianæ unionis bonum oppugnare; ut ad illud Basiliense Latrocinium totius Orbis demonia confluisse videantur. Hanc constitutionem in Concilio Generali datam non fuisse: sed in ea, quam Florentiæ, post discessum Græcorum celebrare perrexit, Synodo: ejusdem quidem appellationis: sed non ejusdem authoritatis, dicunt nonnulli. Fuit autem eadem constitutio per Nicolaum V. successorem abrogata in epistola ad omnes Christi fideles.

§. CVI. Anno 1439. 8. Novembris in conventu Basiliensi electus in Pontificem fuit Amadeus Sabaudus Dux, tunc Eremita, qui dictus fuit Felix V., reclamante Legato Galliæ. Fuit autem anno sequenti 24ta Junii per Ludovicum Alemannum Cardinalem Eugenii quondam Legatum ibidem solemniter coronatus.

§. CVII. Sessione 43tia quæ habita fuit eo anno 1. Julii, decretum fuit, ut in crastinum & deinceps eo die annuè celebretur festum Visitationis B. M. V. Sessione 45ta, quæ ultima fuit, habita anno 1443. 16ta Maji, qui residui manserant Sacerdotes, majoris

Ccc

majoris authoritatis gratiâ reliquias Sanctorum manibus tenentes dimissi fuerunt.

§. CVIII. Rebus ita compertis, probatum fuit verissimum esse illud Gregorii Nazianzeni *epist. 55. ad Procopium*, Nullum se Conciliorum exitum felicem deprehendisse: & malum potius inde exasperatum, quàm imminutum: & quidem ex contentionibus dominandique cupiditatibus, quas verbis nullis explicare posset. Graphice de eodem Wernerus Rolevinck *in Fasciculo temporum*. Habuit principium gloriosum; sed finem humilem ac tribulationibus plenum propter Schisma. Mirabilis rerum eventus. Prævaluit Concilium Constantiense contra tres Papas, eos deiciendo, & quartum instituendo: cùm tot haberet adversitates, & à nullo confirmatum fuisset: illud autem tanta auctoritate collectum & firmatum nec unum potuit vel in modico reducere ad normam sui propositi: imo è contra processus ei impeditus fuit ab anno. Ibi debile principium & finis gloriosus. Hic è contra præcisus est ei impetus &c. Quare non immerito S. Antoninus, S. Bernardinus aliique coætanei vocârunt illud Conciliabulum Schismaticum, Sathanicum, furiosum, vesanum latrocinium. Et quando fuit habita sessio 2da, jam fuerat decreto Eugenii solutum & Ferrariam translatum, deinde Florentiam. Quæ post hanc sessionem acta vel decreta fuerunt ex Legatorum proprio sensu, sine instructione & ratificatione Papæ, invalida censentur: quidquid ex Gallorum opinione Eugenius dicatur approbasse usque ad 16tam sessionem. Lucas Holsteinius Bibliothecarius in Vaticano post alios argumenta congescit in Scheda, quam P. Labbeus publici juris fecit, quibus probare molitur, Concilium Basiliense neutiquam esse Oecumenicum: cui occurrit Natalis Alexander *L. c. dissert. 8. art. 4.* Ac plerique Galli, ut legitimum habendum contendunt; cum aliarum Nationum scriptores, vel rejiciant, vel illud in censum dubiorum referant. Nicolaus V, quidem ad cavenda nova dissidia postmodum

dum confirmavit, & ratas habuit beneficiorum collationes, provisiones & privilegia tam à Patribus Basiliensibus, quàm Felice V. invalidè concessa: sed quo ad cætera nequaquam approbavit illius acta, ut patet *ex tom. 4. Conciliorum editionis Colonienfis pag. 97.* Item revocavit censuras & pœnas ab Eugenio Basiliensibus inflictas, quia & ipsi posuerunt contumaciam, suis decretis contra Papam abrogatis. Idem revocavit censuras in Cardinalem Ludovicum Alemanum latas, eumquè suæ dignitati restituit, qua ipsum Eugenius privaverat, quem *filium Gehennæ* nuncupaverat. Hic Salonæ cum odore Sanctitatis obiit Ao. 1450. ætatis 60. annorum, miraculis post mortem conspicuus & publico cultu affectus. Ejus Corpus relatum Arelatum, ubi Episcopum egerat. Fuitque ad instantiam Canonorum & Cælestinorum Avinionensium à Clemente VII. P. M. post probata crebra miracula Anno 1527. Beatorum albo solemniter adscriptus. Raynaldus præterdit Ludovicum pœnituisse actorum in Concilio Basiliensi: sed non probat; quin constat eundem paulo ante mortem de illo Concilio tanquam œcumenico & Legitimo locutum fuisse. Cæterum hujus Concilii reprobatio habetur festima Concilii ultimi Lateranensis.

S. Antoninus vocat *Synagogam Sathanæ.*


S. Jo. Capistranus *Basiliensium speluncam.*

§. CIX. *Concilium Bituricense.* In Gallia Urbe Metropolitana, cujus Archi-Episcopus se Primatem Gallia vocat, celebratum Anno 1438. autoritate Caroli VII. In eo composita fuit SANCTIO PRAGMATICA, illud Gallia idolum, decretis Concilii Basiliensis respondens, quæ deinde confirmata, Parliamentique, ut vocant, archivis inserta est die 13. Julii Ao. 1439. Ludovicus tamen XI. eandem die 27. Novembris Anno 1469. litteris patentibus revocavit, ut legitur *in Annal. Francorum Papyrii Massoni Lib. 4.* Hac tamen abrogatione non obstante

Parlamenta tenaciter inhaerentia litteris insertis, processum juxta Sanctionem Pragmaticam instituerunt, id, quod & Ludovico XII. approbatum & confirmatum est: donec Julius II. P. M., postquam summam in illa destruenda adhibuisset operam, allegaret Litteras patentes Ludovici XI. Rebus autem quibusdam hinc inde agitatis, quarum mentionem injicit Concilium Lateranense sess. 4ta, edixit approbante Concilio, ut fautores & defensores Pragmaticae Sanctionis, cujuscunque etiam essent conditionis, intra 60. dies comparerent. Cum autem durante adhuc lite extinctus esset Julius; Leo X. successor Concilium continuavit: ad quem Ludovicus legatos, rejiciendi Concilii Pisani legitima potestate instructos misit, addito promisso, se quoque exemplo reliquorum Principum Legatos ad Concilium Lateranense ablegaturum esse, id, quod & Litteris confirmavit evulgatis. Verum his rebus immortuus est Ludovicus, ejusque successor Franciscus I. certior factus Papam cum Concilio contra se & Ecclesiam Gallicanam citationem decrevisse peremptoriam, ut rationem redderet Sanctionis non abrogandae, cum Papa Bononiae egit. Post haec Mediolanum reversus est, relicto Cancellario suo, qui de tractatibus conditionibus cum Cardinalibus Anconitano & de Santiquarto Papae Commissariis convenirent. Inde **CONCORDATUM** emerfit: quod deinde, difficultatibus quibusdam remotis, inter acta Concilii Generalis relatum fuit, tanquam Constitutio à Gallis imposterum in materia beneficii & Ecclesiastica observanda. Clerus Gallicanus, Senatus, Academia à Pragmatica Sanctione initio develli non poterant, nec novo Concordatorum juri facile assuescere; quia tam citò non poterant concoquere illam disciplinae mutationem. Quae licet Gallicanae Ecclesiae perutilis esset & commoda: novitate tamen sua perturbavit animos Gallorum. Sed sacer ordo virique perspicacissimi Concordiae commoda experti, tandem acquieverunt, & à multis annis nullum murmur adversus jus illud auditum est: secundum quod & Galliae Ecclesiastica polictia disponitur ac regitur.

Lites

Lites de Sacerdotiis excitatæ in majori Consilio judicantur, ad Episcopatus, Abbatias, Prioratus à Rege personæ designantur, & viri Academici beneficia postulantes mensibus designatis consequuntur. Quorundam interim est judicium, hac metamorphosi Malum fuisse in pejus mutatum.



CONCILIIUM GENERALE

XVII.

FLORENTINUM.

§. CX. **Q**uemadmodum certantibus ventis mare concutitur, fluctusque ad sidera tolluntur: sic navicula Petri, quæ est Ecclesia, adversantibus sibi Præsulibus in contrarium agitur. Quod tempore illo potissimum evenit, quando durante dissidio inter Basilienses Patres & Eugenium IV. P. M. contra ordinis disciplinam, & majorum instituta varii in varias factiones abierunt: atque adeo sese momorderunt, ut ab invicem viderentur absumpti. Ea tempestate Eugenius, justique tenax, animo planè heroico conquassavit capita in terra multorum: & de plenitudine potestatis suæ sibi à Christo concessæ, rejeclis Basiliensium iniquis machinationibus Anno 1437. Concilium Generale Ferrariam convocavit, ubi reperti Joannes Palæologus Orientis Imperator, Joseph Patriarcha Constantinopolitanus, multorumque Procerum Legati.

Anno 1438. Præsidente Nicolao Albergati ex Ordine Carthusianorum Cardinale prima sessio ibidem habita fuit, ubi etiam ingens Græcorum numerus comparuerat. Cùm autem Lues pestifera totam urbem Italiæ florentissimam infestaret, post sessionem 16tam Florentiam Toscanæ Metropolitim translatum fuit Concilium. Anno itaque 1439. die 26. Februarii

bruarii habita fuit fess. 17ma ipso Eugenio Præside. Post diurnas Græcorum disceptationes cum Latinis, hi, pariter & Bessarion Nicææ Archi-Episcopus in duabus elegantissimis orationibus evicerunt Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio. Sexta ergo Junii facta est Ecclesiæ unio, & post missarum solemniam, à Pontifice celebrata, lecta fuit definitio Concilii, Latine à Juliano S. Sabinæ Cardinale, Græcè verò à Bessarione. Huic Pontifex, Cardinales, Imperator & Ecclesiæ utriusque Episcopi atque Abbates, uno excepto Marco Episcopo Ephesino, subscripsere.

Tandem ergo concordia, qua, ut Livius *Decad. 1. Lib. 1.* scribit, res coalescunt, fuit Ecclesiæ restituta: & Papa, de cuius primatu Schismaticis disceptandi facultas concessa fuerat, successor Petri Apostoli & Primas universalis Ecclesiæ ab orientalibus denuo agnitus fuit.

§. CXI. Paulò ante, scilicet 8va Junii, subita morte defunctus fuit Joseph Patriarcha Constantinopolitanus, postquam eodem adhuc die suam confessionem scripserat: qua se cum Romana Ecclesia omnimode sentire declaraverat. Die 21. Julii promulgatum fuit decretum unionis, redditis vicissim in testimonium fidelitatis perpetuæ litteris, cum subscriptione munitis.

§. CXII. Dum jam absolveretur Concilium, Armeniorum Patriarchæ apocrisarii ad Synodum ipsam convenerunt; dicentes, se suamquæ Ecclesiam cum Catholica conjungi, ac ipsum Synodi decretum piè servare velle. Quibus benignissimè susceptis, sub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacro approbante Concilio, ipsis etiam Oratoribus ad hoc consentientibus tradidit Eugenius Papa. Quo ab eis accepto, unà cum Græcis Florentiâ discesserunt. Caranz. *in Sum. Concil.* Advenerant quoque Ora-

Oratores Jacobi Regis Aethiopiae, qui vulgo dicitur presbyter Joannes, quem alii dicunt in India & Serica imperare, desiderantes, ut & ipsi in Decreto unionis reciperentur. Jacobitæ recepti fuerunt sessione 29., postquam exhibuissent epistolam sui Patriarchæ Joannis.

§. CXIII. Morabatur adhuc eo tempore Joannes Palæologus Florentiæ, quem nonnulli authores Italiam petiisse referunt; ut contra imminentem Turcarum impetum formidabilem suppetias flagitaret. Substitierant pariter plures Græci, quando 10mo Kalend. Decembris decretum editum fuit, quod incipit *Exultate Deo*. Natalis Alexander *tom. 3. Hist. Eccles. Dissert. 10. art. 3.* negat tunc fuisse œcumenicam Synodum: eo quod, qui cum Eugenio Papa supererant, Episcopi non fecerint seu constituerint Synodum Universalem. Verùm alii volunt illud Concilium durasse adhuc tribus annis: & non nisi Anno 1442. in Ecclesia Lateranensi fuisse conclusum. Quod verò idem author pro motivo principali adducit, præsertim cum Patriarchæ non interfuissent, quorum præsentiam necessariò Bellarminus requirit l. c., inter rejicula reputari debet. Si quidem idem Cardinalis *Lib. 1. de Concil. & Eccles. cap. 17.* scribit: Si Concilium celebretur in Occidente, semper visum fuisse, sufficere, si convenient ex omnibus Provinciis Occidentalibus multi: ex Oriente autem pauci aliqui nomine aliorum (uti Florentiæ convenerunt) Patriarcharum verò præsentiam non esse absolutè necessariam: sed tantum ad bene esse. Interim plures alii scriptores Galli Concilium Florentinum ut œcumenicum non admittunt, inter quos recentissimus Le Brun Oratorii presbyter *in Liturg. Armenian.* eo quod Basiliense Concilium tunc adhuc subsistebat, Rexquè Galliæ prohibuerit tendere Ferrariam. Item Cardinalis Lotharingus in Concilio Tridentino manifestè declaravit, quod Concilium Florentinum velut œcumenicum in Gallia nequaquam respiciatur.

CON.

CONCILIIUM PISANUM.

§. CXIV. Dum Julius II. Pont. Max. cognominem Romanæ Monarchiæ, magis quàm Divum Petrum Ecclesiæ Romanæ fundatorem æmularetur, posthabuit illud Terentii: *Omnia prius experiri verbis, quàm armis sapientem decet*; variaquè bella cum Principibus Christianis gessit. Quare multorum in se convertit aversionem, atque imprimis quorundam Cardinalium animos sibi reddidit alienos, ut hi ab eo recederent. Inter hos fuerunt Bernardinus Carvaial Hispanus, Franciscus Borgia item Hispanus, Renatus de Pria, Philippus de Luxenburgo, Fredericus Santseverinus &c. Maximiliani Rom. Imperatoris & Ludovici XII. Gallia Regis autoritate suffulti, Concilium Oecumenicum, ut aiebant, Pisis celebrandum indixerunt. Hujus celebrandi necessitatem prætendebant ex Decretis Concilii Constantiensis, item Basiliensis, vigore quorum quovis decennio Generale Concilium celebrandum esset, simulac quia Ecclesiæ in capite & in membris deformatio hoc requireret. Jus autem illud convocandi ad se devolutum assererent, id recusante Julio, qui ante electionem in Conclavi, & iterum postquam electus esset, juramento se obstrinxerat, quod vellet Generale Concilium intra biennium à creatione sua indicare, & cum effectu incipere in loco libero & tuto, determinando per eum & duas partes Cardinalium. Quod nisi perageret, velut transgressor voti ac fidei præstitæ ac perjurus, insuper tanquam perturbator ac scandalizator Ecclesiæ ac totius Christianitatis haberetur. Et extunc concessit facultatem & potestatem duabus partibus Collegii congregandi Concilium Generale in eoque determinandi, quæ in Ecclesiæ utilitatem proficua viderentur.

§. CXV. Anno 1511. die 5ta Novembris, quæ Mercurii erat, habita fuit prima sessio, Præsidente Cardinale S. Crucis, in qua decretum, ipsum conventum esse Synodum oecumenicam.

Sessio-

Sessione 2da habita die 7ma Septembris, statuta fuerunt, quæ ad reformationem conducere visa sunt. Sessione tertia die 12. Novembris Synodus Pisis Mediolanum fuit translata absque illius dissolutione, eo quod Pisani huic cætui minus favere viderentur, qui seditionem adversus Synodales excitare inceperant. Anno 1512. 4ta Januarii Mediolani habita fuit sessio quarta: missa ad Julium Pontificem legatio, oblataquè ipsi optio ex variis Italiae urbibus designandi unam: extra Italiam Gebenna, Constantia, Bisontium, Metis, Avinionis, Lugdunum proposita. Ab illo & collegio Cardinalium sibi adhærenti postulatum, ut res Bononiensis & Ferrariensis, sine sanguinis effusione, tractando absolventur. Cùm verò ad Synodum relatum fecisset, Legatos non posse salvum conductum à Pontifice impetrare: nec ipsos ob structas insidias sine vitæ præsentissimo periculo progredi, triginta dierum spatium ad eligendum seu nominandum Concilium Pontifici prorogatum fuit. Sessione 5ta 11ma Februarii renovata fuit Synodi Constantiensis constitutio contra invalores ad Synodum Mediolanensem accedentium vel ab ea recedentium. Sessione 6ta 24. Martii Julius accusatus est contumaciæ, perturbationis &c. sessione 7ma 19. Aprilis rursus accusatus contumaciæ. Sessione 8va 21. Aprilis tertio accusatus ab omni Pontificatus administratione tam in Spiritualibus, quam temporalibus suspensus fuit. His peractis, cum Julius justæ defensionis media adhibere conaretur, & vir bellator armis rem gerere instituisset, Synodales Mediolani non satis tuti Lugdunum in Galliam profugere coacti sunt; ubi tamen nihil præterea sub nomine Concilii gestum legitur.

§. CXVI. Pro Synodo Pisana scripsit Philippus Decius Juris Consultus Mediolanensis: propter quod præter alia mala perpeffa in Galliam profugere coactus fuit. Contra illum calamum strinxit Angelus monachus Vallis Umbrosæ, majori tamen sui jactantia, quàm solida causæ defensione, ut Spondanus observat. Legitimum Concilium non fuisse Natalis Alexander: *Loc. cit. art. 4.*

D d d

multis

multis rationibus conficit; imo ex tumultuaria convocacione à pauciori numero Cardinalium Pontifici infensorum, qui hunc negligentiae & contumaciae liquidò convincere non possent; cum perturbatis temporibus ipsi congregare Concilium minimè licuisset: neque reculasset praestito juramento satisfacere: sed distulisset, ut in litteris convocatoriis Synodi Lateranensis perhibet. 2do Pisanus Conventus Ecclesiam universalem repraesentare non poterat, cum neque Itali Episcopi adessent, praeter paucos extra Principatum Mediolanensem: neque Rex Catholicus suos Antistites ire permisisset. Neque Maximilianus Imperator Praesules ex Germania illuc concedere indulgisset; imo permisisset, ut in Conventu Augustae Vindelicorum Episcopi declararent Pisanum Conciliabulum esse Schismaticum. Ex Galliis tantum duo Archi-Episcopi Lugdunensis & Senonensis, quatuordecim Episcopi, nonnulli Abbates, Doctores & pauci Academici. 3tio Vi pactorum in Conclavi concordatorum duabus duntaxat partibus Cardinalium concessa fuerat facultas congregandi Synodum: Cardinales verò recedentes à Julio longè non adequabant duas partes. Et si Ecclesiae evidens necessitas postularet congregari Concilium, satis superquè huic consulebat Julius Pontifex per Concilium à se convocatum ad 19nam Aprilis Anno 1512. Quo quidem Concilio Canonice & Legitime indicto, Pisanum subsistere non valebat: maximè cum ab indubitato Pontifice Romano, qui Ecclesiarum omnium caeterarum universalis Pastor est & Rector, atque ab aliis populosissimis Christiani orbis Ecclesiis reprobatum esset. Lateranensi adhaeserunt Synodo Imperator Maximilianus, Ludovicus XII. Galliae Rex, Reges item Aragoniae, Poloniae, Respubl. Veneta, Lucensis, Florentina, Duces Sabaudiae, Mediolanensis, Marchiones Brandeburgensis, Mantuanus, Montisferrati: aliique diversarum Nationum Principes. Quodsi haec argumenta contra Concilium Siennense applicarentur, quod tamen idem Alexander Legitimum fuisse contendit: facile evinceretur hoc ejusdem esse sortis cum Pisano.

CON-

CONCILIUM GENERALE.

XVII.

L A T E R A N E N S E

Q U I N T U M.

§. CXVII. Julius II. Pontifex Maximus sagaci usus consilio clam trusit clavo atque impendenti malo obviam ivit, quando in Pisanorum conciliabulo Mediolani congregatorum jam Schisma meditantium temeritatem animadvertit & audaciam coarguit, indicando Romæ Synodum Generalem, in quo Clericorum dissolutiones castigarentur, congrua remedia resistendi Turcarum invasionibus statuerentur, pariterque dissidia gravia inter Pontificem & Ludovicum Galliæ, idem Ferdinandum Hispaniæ Reges componerentur,

§. CXVIII. Anno 1512. inchoatum fuit hoc Concilium in Basilica Lateranensi. Præfedit primis quatuor sessionibus Julius P. M. Interfuerunt Cardinales 16., Patriarchæ 3. Episcopi plerique Itali 77. Ordinum Religiosorum Generales 4. Abbates plurimi, Legati tres à Petro Maronitarum Patriarcha, missi ex Syria, scilicet Acurius Joseph presbyter, Moses Diaconus, & Elias Hypodiaconus.

§. CXIX. Sessio 1ma 10. die Mensis Maji habita, in qua Pontifex post orationem ab Aegidio Viterbiensi Augustinianorum Eremitarum Generali habitam Patres exhortatus fuit ad Ecclesiæ reformationem & Schismatis extinctionem, pacem inter Christianos Principes componendam. Sessione 2da habita 17ma ejusdem mensis Thomas de Vio Cajetanus Ordinis Prædicatorum Generalis peroravit; lectaque bulla, in qua Pisanum concilia-

D d d 2

con-

ciliabulum damnatur: & Lateranense hoc Legitime in Spiritu Sancto congregatum declaratur. Sessione 3tia die 3tia Decembris Alexius Melfitanus ex ambone dixit, & reprobrata omnia per Cardinales Schismaticos acta, revocata privilegia à Sede Apostolica concessa iis locis ubi illi fuerant congregati. Sessione 4ta Pragmatica Sanctio 10. Decembris & gesta per Conciliabulum Pisanum super eadem annullata. Sessione 5ta habita 16ta Februarii 1513. Julio Lethali morbo decumbente præfedit Episcopus Ostiensis Raphael Cardinalis. Simoniaca pravitas in electione summi Pontificis damnatur, & statuitur, quod huiusmodi electio nulla sit, & sic electo nulla in spiritualibus vel temporalibus tribuatur facultas &c. Quinque tantum Episcopi huic decreto contradixerunt. Sessione 6ta habita 27ma Aprilis cui præfeditur ut deinceps reliquis, Leo X. P. M. Concilii continuatio declarata est, 24. Prælati electi, qui adsint cum Cardinalibus in his, que tractanda sunt coram Pontifice, atque in tres partes seu Classes pro negotiorum varietate distributi. Sessione 7ma die 17. Junii Bernardinus de Carvaial & Fredericus de Sancto Severino olim Cardinales ejurato Schismate recepti sunt: & post paucos dies in consistorio secreto dignitati pristinae restituti. Fuit quoque pro reformatione Romanæ Curia Diploma promulgatum; de qua tunc Balthasar Del Rio Scholasticus Myndonienfis sermonem habuit solemnem. Sessione 8va habita 19. Decembris definitum, quod anima hominis unica sit, eaque immortalis. Orationem dixit Baptista Gargha Eques Hierosolymitanus. Sessione 9na habita 5ta Maji 1514. Lecta quoque fuit bulla reformationis Curia Romanæ. Canone 2do decretum, ne Episcopus aut Abbas amoveatur non præmissâ defensionis copiâ. Can. 3tio cautum, ne monasteria alicui commendentur. Can. 5to polygama spiritualis proscribitur. Can. 9no statutum, ut quilibet habens beneficium curatum vel non curatum intra 6. menses ab obstituto beneficio sub pœna privationis fructuum pro rata temporis divinum officium persolvat; ultra omittentes præmissâ adhorta-

hortatione beneficio priventur. Orationem habuit Antonius Puccius Camerae Apostolicae Clericus. Sessione 10ma habita 4ta Maji Anno 1515. Montes pietatis approbantur. Prohibitum, ne liber ullus typis mandetur, nisi ab Episcopo vel ab hoc deputato, & haereticæ pravitatis Inquisitore examinatus & approbatus sit, sub pœna excommunicationis, Libri combustionis &c. Statutum quoque ut contra exemptos Dicecesani & alii locorum ordinarii procedere possint, quando ab illis, quibus per Apostolicam Sedem mandata est illorum correctio, non corrigantur. Sessione 11ma 19na Decembris Prædicatores instruuntur. Pragmatica Sanctio aboletur, item Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. Galliae Regem promulgantur, Religiosorum, præsertim Ordinis Mendicantium privilegia temperantur & confrimantur, ea ratione, ut pax inter Episcopos & Religiosos foveatur & eorum jurisdictio facta tecta maneat. Sessione 12ma die 6ta Martii 1517. Constitutiones Honorii III. & Bonifacii VIII. contra insectatores Cardinalium &c. Hac sessione absolutum est Concilium, quod annis quinque duravit. Confirmata & probata singula & universa, quæ definita sunt in Concilio per Leonem X. Ambiguum tamen est, an censuræ latæ in hoc Concilio sint usu receptæ, ut annotatur à Cardinale Cajetano, & à me etiam ambigitur, inquit Caranza *in Sum. Concil.* pleræque earum usu non observantur, quo solo poterant abrogari.



CONCILIUM GENERALE
XVIII.
TRIDENTINUM.

§. CXX. Martinus Lueherus Islebiensis, Augustinianus monachus Wittenbergenfis, cum indignè ferret sibi suisque sodalibus ereptam spem turpis lucri, quod in questuosa
Ddd 3 pro-

promulgatione indulgentiarum, Dominicanis demandata, facere potuisset, easdem primò impugnavit, mox elatiori spiritu in furiam actus, fidei articulos aggressus, totam infestavit Ecclesiam: fax & turbo Reipublicæ Christianæ velut alter Jeroboam & insignis Antichristi prodromus sectam invexit perniciosissimam, tot tantarumque hæresum in Europa parens, quot à Christo nato usque ad illa tempora extitisse cognoscuntur. Plagas, quas abortivus ille matri suæ intulit sævissimas, promeruerunt quidem filii degeneres seu perversi Christiani, qui in carne & sanguine volutantes, nil minus, quàm ea quæ religionis erant, curabant: ipsaque Clericorum ignorantia & supina segnitie tanta erat, ut pleriquè ludibrio haberentur. His itaque ut congruè obviaretur malis, & graviora imminetia impedirentur, visum fuit Paulo III. Ecclesiæ universæ gubernatori Concilium Generale quam maximè necessarium, quo, ut Eusebius loquitur de Concilio Nicæno, *in campum produceret agmen Dei contra Dæmonem machinantem Ecclesiæ Christi ruinam.*

§. CXXI. Anno 1545. jussu Pontificis die 15. Martii convenerunt Præsules Tridenti, quæ est civitas Episcopalis, contermina Germaniæ Italiæque, ultra Alpes sita. Præsides in ea Synodo fuerunt Cardinales varii. Interfuerunt Patriarchæ 3. Archi-Episcopi 33. Episcopi 235. Abbates 7. Absentium procuratores 39. Ordinum Religiosorum Generales 7. Doctores Theologi & Canonistæ 160., unà cum Oratoribus Orthodoxorum Principum. Anno 1545. die 13. Decembris habita fuit prima sessio, quæ, velut & secunda anno sequenti 7ma Januarii habita, fuit veluti præparatio eorum, quæ in Synodo examinanda forent. Sessio 3tia celebrata 4ta Februarii Decretum de Symbolo fidei. Sessione 4ta die 8. Mensis Aprilis Decretum de Canonicis scripturis. Sessione 5ta die 17ma Junii decretum de peccato originali. Sessione 6ta die 13tia Januarii 1547. decretum de justificatione. De qua etiam Canones 33. Sessione 7ma 3. Maji Decretum

cretum de Sacramentis. Et quidem de Sacramentis in genere
 Canones extant 13. De baptifino 14. de Confirmatione. 3. Sef-
 fione 8va die 11. Martii fuit decretum de translatione Concilii
 Bononiam ob pestem ingruentem aliasque causas, quarum non
 minima erat, quod Paulus III. non adeo bene cum Imperatore
 Carolo conveniret. Sessione 9na die 21. Aprilis & sessione 10ma
 die 2da Julii Bononiae celebratis, nullus in particulari articulus
 tractatus fuit. Mortuo deinde Pontifice Paulo, Concilium in-
 terruptum fuit usque ad Annum 1551. quando sub Julio III.
 habita fuit sessio 11ma die 1ma Maji Tridenti, in qua decreta
 prorogatio sessionis, item sessio 12. die 1ma Septembris. Ses-
 sione 13tia die 11. Octobris celebrata, decretum de Sanctissimo
 Eucharistiae Sacramento; de quo Canones 11. Sessione 14ta die
 25. Novembris explicata doctrina de Sacramento poenitentiae pa-
 riter & extremæ unctionis; de priori Canones 15., de altero 4.
 extant. Sessione 15ta die 25. Januarii Anno 1552. ordinatus fuit
 salvus conductus Protestantibus datus. Sessione 16ta & ultima
 sub Julio III. die 28. Novemb. propter bellum in Germania Con-
 cilium fuit suspensum. Mortuo deinde Julio Anno 1555. eodem-
 que Marcello II.; item Paulo IV. Anno 1559. sub Pio IV. sessio
 17ma die 18. Januarii Anno 1562. Tridenti habita fuit, in qua
 decretum, esse celebrandum Concilium. Sessione 18va die 26.
 Februarii decretum de Librorum delectu & omnibus ad Conci-
 lium fide publica invitandis. Salvus conductus concessus Prote-
 stantibus in Germania, qui postea extensus ad alias nationes.
 Sessione 19na die 24ta Maji item sequenti die 24ta Junii decre-
 tum de proroganda sessione. Sessione 21ma die 16ta Julii ex-
 rat doctrina de communione sub utraque specie & parvulorum.
 Canones etiam quatuor. Sessione 22ma die 17ma Septembris
 agitur de Sacrificio Missæ & de eo Canones 9. Sessione 23tia die
 15ta Julii Anno 1563. tractatur de Sacramento Ordinis; de quo
 Canones 8. Cum in hac sessione orationem elegantem pronun-
 tiaret Nicolaus Psaulmeus ex Ordine S. Benedicti Episcopus Vir-
 dunen-

dunenſis de aula Romanæ reformatione, ac multa cum Epifcopali libertate differeret de illius faſtu, Sebaſtianus Vanzius Epifcopus Urbevetanus ad proximos Epifcopos converſus altè dicebat: *Quomodo cantat iſte Gallus.* Quo audito, Petrus Danefius Epifcopus Warenſis ſubjungebat manibus compoſitis: *Utinam Petro ad pœnitentiam.* Sefſione 24ta die 11. Novembris actum de Sacramento Matrimonii & conditi de eo Canones 12. Sefſione 25. eaque ultima decretum de Purgatorio, de invocatione & reliquiis ſanctorum ſacriſque imaginibus &c. Igitur Anno 1562. die 4ta Decembris hoc concilium potiſſimum ſtudio & opera S. Caroli Borromæi fuit abſolutum. Et Cardinalis Moronus primus legatus & præſidens, poſt gratias Deo actas dixit: *Reverendiſſimi Patres ite in Pace.* Qui reſponderunt: *Amen.* Audite deinde Acclamationes Patrum: *Beatiſſimo Pio Papæ & Domino noſtro, Sanctæ Universalis Eccleſiæ Pontifici multi anni & æterna memoria.* Anno 1563. 7mo Kalend. Februarii petentibus nomine totius Concilii Cardinalibus Morono & Simoneta decretorum omnium approbationem Pius IV. quinto ſui Pontificatus anno Concilium hoc œcumenicum Apoſtolica authoritate confirmavit per bullam, quæ incipit: *Benedictus Deus &c.*

§. CXXII. Fuit Synodus hæc inter omnes excellentiſſima & abſolutiſſima, tam quo ad decreta fidei, quæ ex præcedentibus Conciliis fuere deſumpta, quam quo ad decreta morum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ reformationem, quæ in plerisque Sefſionibus ordinata fuit. Hiſtoriam hujus Concilii virulento calamo conſcripſit Frater Paulus Sarpus Ordinis Servorum B. M. V., quam multis mendaciis, diſteriis, calomniis, ſcommatibus refertam evulgavit Marcus Antonius de Dominis Archi-Epiſcopus Spalatenſis, infamis tunc in Anglia Apoſtata, ſub nomine ficto Pauli Soavis Poloni; qui vulgo Fra Paolo nuncupatur. Marchio de Fontenay Marcuël apud Sedem Apoſtolicam Legatus Regis Galix fatetur ſe ex ore hujus Pauli audiviſſe, quod alia intentione
hiſto-

historiam illam non scripserit: quàm ut vindicaret injuriam Rei publicæ Venetæ illatam per Curiam Romanam. Cui respondit Marchio: *Pater, hoc est pro alapa mucronem infigere.*

§. CXXIII. Litteræ de Concilio Tridentino, quæ sub nomine Francisci Vargas secretarii Legationis Hispanicæ passim circumferuntur, ab eruditis pro suppositiis habentur, à quodam heterodoxo confictæ. Certè in multis deprehenduntur veritati parum consonæ, satyris, subsannationibus & probris factæ: quidquid ab aliis nasutulis in pretio habeantur. Prolixam de hoc Concilio edidit historia Sfortia Palavicinus è Soc. Jesu, indeque galerum Cardinalitium tulit. In ea egregie refutavit Paulum Sarpium: quia tamen plura ingessit, quæ à superioribus criticis obelo notantur: non æqualem apud omnes tulit applausum. Contra hanc historiam impressus fuit tractatus sub titulo: *Evangelium secundum Pallavicinum.*



Ecc

LIBER

LIBER IV.
PERSECUTIONES GENERALES
ECCLESIAE.

Nunquam, nec ullibi Ecclesia Dei ita triumphavit gloriose, quam in purpurato Martyrum cruore; licet enim in suis cunis videretur victa, in membris suis vel gladiis caesa, vel exilio relegata: nihilominus, ut S. Ambrosius scribit, Ecclesia runditur quidem fluctibus sed non subruitur: caditur sed non labefactatur. Videbatur quidem illa devicta falsis accusantium testimoniis, obstrepentibus populorum querelis, opprimentibus tyrannorum sententiis, mactantibus tortorum immanissimorum suppliciiis: sed inter tot imminentes ruinas florentior erat & vegetior. Quia, ut S. Hilarius *Lib. 6. de Trinit.* Proprium est Ecclesiae ut tunc vivat, cum caditur, tum intelligat, cum arguitur, tunc obtineat, cum deseritur. Unde apud S. Gregorium *Lib. 9. Moral.* merito comparatur Arcturo, qui tametsi in caelo semper verferetur, nunquam tamen occidit. Non posset Ecclesia dici Christi sponsa, nec illius capitis corpus nisi per persecutiones triumpharet, cum ipse dicat: *Si me persecuti fuerint, & vos persequenter.* Et abibi: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* O beatam ergo Ecclesiam nostram, exclamat S. Cyprianus *epist. ad MM. & Confess.* quam sic honor divinae dignationis illuminat, quam gloriosus Martyrum sanguis illustrat. Ita planè Ecclesia Dei in ipsis saevissimis persecutionibus victoriam reportavit, dicente Tertulliano, ad tyrannos gentiles: *Plures efficiuntur, quoties à vobis metimur, sanguis Martyrum semen est Christianorum.* Porro licet quamplurimas tum Judaei, tum Hæretici, tum denique ipsi Gentiles in eam persecutiones moverint, plerumque tamen decem generales recensentur, quæ hic juxta seriem enumerantur.

PER-

PERSECUTIO GENERALIS

PRIMA

SUB NERONE IMP.

Anno Christi 66.

§. I. Nero, Claudii Domitii ex Agrippina filius ultra quinquen-
 nium moderatum sese gesserat Imperatorem. Amotis
 autem Afranio aulae praefecto & Seneca praefectore indies de-
 terior factus, Sophonio Tigellino substituto, ad omnium mali-
 tiarum apicem tandem pervenit. Anno 10. Imperii sui XIV.
 Kal. Sextilis ortum fuit Romanae urbis incendium, quod 6. vel
 9. dierum spatio arsit, adeo ut ex 14. Regionibus nonnisi 4. re-
 manserint. Sunt, qui illud casui fortuito adscribant: plerique
 tamen jussu Neronis ignem admotum referunt; qui addunt im-
 mani illum & fatua curiositate efferatum videndi rursus quasi
 Trojae incendium, subornasse, qui clanculò ignem supponerent,
 atque ipsas flammam è turri mæcenatica cum voluptate spectasse,
 ad cytharam per jocum lusisse & iliadem Homeri cecinisse. Peri-
 erunt tunc passim Ducum domus adhuc manubiis exornatae, in-
 teriit quidquid adhuc visendum pulchrum atque memorabile ex
 antiquitate remanserat. Atque ne illi tantum facinus imputaretur,
 quamquam nullum tam atrox, quantum cepit, ab eo alie-
 num scirent omnes, negante vel ipso patre Domitio, apud Sue-
 tonium *in notis*, quidquam ex se detestabilius nasci potuisse:
 causam tamen per inanem calumniam in Christianos coniecit, eo-
 que nomine delatos exquisitissimis poenis affecit, & diversis mor-
 tis generibus impie interemit. Suetonius in Nerone cap. 16. *Af-
 flicti supplicii Christiani genus hominum superstitionis novae & ma-
 leficae* ut propterea infantes à calumniis vindicans Christianos
 Tertullianus meritò scripserit *Apologetici* 5. Consulite commen-
 tarios

tarios vestras, illic reperietis primùm Neronem in hanc sectam, tum maximè exorientem Cæsariano gladio ferocisse: sed tali dedicatione damnationis nostræ gloriamur. Qui enim scit illum intelligere potest nonnisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum. Certe inter quamplurimos Christianos ipse Cornelius Tacitus, quem idem Tertullianus vocat iniquissimum Christianis, *Lib. 15. Annal.* historiæ veritate compulsus falsas calumnias in Christianos in Neronem torquet. Imo id etiam Subrius Flavius Tyranno palam exprobrare non timuit, ut idem Tacitus prodit. De eadem Urbis conflagratione & Christianorum afflictione extat Senecæ Epistola ad Paulum Apostolum, sed apocrypham esse constat.

§. II. In ea persecutione perierunt innumeri ferè Christiani in diversis mundi regionibus, quorum tamen nomina & acta genuina, combustis postea per Diocletianum Ecclesiasticis tabulis & monumentis interciderunt. Passi sunt Petrus & Paulus Apostoli, Processus & Martinianus milites, carceris Mamertini custodes, & ex erumpente mirabiliter fonte baptizati, Torpes & Evellius Cæsaris familiares, quorum meminit Paulus *ad Philip. 4.* item 47. Martyres ad Christum conversi, Basilissa, Anastasia, Lucina, Perpetua Apostolorum discipulæ, Nazarius & Celsus. Theclam Pauli discipulam, virginem Iconiensem in ea persecutione tormenta subiisse refert Martyrologium Romanum ad 23. Septemb.; quam alii tradunt in montis cavernam secessisse & nonagenariam obiisse Anno Christi 119. Prolixè de eadem Baronius *in Notis ad idem Martyrologium*; ubi adducit Lindanum, qui in Bibliotheca Hispaniarum Regis reperit tres Libros Eusebii Cæsariensis necdum è Græco verfos, item indicem, in quo Athanasius de vita S. Theclæ scripsit. Verùm Aubertus Miræus testatur ex fide dignissimis sibi constare, quod Index in Bibliotheca exhibitus minus fideliter concinnatus Lindanum & Baronium fefellerit, & loco Syncreticæ Theclam esse positam.

§. III.

§. III. Duravit persecutio Neroriana quadriennio fere, quando Tyrannus, qui ut Tertullianus ait, primò *Fidem cruentavit* ex Senatus Decreto hostis Reipublicæ declaratus, fugiens & in spelunca delitescens sibi ipsi, adacto in jugulum ferro, necem intulit; cùmquè animam diutius traheret, Epaphroditus eundem confecit Anno æræ Christianæ 70.

PERSECUTIO GENERALIS

SECUNDA.

SUB DOMITIANO IMP.

Anno Christi 92.

§. IV. Domitianus alter Cain ob fratricidium Titi, vanissimus omnium Princeps, ut qui se Palladis filium Deumque ac Dominum dici voluit, *confirmatissimam*, ait Orosius Lib. 7. cap. 7., *toto orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ persecutionis edictis, convellere ausus est universali persecutione.* Cum enim Judæi de suo imaginario Rege vel Messia multa blaterarent, tyrannus, ut eorum secumfert natura, sibi metueret, in Judæos, à quibus tunc Christiani non distinguebantur, severè inquire jussit. Exorsus fuit hanc persecutionem anno regni sui nono. Christianis autem adeo infensus extitit; ut cùm persecutio alicubi deserbuisset, in aula ipsa recruderit dum anno 97. urbis consulem inclytum Flavium Clementem patruelem suum cum duobus filiis ex levissima causa, item Flavii conjugem ob religionis studium interim præceperit. Erat huic nomen Domitilla; quamquam Theodorus Marsilius in suo *ad Suetonii Domitianum commentario* ex Philone & Herostrato observet hanc tantum in Insulam Pandatanum fuisse relegatam, ubi illa, ut S. Hieronymus scribit, longum martyrium in cellulis duxerit: aliam

Ecc 3

verò

verò Domitillam virginem Clementis Papæ neptem anno sequenti in Insulam Pontiam missam, item hujus eunuchi Nereus & Achilleus. Joannes Apostolus ex Asia Romam tractus in oleum fervens coniectus, quia illæsus repertus, ut Tertullianus perhibet *Lib. de præscript. cap. 36.*, in Insulam Pathmos deportatus fuit. Passi sunt quoque Clerus Pontifex Romanus, Aeilus Glæbio ex-Consul & multi alii, quorum nomina scripta sunt in coelo, aut trucidati aut in exilium missi.

§. V. Perstitit ea persecutio amplius sexennio usque ad impiissimi tyranni obitum (quamvis aliqui illum prohibuisse edicto persecutionem velint) quando, referente Suetonio, Stephanus Flaviæ Domitillæ procurator eum interemit, qui lihellum porrigere se conjurationis indicem simulans, exerto, quem brachio adjunctum abdiderat, gladiolo diutius obluentem confecit. Quo audito Pop. Rom. statuam pessundedit, ejusque edicta irritavit, Octobris quoque nomen, quod in suum nomen mutaverat Domitianus, restituit.



PERSECUTIO GENERALIS TERTIA. SUB TRAJANO IMP.

Anno Christi 102.

§. VI. Tanta moderationis exitit initio Ulpus Trajanus Imperator, ut nunquam suo jussu bonum virum occisum iri, aut ignominia notari juraverit, quod Dion Cassius *Lib. 68.* refert: quin Saburrano Præfecto gladium etiam adversus se stringendum, si male egerit, dedit, ideoque & Laudatissimus & æquissimus Princeps à Gentilibus celebratus fuit. Nihilominus anno

anno Imperii 2do Jovis cultui superstitiosus addictus in Ecclesiam Dei generalem persecutionem movit: quæ quidem non ex ordinatione ipsiusmet sumpsit exordium, sed, ut est apud Eusebium *Hist. Eccles. Lib. 3. cap. 26.* sigillatim in unaquaque civitate ex seditione populi concitata fuit, cui tamen ex ejusdem Imperatoris edictis magnum accessit impedimentum: sed postea literis Plinii junioris illo persuaso sic temperata fuit, ut prohiberet inquiri Christianos, delatos tamen puniri. Causa verò, cur Christianis infestus esset, ea videtur fuisse, quod Gnosticorum spurcitiis eorum nomen publicam infamiam passus fuerit, quasi iisdem pariter essent infecti, adeoque Imperator rem diis suis gratam facturum arbitratus sit, si eos è medio omnes tolleret. Accessit, quod, ut ex ejusdem Plinii epistolis maxime *Lib. 10. epist. 103.* habetur, accepisset Christianos adeo numero invaluisse, ut idolorum templa deserta viderentur, & sacra variis in locis plerumque omitterentur. Quo cognito Christianos tanquam deorum contemptores exterminandos decerneret.

§. VII. In hac persecutione Clemens Papa, qui jam antea in Cherfonsensem Tauricam, quo 2000. Christiani ad secunda marmora missi fuerant, damnatus, quod Faustinae magni de sanguine Nervæ Sisinniumque virum illustrem cum conjuge Christo subdidisset: sed quia vitæ sanctimonia & miraculorum frequentia plurimos convertisset appensâ collo anchorâ in mare demergitur Anno 102. Passi quoque S. Parmenas unus è 7. Diaconis, Barsimeus Edessenæ in Mesopotamia Antistes A. 107. Evaristus Episcopus, S. Simeon filius Cleophæ & Christi propinquus Episcopus Hierosolymitanus, ætatis 120. Anno 109. S. Ignatius Episcopus Antiochenus Romæ Leonibus objectus & frumentum Christi dentibus eorum molitus 110. Eodem anno S. Onesimus Episcopus Ephesinus capite truncatus. S. Anacletus Papa A. 112. Dicuntur etiam 10000. Martyres in Armeniam demandati in monte Ararath crucifixi, S. Crescens quondam Pauli discipulus
Episco-

Episcopus Viennensis in Gallia refertur passus. Antiochæ quinque Virgines q̄b fidem Christi supplicii affectæ & alii utriusque Sextis Martyres gloriosum martyrium variis in locis consummaverunt.

§. VIII. Postquam verò Trajanus per eundem Plinium Christianorum innocentem vitam exploratam habuisset, non ultra inquirendos, sed sponte oblatos puniendos rescripsit, de qua sententia Tertullianus in Apologetico. *O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos, & innocentes mandat puniri ut nocentes, parcit & sevit, dissimulat & animadvertit &c.* Interea Tiberianus Sirix Præses, referente Suida ad eundem Trajanum scripsit se minimè parem esse extinguendis Christianis, qui ultro in supplicia sese ingererent. Subierunt eadem Faustinus & Jovita fratres Nobiles Brixiani Anno 121. S. Sophia vidua cum tribus filiabus Fide Spe & Charitate 122. S. Heron Ignatii Successor in cathedra Antiochena &c. Cum Trajanus apud Selinuncem Ciliciæ urbem, quæ Trajanopolis deinde dicta fuit, non sine veneni suspitione sublatu fuisset Anno 117., æt. 61.



PERSECUTIO GENERALIS

QUARTA.

SUB MARCO AURELIO ANTONINO
ET LUCIO VERO IMPP.

Anno Christi 164.

§. IX. Marcus Aurelius Imperator, cum Lucium assumpsisset in collegam, cui filiam in conjugem tradidit & Veri nomen addidit, Anno Imperii sui 2do instigantibus Crescente Cynico Philosopho aliisque, quod Christiani essent deorum contemp-
tore

temptores, Philosophiæ turbatores, & familiarum sub specie sanctitatis scissores, quartam in Ecclesia excitavit persecutionem: quamquam aliàs ea justitiæ famâ extiterit de illo, ut *Defensor universi verissimus & virtutum speculum* nuncuparetur. Hanc persecutionem Augustinus, *Lib. de civit. Dei* 18. *cap. 52.*, Orofius *Lib. 7. cap. 15.* quartam numerant, quam Sev. Sulpitius quintam dicit eo quod quartam sub Hadriano Imp. constituat. Falluntur autem qui illam Antonino pio adscribunt: siquidem Tertullianus hunc numerat inter eos Imperatores Romanos, qui Christianis nihil negotii per leges fecerint. Verum quidem est quod Aurelius Antoninus cognomento Philosophus nullas leges adversus Christianos promulgaverit, quod idem Tertullianus observat: at tamen absque his eo tempore furente populo gravissimam in illos persecutionem commotam fuisse, testis est Eusebius *Hist. Eccles. Lib. 5. cap. 1.* ubi legitur, quod ad 17mum annum Antonini Veri (sic enim appellat Marcum Aurelium) in nonnullis terræ regionibus per singulas urbes excitata fuerit persecutio, in qua infiniti prope Martyres generosa cæde pro Christo prolata nobilitati sunt. Insuper constat ex litteris quas Ecclesiæ Viennensis & Lugdunensis in Gallia ad Asianos & Phrygios miserunt, Christianismum in Gallia, uti & Oriente supra modum exagitatum illa tempestate fuisse.

§. X. Inter quamplurimos, qui tunc Martyrium subierunt, recensentur S. Ptolomæus, qui, cum scortum nobile ad religionem & continentiam adduxisset, ab hujus viro Christianissimi accusatus, morte mulctatus fuit. Hunc cum S. Lucius tueretur, ultroquè se Christianum fassus esset, pariter trucidatus fuit. Occubuit quoquè S. Justinus Philosophus, qui pro fide orthodoxa duas apologias edidit & Crescentem Cynicum confutaverat. S. Pius Papa, S. Polycarpus Episcopus Smirnenfis Ao. 169., SS. Gervasius & Protasius fratres Ao. 171., S. Concordius presbyter Spoletanus, S. Anicetus Papa 175., Eodem Ao.

Fff

S. Fc.

S. Felicitas cum septem filiabus, S. Soter Pont. Romanus 179., S. Photinus, S. Attalus, S. Blandina cum innumeris aliis in Ecclesiis Lugdunensi & Viennensi. Romæ item sanguinem fuderunt Chariton, Charitina, Everpistus Hierax, Pæon Vallerianus sub Rustico Urbis Præfecto. Fuit quoque Symitrius presbyter cum aliis 22. ibidem jugulatus.

§. XI. Duravit persecutio propemodum annis 18. quando Marcus Aurelius publicis privatisque confectus curis apud Pannoniam voluntaria morte per inediam accita extinctus fuit.

PERSECUTIO GENERALIS
 QUINTA
 SUB SEPTIMIO SEVERO IMP.

Anno Christi 202.

§. XII. Imperante Septimio Severo anno VII. Ecclesia Generalem persecutionem passa fuit, quæ movente Plautiano ac nomine Cæsaris inhibentè quemquam Christianum vel Judæum fieri, in varias Orbis regiones diffusa fuit. In ea tot Christianorum millia per lictores emissarios martyrio affecta fuerunt, ut multi Severum Antichristum putarent. Euseb. *Hist. Eccles. Lib. 6. cap. 1. & 2.* Alexandriam ex Aegypto & Thebaide tota, orthodoxi velut ad macellum ducti fuerunt. Truncatus capite cum aliis S. Leonides Origenis pater, item Philippus Aegypti Præfectus cum filia castissima Eugenia. In Gallia S. Irenæus Lugdunensis Antistes cum 9000. suæ Dicecesis fidelibus martyrii palmam obtinuerunt. S. Andeolus levita in Galliam à S. Polycorpo missus. SS. Perpetua & Felicitas cum fratre Revocato, gladio necati, Secundus ac Saturninus in Mauritania &c. Porro Severus Sulpitius ex ratione supra allata hanc per-

persecutionem 6tam numerat. Cum vero Plautianus post ingentes corrumpas divitias, quales nec Reges habuisse visi sunt, ex insidiis Antonini generi interiisset, persecutio deforbuit; super-
vivente Severo annos septem, qui tamen speciali edicto ad Gu-
bernatores Urbis dato jussit, conventus Christianorum impedi-
re & punire.

PERSECUTIO GENERALIS

SEXTA

SUB MAXIMINO IMPERATORE

Anno Christi 237.

§. XIII. Pergravem hanc fuisse persecutionem habetur ex Eu-
sebio *Hist. Eccles. Lib. 6. cap. 21.* ubi scribit: Maxi-
minus propter gravem invidiam, qua contra Alexandri fami-
liam, in qua plures fideles & Christiani versabantur, flagrabat,
acerbam persecutionis tempestatem concitavit, jussitque solos Ec-
clesiarum praesules, tanquam authores doctrinae Evangelicae neci
dari. Unde mirum videri posset, quod Sulpitius hanc non nu-
meret, quam S. August. *loc. cit.* & Orosius *cap. 19.* ponunt
ordine sextam. Occasio hujus persecutionis fuit, quam Euse-
bius retulit. Praeterea suborti tunc fuerunt varii terrae motus
cum urbium ac regionum ruina: quare veteres in Christianos
calumniae renovantur (olim namque hujusmodi casus iisdem ve-
luti Magis attribui solebant) ut enim Tertullianus in Apologeti-
co scribit iniquitatem judiciorum deplorans. *Si Tiberis, inquit,
descendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit,
si terra movit, si fames, si lues, statim, Christiani ad Leones, ac-
clamatur.* Quare Imperatoris Maximiniani jussu plerique omnes
Ecclesiarum Antistites atque ministri aut dilabi, aut dira suppli-
cia subire coguntur. Hac eadem procella ingruente Pontianus

F ff 2

Papa

Papa apud Sardiniam, quasi non satis exilio mulctatus, fustibus ad mortem cæsus fuit, Anterus Successor anno sequenti interemptus, quod diligenti cura Martyrum acta per Notarios, jam tum à Clemente constitutos, describi curasset. Ferunt eo tempore S. Barbaram Nicomediensem Virginem Origenis discipulam à Dioscoro patre decollatam. Notat autem Baronius in *Annal. ad An. 237.* incitiâ scriptorum aut librariorum factum, ut multa Martyrum certamina non satis constent, sub hocne Maximiano an sub Maximo, qui Constantini Magni collega fuit, an etiam sub Galerio acciderint, quem Maximinianum appellatum, Maximinum aliqui dixerunt.

Tertio anno, scilicet Christi 239. Maximinus Imperator ex militum tumultu extinctus fuit, Gordianoquè succedente pax Christianis reddita fuit.

PERSECUTIO GENERALIS

SEPTIMA

SUB DECIO IMP.

Anno Christi 253.

§. XIV. Hanc Septimam notat S. Hieronymus persecutionem de *Script. Ecclesiast. in Alexandro*: item S. Augustinus *loc. cit.*, Orosius *cap. 21.* Crudelissimus Tyrannus Decius occisis Philippo patre & filio Imperator effectus, mox edicto in Christianos promulgato sæviit. De quo Alexandriæ Episcopus Dionysius coætaneus apud Eusebium *Hist. Eccles. Lib. 6. cap. 34.* refert. Decii edictum erat jam vulgatum, illudquè profectò tale videbatur, quale Dominus prædixerat futurum, in quo terribilissima illa jam propemodum expectabatur sententia: nimirum electos, si possibile foret, in errorem inducendos. Hinc omnes

omnes certè metu periculi obstupuerunt. De ejusdem persecutionis maxima acerbitate S. Hieronymus *in vita S. Pauli Eremitæ* & *de Script. Eccles. in Origene*, nec non S. Gregorius Nyssenus *in vita S. Gregorii Thaumaturgi*, aliique plures meminerunt.

§. XV. In illa persecutione priorum omnium sævissima ingens fidelium numerus mactatus fuit, qui exquisitissimis tormentis laniati, & miserando spectaculo prostrati in plateis urbium & publicis viis reperti fuerunt. Multi, datis libellis se ipsos deferentes, ne vitæ aut rei familiaris omnimodam jacturam facerent, Christi fidem, nondum ad motis tormentis ignominiosè abnegarunt, multi fugâ dilapsi. Nihilominus plures, quos antea delicæ, carnis concupiscentia & mundanorum cupiditas abduxerat, fidem intrepidè coram inquisitoribus glorioso martyrio consignârunt, inter quos S. Fabianus Pontifex Romanus, SS. Abdon & Sennen Romæ, S. Apollonia Virgo Alexandriæ, S. Julianus podagræ doloribus ita oppressus, ut incedere nequiret. S. Christophorus in Lycia, S. Mercurius Militum ductor Cæsariæ in Cappadocia, S. Agatha Virgo sub Vibio Catanæ in Sicilia, SS. Babylas Antiochenus & Alexander Hierosolymitanus Episcopi, S. Saturninus Episcopus Tolosæ in Gallia. Nulla fuit Romani orbis regio, quæ martyrum sanguine non maduerit: Fuitque tantus eorum numerus ut vel nomina recensere nihil aliud sit, quàm martyrologium texere aut exscribere.

§. XVI. Anno integro duravit ea persecutio, usque dum Decius in prælio adversus Barbaros cum confusa turba fugiens & in paludem incidens absorptus fuit, ut cadaver reperiri nequaquam potuerit, licet studiosè requisitum fuerit, quemadmodum perhibet Aurelius Victor. Deinceps Vibius Trebonianus à reliquis ex casu exercitu Imperator renuntiatus persecutionem continuavit. Pionius presbyter Smirnenfis una cum aliis plurimis busto

injectus, Maximus Episcopus Ephesus cum quibusdam trucidatus &c. Eo tempore septem Dormientes in antrum confugerunt, qui dicuntur in eo post annos 372. sub Theodosio Imperati reperti. De iis tamen nullus scriptorum, qui tunc vixerunt, meminit, non Prosper, non Marcellinus Comes &c. Sed postea à Græcis Metaphraste, Nicephoro, dein à Gregorio Turon., Sigeberto &c. referuntur, atque in Martyrologio Romano ad 27. Julii diem recensentur: ubi *in notis*, quid hac in re discernendum sit, Baronius detrectat scribere, quamvis fateatur se proclivorem in sententiam eorum, qui putant, quod, inventis horum septem Martyrum corporibus, apparuerint veluti redi-vivi & quasi dormientes, non quod revera ex somno excitati vivi semper permanferint.

PERSECUTIO GENERALIS
OCTAVA
SUB LICINIO VALERIANO IMP.

Anno Christi 258.

§. XVII. Licinii Valerii imperium initio, quando erga Christianos satis bene affectus fuit, utcunque floruit, non multò post tamen à quodam mago Aegyptio persuasus persecutionem atrocem in eosdem excitavit, quasi Deorum cultus suus labefactaretur. Fusus tunc per omnem Romani Imperii latitudinem innocentium sanguis copiosissimus, ut legitur apud Eusebium *Hist. Eccles. Lib. 7. cap. 10.*, Orosium *Lib. 7. cap. 15.* Hanc persecutionem Optatus Milevitanus *Lib. 3.*, S. Hieronymus *Lib. de Script. Eccles. in Methodio & in vit. Pauli Evem.* alique putant esse eandem continuatam, quam Decius excitavit præsertim quia tempore Decii, ut Trebellius Pollio prodit ex Senatus Consulto Valeriano, quamvis Præfectus non esset, generalis

neralis censura, & in reliquos iudices illimitata potestas demandata fuit, qualem & Imperator ratificavit, qua ille abusus censoria potestate Christianos persecutus fuit, in quo postea perrexit Imperator existens. Quapropter etiam in Martyrologiis varii Martyres referuntur passi sub persecutione Decii & Valeriani. Verum S. Augustinus & Orosius *LL. cc. uti* & Sev. Sulpitius *Lib. 2.*, alique passim, qui de persecutionibus tradiderunt, unam ab altera distinguunt. Quamquam admitti posset persecutionem Valeriani non raro Decii appellari, ideo quod ab auctore, qui eam concitavit, vix sopita sub successore perseveravit denominari.

§. XVIII. In hac persecutione vitam pro Christo posuerunt Rufina & Secunda Virgines Romanæ, quas eadem fides verè fecit esse germanas, Stephanus Papa, S. Nicephorus Antiochia. Sixtus II. Pontifex Romanus proinde etiam S. Laurentius Diaconus, qui post triduum ipso prædicente, gloriosum martyrium consummavit. Quare errant Eusebium sequentes in Chronico (si tamen non fuerit interpolatum) qui sub Decio Laurentium passum volunt. Cum enim Sixtus, mortuo ante quadriennium Decio, passus fuerit sub Valeriano Imperatore, quemadmodum S. Cyprianus Synchronus *in epist. ad Successum* perhibet, manifestum est sub eodem Imperatore passum fuisse S. Laurentium, ut bene observavit Baronius tum *in Annal.* tum *in Notis ad Martyrol.* 10. Augusti.

§. XIX. Perstitit persecutio annis propemodum 6., quando Valerianus, quod nulli Caesarum ante contigerat, in expeditione adversus Saporem Persarum Regem suscepta captus pro fœbello equum ascendenti applicatus, demum excoriatus & fœle conspersus ipsemet sæ infatuatum miserrimè interiit.

PER-

PERSECUTIO GENERALIS
NONA
SUB AURELIANO IMP.

Anno Christi 273.


§. XX. Domitius Valer. Aurelius humili loco natus favore militum ad Imperium euectus æquitatis amans severe in excedentes animadvertit; adeo, ut diceretur *bonus medicus, sed qui nimium sanguinis eliceret*. Orthodoxos quidem aliquamdiu in pace vivere permisit, imo videbatur de Ecclesia bene promeritus, dum aduersus execrandam Pauli Samosatani Episcopi Antiocheni hæresin & in Filium Dei blasphemiam, secundum Patrum decreta rescipit, ut est apud Eusebium *Hist. Eccles. Lib. 7. cap. 23. & sequenti*. Postmodum tamen (quod Baronius ad ultimum Imperii sui annum refert) velut quodam insano furore correptus sævissimam in Christianos persecutionem concitavit edicto promulgato, quod in actis Symphoriani legitur. Quare mirum videri poterit, quod Orosius, uti & Sev. Sulpitius hanc persecutionem minimè recenseant, quam putant quidem ab Aureliano tentatam: sed minimè ad executionem pervenisse, cum terrore vindictæ divinæ fuisset ab intentione revocatus brachio scribentis edictum subito debilitato. S. Leo Papa hanc persecutionem generalem Octavam fuisse arbitratur: sed nonam cum S. Augustino alii passim numerant.

§. XXI. Sub eodem Imperatore passi sunt S. Symphorianus Adolescens Augustoduni in Gallia capite plexus. S. Agapitus adolescens Præneste in Italia. S. Felix Pontifex Romanus, S. Patroclus Trevis, S. Conon & filius ejus 12. annorum apud Iconium Isauriæ civitatem craticulæ suppositis prunis & oleo su-

perin-

perinfuso impositi. S. Reverianus Augustodunensis Episcopus, Paulus presbyter aliique decem martyrio consumpti &c.

§. XXII. Demum cum vir sanguinum ultra annum in Christianos horrendum in modum saevisset, per Thraciam iter faciens ab exercitus ducibus interfectus fuit ætatis 75. Anno Christi 275. Qui proximè in Imperio successerunt, exiguo tempore præfuerunt: attamen præsidum ac iudicum saevitiâ non paucos eo tempore Christianos sublato, antiqua testantur monumenta.



PERSECUTIO GENERALIS

DECIMA

SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO

Anno Christi 302.

§. XXIII. Fuit ea tempestate tanta in Ecclesia morum corruptio, ut meritò credamus Eusebio *Hist. Eccles. Lib. 8. cap. 1. 2. & 6.*, persecutionem omnium saevissimam Diocletiani fuisse à Deo vindice immisam *propter corruptos Christianorum mores, maximè verò Ecclesiasticorum, in quorum vultu simulationem, in corde dolum, in verbis fallaciam cernere licuit: livore, superbia, inimicitii inter se concertantes; tyrannidem potius, quàm sacerdotium sapere videbantur, Christianæ pietatis omnino obliti, divina mysteria profanabant potius quàm celebrabant.* Itaque Anno regni sui 19. mensè Martio Diocletianus, & quem in collegam assumpserat, Maximinianus persecutionem universalem excitârunt, juxta S. Augustinum, Orosium *LL. cc. decimam*, opinione Sev. Sulpitii nonam.

§. XXIV. Ipso die Paschatis templa everfa, libri sacri combusti, Christiani à Magistratibus ejeti, in servitutum durissimam

G g g

rapti,

rapti, omni penete suppliciorum affecti. Eusebius *H. E. Lib. 8. cap. 3.* Hujus quoque edicti meminit S. Augustinus *Lib. 2. de bapt. cap. 2.* item *Lib. 3. cont. Crescentium cap. 27. &c.* Deplo-
rat ejusmodi librorum conflagrationem Arnobius *Lib. 4. cont. Gentes.* Cùm autem Christiani à Gentilibus magi haberentur, horum libri ejusdem artis sunt æstimati, quod mirum videri non debet, siquidem & Libros Ciceronis de natura deorum & de divinatione, quod ex illis idolorum superstitio impugnari videretur, abolendos ex Senatus-Consulto, quorundam fuisse arbitrium tradit idem Arnobius *Lib. 3.* Ante edictum Augustorum quibusdam veluti præludiis intentandæ persecutionis complures mactatos Christianos observat Eusebius *in Chron. anno 14. Dioclet. & H. E. Lib. 8. cap. 4.* Maximinianus totam Legionem Thebæam decimari curavit ad martyrium, Petrus, Dorotheus, Gregorius seu Gorgonius antea in summis dignitatibus constituti vario cruciatuum genere sublati, Anthimius Episcopus Nico-
mediensis capite plexus, ubi templo incenso ad 20000. in busto consumpti feruntur. Marcellinus & Marcellus Pontifices Romani pro Christo sublati. Eulalia Virgo à Deciano præside condemnata, Romanus Diaconus Casaræ vir nobilis sævissima passus, SS. Petrus exorcista & Marcellinus presbyter Romæ decapitati, SS. Simplicius & Faustinus fratres horumque soror Beatrix, SS. Felix presbyter & alius, cujus nomen ignoratur proinde Adauctus vocatus, SS. Primus & Felicianus germani, Lucia nobilis matrona & per hanc ad fidem conversus Geminianus, Basilides, Nabor, Cyrinus & Nazarius, 14. annorum, puer Pancratius, S. Erasmus Episcopus Formiis in Campania felice, Vitus, Modestus & Crescentia in Lucania, Valentinus presbyter & Hilarius Diaconus in Tuscia, SS. Vitalis & Agricola Bononiæ, Nabor & Felix Mediolani, Chrysofonus Aquileiæ, Victorinus Episcopus Pictaviensis in Gallia. Crispinus & Crispinianus nobiles Romani Sueffione, Firminus Ambianensis Episcopus in Picardia, Quinctinus civis Romanus & Senatorii Ordinis vir Augustæ.
Vero-

Veromanduorum, exinde Quinctinopolis, Donatus & Rogatianus fratres Nannete in Britannia minore, Piaton presbyter in Belgio, Vincentius Levita Valentia in Hispania, Justus & Pastor Complutenses pueri, Albanus Verolamii in Anglia, Anastasia in Palmaria Latii insula, Lucia virgo Syracusis in Sicilia, Clemens Episcopus cum Agathangelo Ancyrae in Galatia, Agnes virguncula Romana Romae, ibidem Emerentiana ejus collactanea, Theodorus miles Amaseae in Ponto, Basiliscus Comanae in Ponto, Dorothea virgo in Cappadocia &c. de Tyrannis gloriose triumpharunt.

In Syria carceres sceleratis deputati tunc Episcopis presbyteris & diaconis repleti erant. In Palaestina & Phoenicia tantus Christianorum numerus feris obiectus, ut bestiae ipsae pascerentur & parcerent sanctis, nec auderent vel nudos accedentes attingere. Non poterit exprimi verbis, quantus numerus in Africa, Mauritania, Thebaide, Aegypto sublati. Uno mense 17000. variis in locis occisi. Horrenda prorsus carnificina in Phrygia, ubi tota civitas cum fidelibus combusta, in Arabia, Cappadocia, Mesopotamia, Ponto &c. *Quis enim Caucasus, quae India, quae Hircania tam immanes, tam sanguinarias unquam bestias aluit?* scribit Lactantius, qui tunc Nicomediae Rhetoricam profitebatur. Inter celebriores illius temporis pugiles Christi extiterunt Philoromus Episcopus Alexandrinus, Tyranius Episcopus Tyri mari mersus, Sylvanus cum aliis 39. capite plexus, Sylvanus Episcopus Emisenus feris obiectus, Peleus & Nilus in Aegypto Episcopi exusti, Zenobius Sidoniensis presbyter tormentis extinctus, Phileas Thmuitarum Episcopus capite amputatus, Petrus Alexandrinus Episcopus cum presbyteris extremo supplicio affectus &c. In sola Aegypto 144. hominum millia necata Spondanus ex aliis tradit.

§. XXV. Demum Diocletianus, sive quod post felicitatem extraordinariam adversam fortunam apprehenderet, sive dolore, quod Christianos extirpare non valeret, Nicomediae Imperium, Maximinianus Mediolani deposuerunt, jubentes, ut Generi illud administrarent. Primus inter suspiria morbo confectus pavens & tremens animam evomuit. Alter in Galliam profectus, ut fasces resumeret, ac Constantino Magno genero suo insidias strueret, Massiliae strangulatus periiit.



LIBER

LIBER V. CARDINALES

§. I. *Nomen.*

Cardinalis ex nominis significatione idem est quod Principalis: quo sensu dicuntur venti Cardinales, Virtutes Cardinales. Idem nomen olim usurparunt Officiales Theodosii Imperatoris Generales scilicet exercitûs & Præfecti seu Prætores Asiæ vel Africa: quia possidebant principalia officia Imperii in præeminente dignitate. Hoc nomine vocantur Pontificis Maximi assessores, Consiliarii, gubernatores Ecclesiæ universalis, quod in illis veluti Cardinibus Ecclesiæ negotia versentur. Ita Chalcondylas *Lib. 6.* Unde Leo IX. *epist. ad Michaëlem cap. 32.* dicit Clericos R. E. vocari Cardinales, quod Papæ adhæreant, qui est quasi cardo totius Ecclesiæ.

§. II. *Origo S. R. E. Cardinalium.*

Cardinalium S. R. E., uti recens est nomen, sic res antiquissima. Petrus de Alliaco & ipse Cardinalis, Episcopus Cameracensis in *tractatu de auth. Eccles.* quem in ipso Concilio Constantensi, cujus aliquando præses, composuit, scribit. Licet nomen Papæ & Cardinalium non fuerit in usu tempore primitivæ Ecclesiæ, tamen Ecclesiasticæ potestates, dictis nominibus designatæ ex tunc in Apostolis præfulserunt. Et cum ante Apostolorum divisionem ipsi Petro tanquam Ecclesiæ capiti assistentiam suam præbuerint, ac deinde dispersi specialia loca ad prædicandum sortiti sint, infert, quod Apostoli prius Cardinales, quàm Episcopi fuerint. Verum ut hæc gratis dicta sint, ex monumentis Ecclesiasticis compertum habetur, quod Clerus Pont.

Rom. instituerit 25. presbyteros titulares & quod Anacletus 7. Diaconos nominaverit præcipuos in memoriam eorum, qui tempore Apostolorum fuerant electi, quodque hi fuerint primævi Cardinalium tituli; adeoque, ut observat Bellarminus *Lib. 1. de Clericis cap. 16.* Nomen Cardinalis à loco ad personas derivatum: etenim Ecclesiæ principaliores, in quibus baptismus conferebatur, dicebantur Cardinales, ut constat ex Concilio Meldensi, proinde earum Rectores dicebantur presbyteri Cardinales. Evaristus Papa hanc institutionem confirmando divisit intra Urbem parochias, quæ Consiliariis Papæ fuerunt assignatæ. Higinus circa Annum Christi 156. Ordinem Clericalem distinguens, commisit Episcopis principaliores Ecclesias in & extra Urbem regendas, presbyteris verò alias, uti & coemiteria Romæ, ut Sacramenta administrarent & fidelium sepeliendorum curam haberent. Cardinales verò Diaconi in Hospitalibus curabant orphanos, viduas, infirmos &c. Domusque adjacens, quam incolebant, Diaconia vocabatur. Si qua alia erant in Urbe sacella, dicebantur oratoria, Martyria &c. in quibus solum missa celebrabatur & Sacellani in iis celebrantes dicebantur *presbyteri Locales* id est, presbyteri unius loci in particulari. Ad distinctionem ergo Ecclesiarum parochiales dicebantur *Cardinales* & Sacerdotes iis præfecti nominabantur *Cardinales*, idque potissimum Romæ, ubi hi sacerdotes assistebant Pontifici in Missarum solemnibus. Quare Leo IV. P. M. illos appellavit presbyteros sui Cardinis. Eorum fit mentio in Concilio Romano sub S. Sylvestro, uti & Diaconorum Cardinalium, ut refertur 2. q. 7. c. 5. Quamquam alii de hoc Concilio dubitantes velint, quod in Concilio Romano Anno 853. celebrato Diaconi præfecti Diaconiis obtinuerint etiam titulum Cardinalis, vel quia erant Principales inter cæteros Diaconos, & velut Archidiaconi, vel quia assistebant Presbyteris Cardinalibus Papæ ministris. Quorundam est opinio, quod presbyteri & Diaconi illud nomen jure hæreditario obtinuerint tempore Sergii Papæ circa annum Christi 845., licet sint.

sint, qui velint nomen cum dignitate illis prius obvenisse a Benedicto VIII. circa annum 1025. Baronius observat circa annum 1057. septem proximiores Episcopos Pontifici assistentes vocatos fuisse Cardinales Episcopos: cum equidem horum fiat memoria tempore Stephani IV. circa annum Domini 769. Interim S. Gregorius M. *epist. ad Fortunat. Episc. Neapol.* meminit Diaconorum Cardinal. & *Lib. 2. epist. 34. ad Joan. Episc. Syracus.* meminit Cardinalium presbyterorum. Joannes Diaconus *Lib. 3. vit. S. Gregorii cap. 7.* enumerat Episcopos, quos idem S. Pontifex creaverat Episcopos ex presbyteris Cardinalibus. Ex eodem Gregorio aliisque habemus non solum Romæ tunc extitisse Cardinales: sed etiam alibi.

§. III. *Officium Cardinalium.*

Cardinales ex officio assistunt summo Pontifici in regimine universalis Ecclesiæ, ejusque sunt perpetui coadjutores. Non tamen omnes qui eidem assistunt quovis ministerio, Cardinales dici poterunt: neque enim S. Hieronymus, qui *in epist. ad Gerontianam* scribit se esse presbyterum Antiochenæ Ecclesiæ & adjuvisse Damasum in consultationibus, dici poterit S. R. E. Cardinalis, licet id sine causa negare Bellarminum velit Henriquez *in Theol. Mor.* qui insuper præterdit, sanctum illum fuisse Cardinalis officio functum sub titulo S. Laurentii. Author etiam *Mirologi cap. 21.* vocat S. R. E. Cardinalem, qui sub Beato Damaso Ecclesiasticis institutis diligentissimè invigilaverit. Sed neque id ipsum qualescunque picturæ probant, in quibus habitu cardinalitio exhibetur, quem illum nunquam gestasse constat. Attamen non inter notabiles & majoris momenti errores esse referre sic Hieronymum inter Cardinales bene scribit Molanus *de picturis cap. 23.*, cum ille habitus Cardinalitius significet S. Hieronymum id officii habuisse apud Damasum, quod illi nunc habent Cardinales, qui *in epist. II. ad Agerruchiam* scribit: Ante annos
pluri

plurimos cum in chartis Ecclesiasticis adjuvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodis consultationibus responderem &c. Fuerit ergo Hieronymus officio Cardinalis, nulli tamen Ecclesiæ fuit præfectus titulari, proinde Cardinalis dici nequit. Præterea Cardinales, juxta suum characterem fungi debent officio Episcopali, Sacerdotali vel Diaconali in districtu sui tituli.

Anno Domini 1059. in Concilio Romano Episcoporum 113. sub Nicolao II. ita statutum fuit, ut electio Rom. Pontificis in potestate Episcoporum sit; ita ut si quis Apostolicæ Sedis sine præmissa concordia & Canonica electione eorum ac deinde sequentium Ordinum religiosorum clericorum ac Laicorum consensu inthronizatur, is non sit Papa vel Apostolicus: sed Apostolicus habeatur. Deinceps tamen in electione Alexandri III. jus illud private omnibus Cardinalibus competit: ac antea scilicet in Electione Innocentii II. frustra obnitente Petro Leonis soli Cardinales jus suffragii habuerunt.

Cum mortuo Pontifice interregnum est, omnia Cardinales administrant: sed minor tamen est horum, quam Pontificis potestas, cum sit primarius Ecclesiæ Christianæ Clerus, nec tamen sit ipse caput Ecclesiæ: sed Ecclesiæ in terris visibile caput eligere possit.

§. IV. Numerus Cardinalium.

Cardinalium numerus certus non est. Tempore Pontifici Papæ, circa annum Domini 235. Anselmus Laudunensis Glossator dicit fuisse 236., quod tamen alii censent autoritate carere. Fuisse tamen *re licet non nomine*, verisimile videtur, quandoquidem Consilium Romani Cleri etiam sub Ethnicorum Imperatorum regno magnum fuisse constet. Bonifacius VIII. viginti voluit esse. Concilium Constantiense 35. deputandos censuit. Sub Leone

Leone X. 75. extiterunt, sub Paulo IV. 70., sub Pio III. 76. Sixtus V. Anno 1585. constituit 70. ad Numerum seniorum Moysi adstantium, qui numerus plerumque non est completus: modernus tamen Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII., si relationibus habenda fides, plures etiam creare constitutum habet.

Sex sunt Cardinales Episcopi; videlicet de Ostia simulque de Porta, de Sylva candida vel S. Rufini, de Albano, de Sabina, Fraschatti & de Palæstrina. Hi vocabantur Collaterales seu Hebdomadarii & faciebant officia divina vice Pontificis. His in Majori ara Ecclesiæ Lateranensis solum celebrare licet. Cardinales presbyteri sunt 14., licet etiam alibi Episcopi, ita vocantur: quemadmodum fuit Conradus Archi-Episcopus Moguntinus ab Alexandro III. creatus, deinde Galdinus Sala Episcopus Mediolanensis. Cæteri Cardinales Diaconi sunt.

Post obitum Alexandri dicti erant tantum duo presbyteri Cardinales; dum Nicolaus III. eligeretur, in universum 7. tantum Cardinales vivebant.

Ex constitutione Concilii Basiliensis Cardinales ex omni natione, docti, prudentes probique sumendi; Regum filii aut nepotes pauci. Sixtus V. voluit, ut ex ordinibus mendicantium quatuor ad minus Theologiæ Doctores assumerentur. Benedictus XII. interpellatus pro creatione plurium Cardinalium, respondit, *se non posse plures Cardinales creare, donec monstratur novus mundus, cum hic unicus videatur insufficiens jam creatos alere.* Id sanè tenendum, verba sunt Adami Conzen *Lib. 6. Polit. cap. 35.* nunquam esse aliquem eligendum Cardinalem, ut ipse electus ad honores, opes, potentiam evehatur: sed publici boni causâ, ut utilitati ac necessitati Ecclesiæ prospiciatur. Quare prudentissimè sancivit Concilium Later. *sess. 9.* & habetur *7. Decretal. L. 1. Tit. 4.*, ut Cardinales sint pii, casti, rebus sacris intenti, sine fastu, sine superfluis, certis Principibus minimè ad-

H h h

dicti,

dicti, quales reputantur ii, qui Zelotæ nunc vocantur, quorum agmen duxit, sicut instituit, Pontifex Maximus Benedictus nunc clavum Ecclesiæ tenens, quando à Clemente X. ante annos 56. fuit ex ordine Dominicanorum creatus, qui sine habito respectu ad ullum Principem jurârunt se Pontificem electurum, qui optimè posset Ecclesiæ præesse & prodesse. Fuère quidem Cardinalium redditus ab initio satis exigui: postea crescente negotiorum multitudine, firmatòque civili Romanæ Ecclesiæ imperio in Italia, Sicilia aliisque locis eorum crevit authoritas, opes & magnificentia, ita ut quidam ex adjectis Abbatibus Commendariis &c. immensam pecuniæ summam percipiant.

§. V. *Prærogativa Cardinalium.*

Certum est imprimis, eos olim, qui re, non nomine, saltem ut nunc dicuntur Cardinales extiterunt, longe infra Episcopos fuisse: id, quod quidam evincere conantur ex eo, quod in Concilio Romano sub Sylvestro contra Episcopum accusatum requirantur testes 72., contra Cardinalem presbyterum 44., contra Cardinalem Diaconum nonnisi 27. sufficient. Certum est deinde, quod secundum potestatem ordinis Episcopus sit major presbytero Cardinale: siquidem non hic, sed ille ordinat presbyteros, confirmat baptizatos, conficit Chrysm, idque ex jure divino. Atque hac ratione Episcopi olim precedebant Cardinales in Conciliis aliisque pluribus actibus, ut patet ex Concil. Carthag. IV., imo illis confidentibus Cardinales stare debebant. Quod potissimum ex eo provenisse putatur, quia Episcopi concurrebant ad electionem summi Pontificis, & primis octo vel novem sæculis Episcopi Italiæ erant immediati assessores & Consilarii à Latere Papæ. Ex quo tamen electio devoluta est ad solos Cardinales, illique cœperunt esse Consilarii Pontificii ac Vaticanæ Senatores, ordo ille mutatus fuit, ut Cardinales præminentiam ante Episcopos imò Archi-Episcopos, Præmures & Patriarchas habeant. Quemadmodum igitur olim in Ecclesia Constanti-

stantinopolitana Exocatacelli, Chartophylaces, qui erant quasi os, Labra & manus Patriarchæ juxta Balsomonem in *Can. 10. Synod. VII.*, ante Episcopos sedebant, quod hi in sacris concionibus, ut Codinus ait, seu conventibus cum Patriarcha sedeant: sic Cardinales, quos S. Bernardus *Lib. 4. de Consid.* Collaterales & coadjutores sedulos & intimos Papæ nominat, nunc Episcopos præcedunt, quamvis Cardinalium præcedentia longè recentior sit, quam chartophylacium seu exocatacellorum; nam hos, etsi solum Diaconi essent, ab octavo Sæculo Episcopis præcessisse constat: Cardinales autem Diaconi non ante X. vel XI. sæculum Episcopos Romæ præcessisse videntur, siquidem in Conciliis Romanis ante annum Christi Millesimum celebratis, nequidem sedere, nedum ante Episcopos sedere permittebantur Cardinales Diaconi. Non liquet interim, quo demum tempore Cardinales Diaconi cœperint Episcopos præcedere: hoc enim sensim factum putatur, nempe cum Cardinales sæpius Legati fuissent, & Legationis suæ jure Episcopos præcedere consuevissent, hanc suam supra Episcopos præsentiam ordinariam effecerunt, quo etiam facta est mutatio dignitatum. Decanus Cardinalium, qui senior dicitur & est Episcopus, nulli quàm Imperatori cedit. Ex Constit. Sixti V. alios præcedunt ipsi Reges, sequuntur Principes.

Cardinales speciali modo sunt Pontificis summi filii & ejus membra, ut refertur *Cap. Felicis §. de poenit. in 6.* unde ob specialem illam rationem, qua sunt inviscerati Papæ, hic non exigat ab illis juramentum fidesitatis: sed duntaxat jurant se honorem S. Matris Ecclesiæ, & jura Pontificis conservaturos, & pro viribus aucturos. Quando eos simul nominat, Fratres appellat; singulos vero, si Episcopi non sint, Filios vocat. Ob eandem inviscerationis rationem Cardinales infirmi juxta Perez *Pentateuch. Fidei tract. 3. dub. 318. n. 81.* & alios apud Dianam *p. 5. tract. 2. Resol. 33.* Cardinales non possunt sanguinis missionem pati sine licentia Papæ, ubi commodè haberi potest.

H h h 2

Sixtus

Sixtus V. P. M. de maturo, ut ait, Cardinalium consilio Anno 1587. edidit constitutionem, quæ incipit: *Postquam verus ille* in qua varias qualitates pro creandis Cardinalibus sapientissimè requirit, vetans, ne quis ullatenus ad Cardinalitiam dignitatem assumatur, qui in 4. minoribus ordinibus per annum saltem tonsuram Clericalem non gestaverit: ne promoveantur, qui prolem, etiam legitimam, vel ex ea nepotem habent. Perpetuò indixit, ne ullo unquam tempore, qui frater, vel ex utroque, vel alterutro parente existit alterius Cardinalis, vel consobrinus, patruelis, ametinus patruusve hujus sit, assumatur. A Cardinalatu quoquè arcet illegitimos, licèt per subsequens matrimonium legitimatos, infames propter defectum, vitia, aut alia de causa ad suscipiendos Ordines Sacros inhabiles, etiamsi autoritate Apostolica cum ipsis dispensatum fuisset. Ea dem constitutione sancivit promovendos Cardinales Diaconos debere esse 22. annorum. Ex jure antiquo Cardinales presbyteri vel Episcopi esse debent 30. annorum.

Nihilominus Papa de plenitudine potestatis suæ nullo habito respectu ad has, vel similes constitutiones valide potest creare Cardinales non habentes qualitates has vel alias requisitas; & videntur illarum respectus in dissuetudinem abiisse; maximè decretum illud de non creandis propinquis creatorum Cardinalium, qui facilius etiam ex hoc capite promoveri solent. Et nostro tempore Innocentius XII. P. M. parentem Reginae Poloniae octogenario majorem Cardinalem creavit. Ex illegitimis sæculo superiore fuerunt creati Laurentius Cibo, Hypolitus de Medices, Franciscus Borgias Valent., Petrus Verrucius Hispanus, Gabriel Pangonius, quos refert Simon Majolus, apud quem Joannes X., Clemens VII., Leo V. ex illegitimo thoro procreati Pontifices fuerunt. Cerrè Joannem XI. Sergii III. P. M. ex Marozia Scorto genitum ex historiis compertum habetur. Idem tamen Majolus *cap. 11. n. 4. dierum Canicul.* censet falsum esse opinionem

nem eorum, qui putant illegitimos fuisse Joannem VII., Bonifacium VII., eo quod nati fuerint ex parentibus ignotis & obscuris. Multi quoque Pontifices fuere successores in Pontificatu parentum suorum, ut Gelafius I., Theodorus I., Sylverius I. &c.

Amplissima insuper concessa sunt Cardinalibus privilegia: ut quod Regibus æquiparentur, & Collegium Reges præcedat; quod obviantes iis, qui ad supplicium ducuntur, possint obumbrando Galero à morte eripere: quod in dispositione onerosa generali non comprehendantur. Urbanus VIII. P. M. Cardinalibus dedit titulum Eminentiae, & exinde appellantur Eminentissimi. Bulla emanata fuit Anno 1630.

Dux Venetus prætendit præ eminentiam; Electores hanc in coronatione Caroli V. obtinuerunt. In Italia aliàs Cardinales præcedunt.

§. VI. *Creatio Cardinalium.*

Ex Constitutione Concilii Basiliensis Sess. 23. Cardinales creandi sunt factò scrutinio per majorem partem creatorum Cardinalium: sed id nunquam fuit postea usu introductum: sed hodiedum solo Pontificis arbitrio assumuntur, & consensus Collegii Cardinalium adjungitur. Quando Summus Pontifex intendit Cardinales creare, eorum scribit nomina, quos vult evehere ad talem dignitatem, & in Consistorio facit legi hoc modo: *Habetis fratres NN. Cardinalem*; Soletque adjungere creationis motiva, quando nomina præleguntur. Interea Cardinalis Patronus mittit quosdam, ut illos quærant, qui tunc sunt in Urbe, & introducto dicit Pontifex: *Esto Cardinalis*. Quo obtinet jus suffragii in Conclavi. In proximo Consistorio, iis qui hucusque latuerunt incognito, nec frequentarunt congregationes Cardinalium, dat illis Pontifex pileum rubrum & os claudit. In sequenti demum aperit, tuncque Congregationibus interesse poterunt

runt. Absentibus per camerarium quendam mittit biretum rubrum solemnissimè imponendum per Imperatorem, Regem, vel supremum Principem. Pileum autem seu galerum rubrum non nisi de manu Pontificis recipere debent, intrantque cum insigni equitatu Urbem. Decorantur etiam Cardinales annulo, dum iis Ecclesia titularis assignatur.

§. VII. *Vestitus Cardinalium.*

Vestes Cardinalium sunt tunica oblonga, Rochetum, Mantelletto, Moretum & Cappa Papalis super Rochetto in processionibus solemnibus. Color est varius pro ratione temporis, rubeus, violaceus &c. Regulares non portant sericas vestes. In Concilio Lugdunensi Ao. 1245. sub Innocentio IV. Cardinales tunicas purpureas portare ceperunt, quo admonerentur se sanguinem pro Ecclesie juribus effundere paratos esse debere, cujus occasionem præbuerat Fridericus II. Ecclesiam infestans. Paulus II. P. M. Anno 1465. Cardinalibus 51. dedit purpureum biretum, equum album cum fræno aurato. Ejus byreti usum extendit Gregorius XIV. etiam ad Regulares Cardinales, testante Barbosa *Lib. 4. Jur. Eccles. cap. 6.*

§. VIII. CONGREGATIONES CARDINALIUM.

Quoniam summus Pontifex, cui à Christo universæ suæ Ecclesie cura demandata fuit, crescente fidelium numero, per se tot tantarumque causarum ex universo orbe confluentium exactam discussionem & maturum exercere non valet iudicium, varias diversis temporibus varii constituerunt Pontifices Cardinalium, utpote suorum coadjutorum Congregationes, iis adiungendo in proprio causarum genere viros doctissimos & veracissimos. Inter 18. Congregationes, quæ Romæ sunt institutæ, celebriores sunt sequentes.

§. IX.

§. IX. *Congregatio St. Officii.*

Hæc congregatio, quæ etiam vocatur Inquisitionis generalis, erecta fuit à Paulo III. Anno 1542. qui in Bulla; *Licet*, eo anno emanata concedit eidem potestatem absolutam inquirendi, citandi, procedendi in omnibus totius mundi partibus & causis, quæ tam hæresin manifestam, quam præsumptam concernunt. Eam Sixtus V. restabilivit & crimen confessorum sollicitantium Ao. 1587. adjecit. Pro hac congregatione, & ferè pro reliquis, præter officiales varios, deputati sunt quinque Cardinales, quorum saltem tres interesse debent, ut aliquid ritè concludatur, sicut constituit Pius IV. anno 1564. Conveniunt bis in hebdomade, feria 4ta coram Seniore Cardinale, feria 5ta coram summo Pontifice, & quandoquè extraordinariè.

§. X. *Congregatio Concilii Tridentini.*

Instituta fuit à Pio IV. Anno 1564. & renovata à Sixto V. Cognoscit, examinat, declarat & resolvit dubia, quæ proponuntur circa decreta morum, contenta in actis ejusdem absolutissimi Concilii. Eorum verò decretorum, quæ ad fidem pertinent, interpretationem Pontifex Pius IV. sibi ipse reservavit. Ut autem declarationes Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sint authenticæ, requiritur 1º, ut sint datæ consulto Pontifice, hujusque in litteris nomen exprimatur: sic enim statuerunt Sixtus V. & Gregorius XIV. 2do debent esse *comprehensivæ*, hoc est, ut comprehendantur in verbis vel textu Concilii secundum proprietatem verborum legis eamque tantum interpretentur, non extendant, aut legem novam ponant, atque sic voluerunt Pius V. & Gregorius XIII. 3tiò Ut proponantur in forma authentica, nimirum cum S. Congregationis sigillo atque Cardinalis Præfecti & Secretarii subscriptione, ut voluit Urbanus VIII. Anno 1631. Interim experientia constat, quandoque fuisset da-

se datas hujusmodi declarationes sibi omnino contrarias. Damna-
tas fuisse sæpe omnes declarationes impressas hujus Congregatio-
nis observat Zipæus *Consult. Canon. Consult. I. tit. Elect.*

Celebratur semel quot mensibus, nisi occurrens necessitas
postulet frequentiore conventionem.

§. XI. *Congregatio Sacrorum Rituum.*

Erecta fuit à Sixto V. Anno 1587. Ad hanc referuntur,
quæ spectant ad disciplinam Ecclesiæ, ritus & ceremonias Sacra-
mentorum, officium Canonicum, Missam, celebrationes festo-
rum, Canonizationem Sanctorum. Solebat primitus semel tan-
tum in anno institui, nunc frequentior est pro ratione causarum.
Urbanus VIII. mandavit declarationibus hujus congregationis
nullam fidem adhibendam, nisi in authentica forma cum sigillo
& subsignatione Cardinalis Præfecti ac Secretarii munitæ fue-
rint. Quod idem de aliarum Congregationum decretis nunc
passim extenditur.

§. XII. *Congregatio de propaganda fide.*

Instituta fuit hæc Congregatio à Gregorio XV. Anno 1621.
Constat certo numero Cardinalium Prælatorum ac regularium.
Semel in anno coram Summo Pontifice, bis saltem in domo Se-
nioris Cardinalis congregari solebant, nunc frequentior institui-
tur, in qua omnia negotia ad fidem Catholicam propagandam
cognoscit, Missionibus superintendit, Ministros necessarios ablegat
etiam in remotissimas regiones, mutat, & quæ in partibus
hæreticorum occurrunt, disponit & decernit.

§. XIII. *Congregatio Indicis librorum.*

Assumit hæc Congregatio examen librorum impressorum,
eosque excutit, prohibet, suspendit, corrigit, & sanæ doctri-
næ

næ minimè convenientia, etiamsi hæretica planè non sint, expungit. Hujus Congregationis limam experti sunt viri etiam religiosissimi nihil minus expectantes quam suorum Librorum tam severam castigationem. Sunt equidem, qui procurarunt libri cujusdam damnationem, quatenus sic divendi citius possent, dum multorum curiositas eo adigit, ut cognoscere velint quid reprehensione dignum in iis reperiatur: adeo verum est illud: *Nitimur in vetita semper cupimusque negata.* Norandum interim Indicem librorum toties reimpresum & in immensum sæpius auctum non esse in Germania recepum, quantum ad libros illos, qui à Catholicis non suspectis sunt compositi: etiamsi in iis contineretur doctrina moribus fidelium non satis conformis, ut testatur Gobat ex Laymanno &c.

§. XIV. Congregatio Episcoporum.

Hæc Congregatio dirimit & decernit dubia, quæ sæpius oriuntur circa jura, immunitates, & privilegia Episcoporum vel sublimium Prælatorum Ecclesiasticorum. Ad eandem pariter spectat examen, & inquisitio personarum ad hujusmodi dignitates promovendarum. Tractatur quoque inibi de novis Episcopatibus erigendis, aut antiquis aliò transferendis. Conficitur ex decem Cardinalibus & aliis viris Ecclesiasticis tam Clericis secularibus, quam regularibus, qui examinatores vocantur. Plerumque præfidet ipsemet summus Pontifex. Extra Italiam nullus Episcopus subit hoc examen.

§. XV. Congregatio Statûs.

Huic intersunt omnes illi Cardinales qui fuerunt aliquando Nuntii Apostolici cum Secretario statûs, qui est semper Cardinalis. Celebratur pro rerum exigentia vel coram summo Pontifice vel Cardinale Nepote & expediuntur, quæ ad rationem status pertinent. Quodsi sint res status Ecclesiastici, referuntur ad *Consultationem.*

§. XVI. *Congregatio Regularium.*

Agit Congregatio ista de propositis dubiis religiosorum Mendicantium & aliorum, dirimitque lites inter illos exortas, cognoscit causas fugitivorum & Apostatarum. Declarat Bullas aut brevia à Pontificibus illis concessa, examinat indulgentias aliasque prærogativas, quas prætendunt.

Instituta quoque fuit non ita pridem ab Innocentio XII. Anno 1695. Congregatio de Reformatione Regularium & aliorum Ecclesiasticorum, ut ad pristinum sui instituti vigorem & observantiam reducerentur. Verum quia in executione hujus moliminis obtendebantur gravissimæ, ut primo intuitu videbantur, difficultates, etiam suæ sanctitati exhibitæ: ideo congregatio votis Zelosissimi Pontificis non correspondit, moxque dissoluta fuit.

§. XVII. *Rota Romana.*

Est Tribunal, ad quod referuntur quæstiones difficiliore in negotiis Ecclesiasticis totius mundi, quæ examinantur per viros in jure peritissimos. Hi quoniam in Capella Pontificia assistebant Papæ, olim *Pontificis Capellani* nominabantur. Dicuntur nunc *Auditores Rotæ*, quod in orbem sedentes controversias ad se delatas dirimant. Sunt autem numero 12.; ad quem eum Sixtus IV. reduxit, Unus *Gallus*, unus *Germanus*, duo *Hispani*, octo *Itali*. Dignitate & autoritate eminet proximè post Congregationes Cardinalium. Ad eam specialiter spectat discutere: an vita alicujus digna sit, ut in ordine ad solemnem apotheosin proponatur Congregationi Sacrorum rituum.

Decisiones Rotæ Romanæ quamvis magnæ sint autoritatis, extra tamen Curiam Romanam vim Juris Universalis non obri-
nent. Inter Italos sunt 3. *Romani*. 1. *Florentinus*. 1. *Mediolanensis*,

fs. 2. *Bononienses*, 1. *Ferrariensis*. Rotam instituit Joan. XXII., Clemens VIII. privilegiis exornavit. Alexand. VII. auditores Rotæ subdiaconos Apostolicos instituit. Quisquis menstrue 100. Ducatos, Decanus 200. recipit. In Appellationibus ad Rotam ultra 500. Scuta excessus esse debet.

§. XVIII. *Cancellaria Romana.*

Verfatur circa Ecclesiastica beneficia, & officia à Sede Apostolica dependentia, quæ etiam Camera Apostolica exequi solet. *Regulæ Cancellariæ*, hoc nomine appellari solitæ, vel quod magna earum pars concernat expeditionem litterarum Apostolicarum, quæ fit in Cancellaria, vel quod in Cancellaria publicentur, sunt certæ ordinationes Pontificiæ circa causas, potissimum beneficiales observandæ ab Officialibus Cancellariæ. Exspirant cum morte summi Pontificis, ac Sede vacante nullam vim obtinent. Porro *Brevia Apostolica* sunt rescripta à Pontifice, aut Magno pœnitentiarario emanatæ in breviori forma pro exiguis negotiis in papyro communiter scripta, cera rubra annuloque Piscatoris (id est, S. Petrum piscantem in insigni habente) signoque Notarii notata & subscripta. *Bullæ* autem semper in membrana seu pergameno, plumbo de funibus pendente munitæ, salutationem cum narratione & concessionem Papæ continent. Cancellariæ præest Vice-Cancellarius Cardinalis à tempore Gregorii VIII., qui, Cancellarius, electus in Pontificem, vices suas alteri commisit.

§. XIX. *Pœnitentiaria.*

Pro foro interno & quibusdam facultatibus obtinendis erecta & confirmata fuit à Sixto IV. & subsequentibus aliis Pontificibus. Præest illi Cardinalis, qui dicitur major pœnitentiarius, & facultates gratiasquè elargitur cum subsignatione sui nominis, quales sunt dispensationes super impedimenta occulta ad contrahendum

hendum matrimonium, irregularitates, rehabilitationes, commutationes &c. Votorum reservationes &c. Hæc tantum tribuuntur pro foro interno conscientiaë extra forum contentiosum & committuntur ab eodem Pœnitentiario Majori alicui Theologiaë aut Canonum Doctori eligendo ab indigente; debetquæ electus dispensare in ipsa Confessione Sacramentali, atque litteras postmodum lacerare, ne in foro contentioso quovis modo suffragari possint.

§. XX. LEGATI APOSTOLICI.

Sunt illi in triplici differentia. Alii dicuntur *Legati missi*, seu *Nuntii Apostolici*; qui scilicet à Pontifice mittuntur in aliquam provinciam cum jurisdictione ad expedienda negotia, vel sine jurisdictione ad nudum aliquod ministerium v. g. ad excipiendum Imperatorem, gratulandum Principi &c. Horum potestas pendet ex litteris suæ Legationis.

Alii *Legati Nati*, qui non mittuntur neque constituuntur de novo: sed suæ dignitati Ecclesiasticæ annexum habent officium Legati Apostolici, ideoque nati dicuntur simul ac ad talem dignitatem eliguntur, unà etiam veluti nascuntur Sedis Apostolicæ Legati. Talis in Anglia fuerunt Archi-Episcopi Cantuariensis & Eboracensis, in Francia est Archi-Episcopus Remensis, in Aquitania Superiori Archi-Episcopus Bituricensis, in Bohemia Pragensis, in Germania Salisburgensis, Coloniensis. &c. Alii denique *Legati à Latere* sunt illi soli, qui cardinalicia dignitate præfulgent, qui cum Pontifici sint collaterales, à Latere assumuntur ad Legationes. Horum potestas est amplior, quam aliorum, cum Legatorum Natorum ad pauca se extendat; de quibus tractant Canonistæ. Neque omnimodam habent illi, qui dicuntur *Nuntii Apostolici cum facultate seu potestate de Latere*, quales plerumque sunt in Helvetia Lucernæ, ad tra-

ctum

Etum Rheni inferioris Coloniae morantes; item Nuntii Viennae in Austria, Hispaniae, Galliae, Poloniae, Venetiarum &c. Qui non recognoscuntur pro talibus, nisi litteras suae legationis, quas *Credenciales* vocant, exhibeant authenticas. Legatis verò à Latere creditur sine illis ostensis.

Nuntius Viennensis quot mensibus recipit ex Camera Apostolica 230. Scuta, in Gallia 245., Venetus 230., in Germania 115., in Polonia 230., in Hertruria 57.





LIBER VI.
HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

Hierarchia Ecclesiastica definitur *Lib. de Hier. Eccles.* Dionysio Areopagita adscripto: Ordinata omnium sacrorum administratio. Concilium Tridentinum *sess. 23.* definivit *can. 6.* in Ecclesia Catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris. Falsa itaque est illa sententia, in qua videtur S. Hieronymus fuisse, Episcopos jure tantum Ecclesiastico esse majores presbyteris *in comm. ad 1. Epist. Pauli ad Titum.* scribens: Idem est presbyter qui & Episcopus Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores. Similia habet *in epist. 85. ad Evagrium.* Quod quidem varii variè explicare conantur. Medina *Lib. de Sac. hominum Origine c. 5.* præterdit, quod SS. Augustinus & Joan. Chrysof., item Sedulius, Primasius, Theodoretus, Oecumenius ita pariter senserint, Bellarminus vero id consideratè dictum censet, vultque Hieronymum alibi aliter sensisse. Interim citatum Concil. *can. 7.* Anathema dicit iis, qui dixerint, Episcopos non esse superiores presbyteris. Quo feriuntur nostrorum temporum sectarii, qui contra Magistratum Ecclesiasticum insurgunt, & inter ministros æqualitatem urgent, atque hierarchiam è medio tollere moliantur. His contingit, quod olim Romanis, qui odio Tarquiniorum regnum ipsum everterunt, & postea plures tyrannidis formas passi sunt, quam si regium nomen auctoritatemque primam retinissent.

LIBER VI

§ III

PATRI

PATRIARCHÆ.

§. I. *Nomen Patriarchæ.*

Patriarcha, juxta Isidorum *Lib. 7. Ethymol. cap. 12.* relato in *Can. Cleros §. ordo vers.* Patriarcha *dist. 1.* Græcâ linguâ summus Patrum interpretatur, quia primum post Apostolicum tenet locum, & ideo, quia summo honore fungitur. Atque adeo Prælati, qui præest Episcopis non unius tantum provinciæ: sed etiam Archi-Episcopis totius Regni aut Regionis est Patriarcha. Est tamen illud nomen aliquando latius usurpatum. In Concilio Matisconensi Anno 588. sub Pelagio II. Priscus Episcopus Lugdunensis vocatur Patriarcha, ut patet ex subscriptione, in qua ille primus est. Sic Gregorius Turonensis *Lib. 5. cap. 20.* Nicetium Archi-Episcopum Lugdunensem appellat Patriarcham. Consuetudo sæculi hoc tulit, quæ modò abrogata est. Imo in antiquorum scriptis vocatur passim Patriarcha, qui præfectus fuerat parthenonibus. Archi-Episcopus Toletanus à Martino V. Anno 1422. privilegium obtinuit ut iis frueretur, quæ alias veris Patriarchis conveniebant: Patriarcha tamen non appellatur.

§. II. *Origo Patriarcharum.*

Inventa & constituta est Patriarcharum dignitas jure positivo Ecclesiastico. Hoc nomen usurpatum non legitur, nisi post Concilium I. Nicænum, primusque scriptorum Socrates *Lib. 5. cap. 8.* illius meminit in sua *historia Ecclesiastica*, quam complevit Anno 439. Quare in historia Concilii Nicæni recenter edita Petrus Alexandrinus anticipativè nominatur Patriarcha, ut observat insignis nostri ævi Criticus. Et nonnisi circa Concilii Generalis Chalcedonenfis tempora nomen Patriarchæ coepit innotescere. De Patriarchis multa quidem habentur in *epist. 3. Anastasii I.* sed hanc esse supposititiam & ex putridis Isodori Mercatoris

ris

ris mercibus desumptam, omnes eruditi nunc conveniunt, qui insuper Canones 33. 34. & seqq. Concilii Nicæni, ubi Patriarchæ fit mentio, velut spurios agnoscunt.

§. III. Numerus Patriarcharum.

Tres Ecclesiæ, Romana, Alexandrina, & Antiochena, quod à Petro Apostolorum Principe fundatæ sint, solæ ac semper patriarchales Ecclesiæ habitæ sunt antiquis temporibus: harumque Ecclesiarum præminentiam & hujus causam adducit Gelasius in *Conc. Rom. Ao. 494.* & S. Leo *epist. 53. ad Anathol.* Gregorius Mag. *Lib. 6. epist. 37.*

Multitudine Christianorum crescente plures deinde Patriarchales Ecclesiæ erectæ fuerunt. Hierosolymitana Ecclesia per annos ferè quingentos non re, sed nomine, non potestate, sed honore quarta Patriarchalis habitæ fuit. Et in Concilio Nicæno l. c. 7. decernitur, ut post 3. nominatas locum habeat, non tamen propterea à subjectione Cæsariensis Metropolitanæ eximeretur. Ex 62. Epistola S. Leonis ad Maximum Antioch. habetur, quod Patres Concilii Ephesini ad instantiam Juvenalis Episcopi Hierosol. voluerint huic concedere Primatum in Palæstina contra Episcopum Cæsariensem: verum S. Cyrillus aliique Legati Apostolici sese opposuerunt ad conservandam Nicænæ Synodi dispositionem. Habetur item ex eadem Epistola quod idem Juvenalis id obtinuerit in Concilio Chalcedonensi, ubi sess. 8va ordinatum fuit, ut Episcopus Hierosolymitanus tribus Palæstinae partibus præsit. Fuit id quidem à Legatis approbatum, & delegati Commissarii decreverunt esse executioni demandandum: attamen Episcopi Hierosolymitani nonnisi in Concilio V. Generali, scilicet Constantinopolitano 2do, Anno 553. Patriarchalem dignitatem obtinuerunt. Guilielmus Tyr. tradit, quod post condemnationem 3. Capitulorum Episcopi Metropolim Cæsariensem

riensem in Palæstina & Scythopolim, quæ antea fuerant Antiocheno subjectæ; item Berytensem & Rubensem Syriæ quæ ad Sedem Alexandrinam spectabant, Hierosolymitanæ sedi adjudicaverint.

Accessit quoque Patriarchatus Constantinopolitanus. Fuerat primitus Episcopus Cpolititanus suffraganeus Episcopi Heraclensis: postquam verò Urbs cæpit esse Sedes Imperatorum Orientalium, evasit Metropolitana, cui Heraclea fuit subjecta, ut tradit Theod. Balsamon licet Schismaticus in 3. *Can. Concil. Gener. II.* In eodem Concilio *Can. 2do* Constantinopolitano Antistiti fuit prima Sedes post Romanam adjudicata. De eo tamen scriptores posteriorum sæculorum valde controvertunt. Baronius prætendit Canonem illum esse supposititium, & attribuit cuidam Episcoporum conventui, post integrum annum à celebrato Concilio. Nihil de illo apud Theodoretum legitur. Socrates *Lib. 5. cap. 10.* Sozomenus *Lib. 7. cap. 9.* referunt factum. Petrus de Marca in *Dissert. de Patriarch. Cpolit.* sustinet, quod illa dignitas vigore hujus canonis ei non obvenerit: sed in Concilio Chalcedon. In hujus Concilii *Canone 28.* ordinatum fuit, ut conformiter dispositioni factæ per 120. Episcopos secundi Generalis Concilii Sedis Constantinopolitanæ Urbis tanquam secundæ Romæ post Apostolicum locum teneat primum. Interim hic, uti & 29. & 30. Canones ab Orientalibus Episcopis contra voluntatem legatorum S. Leonis facti sunt, quemadmodum Baronius in *Annal. ad An. 451.* & Perronius in *resp. ad Reg. Angl. L. 1. cap. 34.* probant. Theodoretus qui Concilio huic interfuit, & Canonum synopsis nobis reliquit, non recenset nisi 27. Neque plures numerant Theodorus Lector & Dionysius Exiguus. Proinde Legati rescientes factam additionem, protestati sunt, & interpellarunt Imperatoris Commissarios, qui legerunt adjectos Canones subscriptos ab omnibus Episcopis: quam subscriptionem violenter factam, ut Legatus Lucentius prætendebat, negarunt

garunt iidem. Quare Legatus solemniter protestatus fuit contra hanc constitutionem velut antiquæ disciplinæ Ecclesiasticæ contrariam. Leo itaque se masculè opposuit, a quo Legati Anatolii Constantinopolitani nihil impetrare potuerunt. Quin ipse datis epistolis ad Marcianum Imperatorem & Pulcheriam Augustam, urfit, ne talis constitutio admitteretur. Post Schisma Græcorum, cujus Photius author extitit, & potissimum Sæculo XI. stabilitum fuit tempore Michaëlis Cerularii Constantinopolitani Patriarchæ. Patriarchæ Orientales agnoverunt Constantinopolitanum suum superiorem.

Fuerunt itaque quatuor Patriarchæ Majores, præter summum Pontificem, *Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus*. Sed hi, quamvis magna olim fuerit eorum potestas, nunc titulares sunt, quia Pagani eorum territoria occupant. Nihilominus in iisdem regionibus reperiuntur adhuc aliqui electi à Schismaticis aut designantur à Turcarum Imperatore. Constantinopolitanus præest Ecclesiis Europæis, Antiochenus curat Monasteria & Ecclesias Beryti, Tripolis, Halebi & reliquis Asiæ locis. Alexandrinus præest in Aegypto & Arabia & Memphi sive Cauri. Sedem habet. Hierosolymitanus in Syria Monasteria dispersa regit & quotannis die 15. Augusti in monte Libano sacra peragit.

Alii adhuc sunt Patriarchæ minores, ut Aquileensis, Venerus, Aethiopiæ & Indiarum, item Lusitanus recenter ad instantiam Regis Joannis Francisci per Clementem XI. institutus. Habent & Moscovii, Jacobitæ, Maronitæ suos Patriarchas.

§. IV. *Officium Patriarcharum.*

Patriarcharum est Archi-Episcopus & Episcopus gubernare, quorum sunt judices ordinarii. Admittendi jus habent appellationes ad se factas, conferendi Beneficia ad se facto devoluta
per

per negligentiam. Sine consensu eorum non licebat Episcopum eligere neque Archi-Episcopum.

Patriarchæ jus habent Synodum Nationalem convocandi tenenturque Archi-Episcopi obedire, ut statuitur in Concil. Gener. VIII. can. 27. Archi-Episcopatus 12., deinde 13. sub se habuit Patriarcha Antiochenus, ut legere est apud Guiliel. Tyr. *Lib. 14. de bello Sacro cap. 12.* Alexandrinus in Aegypto propter adjunctam Lybiam multo latiore ditionem obtinuit. Constantinopolitano 26. Archi-Episcopi subiecti fuerunt.

§ V. *Primates.*

Primates dicuntur illi Prælati, qui constituti sunt ad regendas Metropoles, insuper in alios quosdam Archi-Episcopos aliquam jurisdictionem exercent per *Cap. 9. tit. 31. de off. jud.* suberant tamen olim Patriarchis. In Germania olim Primas erat Archi-Episcopus Magdeburgensis, nunc dicitur Salisbürgensis, in Italia Pisanus, in Gallia Bituricensis, Lugdunensis; in Hispania Toletanus, Bracharensis, in Hungaria Strigonienfis, in Polonia Gnessensis &c. Quodsi tamen hoc ad Primatum requiratur, ut ad eum appelletur ab Archi-Episcopo; in Germania, Gallia, Hispania nullus est Primas.

Exarchi in Ecclesia Orientali sunt appellati, qui in Occidentali dicuntur Primates, qui pluribus Provinciis erant Præfecti: & sæpe apud Græcos nomen Exarchi attributum legitur simplici Metropolitanano.

§ VI. *Archi-Episcopi.*

Archi-Episcopi dicuntur illi qui sub se habent plures alios Episcopos, qui dicuntur suffraganei illius. Alio nomine vocantur Metropolitanani, à Metropoli seu primaria Urbe alicujus regni, Principatus &c. Eorum districtus vocatur Provincia, Episcoporum Dicecesis vel etiam Parochia.

Kkk 2

Possunt

Possunt Archi-Episcopi confirmare electionem suorum suffraganeorum, non specialiter reservatam Pontifici. De officio, obligatione, jurisdictione &c. Archi-Episcoporum agit Trident Conc. *Sess. 25. de Reform. cap. 1.*

Olim eligebantur Archi-Episcopi ab omnibus suffraganeis, nunc à capitularibus Ecclesiæ Metropolitanæ, vel à Rege nominantur, aut à Summo Pontifice, pro diversitate locorum &c.

Archi-Episcopi nomen Sæculo IV. jam receptum apud Orientales transit ad Occidentales Sæculo V. Paucissimi tamen, qui hoc sibi nomen attribuerunt primis istis temporibus.

Archi-Episcopi habent jus Pallii, quod intra trimestre à die Consecrationis vel Confirmationis à Pontifice Romano petere debent. Est autem PALLIUM Ornamentum Archi-Episcoporum ex lana alba Agnellorum duorum, qui apud S. Agnetem Romæ pascuntur, benedicta in ipso Virginis hujus festo à Papa, figuræ orbicularis trium circiter digitorum latitudinem habens, & tam in anteriori parte quam in humeris lemnisci dependent, in quibus, sicut in circuitu, visuntur ✠ nigræ: diciturque de corpore B. Petri desumptum, vel quia significat quasi particulam Ecclesiasticæ potestatis, quæ originaliter descendit à S. Petro, vel quia super altare hujus Apostoli benedicuntur. Officii Pontificalis plenitudinem confert, ante cujus consecutionem Archi-Episcopi non obtinent facultatem plenam fungendi suo officio, adeo ut ante illud acceptum Archi-Episcopi, non tamen Metropolitanæ dici queant. *Cap. Nisi Specialis tit. 8.* Nequit ergo Archi-Episcopus ante obtentum Pallium Synodum provincialem convocare, Episcopos vel Chrisma consecrare &c. aut ea peragere, quæ sunt gravioris momenti.

Solus Romanus Pontifex Pallium confert. Olim ex hujus indultu conferebant suis suffraganeis quatuor Majores Patriarchæ,

chæ, postquam hi prius accepissent ab eodem Pontifice. Nunc cum sedes illæ patriarchales sint in manibus infidelium, cessat illud indultum Pontificium, & titularibus Patriarchis hujusmodi, quos creat Papa, non permittitur jus conferendi Pallium.

Antequam Archi-Episcopi &c. Pallium obtineant, debent juramentum fidelitatis & Obedientiæ Pontifici præstare *Cap. 4. X. d. Elect., Can. 6. dist. 23.* quod contra morem pristinum Gregorium VII. Pallium petentibus imposuisse tradit Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. Lib. 6. cap. 7. §. 6. 7. 8.*

Jus Pallii habentes non possunt illud semper & ubique gestare: sed tantum intra Provinciam suam, in Ecclesia & inter Missarum solemnias certis tantum diebus solemnibus in Bulla designatis, *Cap. 1. 4. 5. 6. & finale tit. 8. Lib. 1. Decretal., Can. 6. 8. Dist. 100.* Quodsi celebrare velint dictis diebus privatim & sine Pontificalibus, potest, sed non tenetur, uti pallio, imo in missa privata, aliis opinantibus, non liceret. Spectato jure communi nequeunt pallio uti in locis exemptis, licet in territorio suæ Provinciæ sint. Quamvis enim talis locus sit in Dicecesi, non tamen est de Dicecesi. Contrarium docet Doctissimus Andreas Valensis, post Panormitanum, cui consentiunt Engels, Wiestner &c.

Privilegium Pallii est personale: quare non poterit Archi-Episcopus &c. illud alteri concedere; sed quisquis debet cum eo sepeliri, *Cap. 2. X. de auth. & usu Pallii.* Et si forte transferatur ad alium Archi-Episcopatum, debet aliud petere novum nec potest uti priore, uti hisce diebus Franciscus Ludovicus Archi-Episcopus Trevirensis translatus ad Sedem Archi-Episcopalem Moguntinam debet petere novum Pallium, quamvis secum deferre debeat quod antea obtinuit, ut cum utroque sepeliatur: sicut illius prædecessor Lotharius Franciscus Archi-Episcopus Moguntinus & Episcopus Bambergensis, qui obiit 1729. 30. Januarii cum utroque pallio sepultus fuit. Quodsi forte privare-

tur pallio suo per incendium &c. Actus Ordinis Episcopalis majores exercere, saltem extra necessitatem vel magnam Ecclesie utilitatem, non posset. Solus Romanus Pontifex semper & ubique utitur pallio, idque designat plenissimam illius potestatem in universam Ecclesiam, *Can. Cuncta per mundum, Canon. Per principalem IX. quest. 3.* Præter Archi-Episcopos jus Pallii obtinuerunt Episcopi Ostiensis prope Romam qui consecrare solet Papam estque Cardinalis Episcopus & Decanus Sacri Collegii Cardinalium, Papiensis in Longobardia, Lucensis in Tuscia, Bambergensis in Germania, Dolensis in Gallia, Quinque-Eclesiensis in Hungaria, de quo *Cap. cum in juvent. X. de Præsumpt.* Idem Privilegium olim habuerunt Halberstadensis, Mindensis nunc secularizati, Metensis &c.

Usus Pallii est antiquissimus & in prioribus Sæculis in praxi fuit; De quo multa in vita Gregorii M. Quod verò Rupertus Tuitiensis scribit S. Petrum misisse S. Materno Trevirensium Antistiti pallium, autoritate destituitur.

Olim teste *Canone Novit. 3. Dist. 100.* pallium gratis datur, adeo, ut neque per commodum neque per gratiam id redimeretur, & redemptio facta accenseretur Simonie. Sed observandum, quod *Palea* sit. Interim magno ære nunc redimitur, licet aliquando Pontifex gratis aliquibus concedat, remittendo debitum; Hinc inter gravamina Principum Romani Imperii hæc obligatio à Protestantibus relata fuit.

§. VII. Episcopi.

Episcopi sunt Præsules Dicecesis cujusdam. Initio quidem Ecclesie soli Apostoli erant Episcopi simul ac presbyteri: crescente Ecclesia consecrarunt etiam alios tum Episcopos, tum presbyteros; de quo Baronius in *Annal. ad Annum Christi 58.* Aërius Sæculo IV., quod Episcopatu arceretur, negavit illa esse
diversa

diversa officia, ut eo sese solaretur. Ex institutione divina Episcopum presbytero superiorem probat tum citatus Baronius, tum Bellarminus, magnoque conatu in Anglia, qui Episcopales dicuntur, propugnarunt ex iisdem viri eruditione celeberrimi.

Variis modis pro temporum diversitate fuerunt in Ecclesia constituti Episcopi. Et quamvis ex primævo instituto conveniat Apostolorum successoribus providere Ecclesiis de suis Episcopis: constat tamen, quod aliquando per fidelem populum assumpti fuerint, qui saltem eos flagitavit, etiam usque ad seditionem. Niceph. *L. 1. cap. 3. Hist. Eccles.* Athanasius *de persecut. ad orthod.* Theodoret. *Lib. 7.* Videri etiam potest Gratianus *in Dist. 23. C. Illud &c.*

Fuit aliquando concessum Regibus bene meritis in suo regno constituere vel designare Episcopos; quo jure nunc utuntur Reges Galliæ vigore contractus inter Leonem X. & Franciscum I. Poller & Rex Hispaniæ &c. In Germania eliguntur à Capitularibus Ecclesiæ Cathedralis juxta Concordata inter Fridericum III. Imp. & Nicolaum V. P. M. Multis etiam Canonibus constituitur designatio, investitura vel Consensus Imperatoris pro Episcopis statuendis in Imperio. Paschalis II. Henrico V. qui alias IV. dicitur, jus investituræ concessit, & ut ferunt, hostiam consecratam in duas partes divisit ab utroque sumendam, ut is qui prius recederet, & fœdus rumperet, sic divideretur à regno Dei. Sed in Concilio Romano, quod coactus concessisset, revocavit.

De potestate Episcopi, seu, ut vocatur, Ordinarii multa tractant Canonistæ, de Officio Judicis *tit. 31. in Lib. 1. Decretal.* Gregorius VII. P. M. statuit Episcopatus debere institui a se solo suisque successoribus juxta consuetudinem à primævo in Ecclesia observatam, cum Hincmarus in Gallia Rhemensem & Laudunensem Episcopatus instituisset, falsò innixus Pontificum pseudo-Decretalibus, quas impostor Mercator deprompserat.

Veri-

Verisimile est Sæculo etiam VI. fuisse Episcopos non consecratos, fortè nequidem sacerdotes. Gregorius Episcopus Ultrajectensis consecratus non fuit. Vigilius Episcopus Salisburgensis & Guilladus Episcopus Bremensis consecrati non fuerunt. Nunc ea tempora vivimus, ut vix pubertatis annis egressi affumantur ad Episcopatus: & quidam nequidem sacris ordinibus initiati Episcopi videntur.

Ante medium ævum sine scrupulo ordinabantur Episcopi ut & presbyteri sine titulis & vocabantur Episcopi *Regionarii*: qui sine certa Sede ordinabantur ad annuntiandum Evangelium in quadam regione & primis quatuor Sæculis suas functiones liberè exercebant: neque alia iis regula præscripta ultra eam, quam prudentia & charitas dictabat: successu temporis cum disciplina magis ordinata esset introducta, non licebat iis sine licentia Ordinarii Episcopi quidquam facere. Tales fuerunt Episcopi Regionarii S. Amandus, antequam Sedem figeret Ultrajecti, quam post triennium dimisit, ut functiones Regionarii Episcopi melius perageret; S. Swibertus, qui Cæsaris Insulæ obiit, malè cum alio S. Swiberto Episcopo Werdenfi confusus &c. Quidam Romam tendebant, ut Episcopi ordinarentur, idque sine ambitione: sed ut facultatem reciperent prædicandi Evangelium infidelibus & permittebatur illis sedem figere, ubi expedire viderent. Talis fuit S. Winfridus Romæ ordinatus, & Bonifacius dictus *Germanorum Apostolus*, S. Wilibrordus &c.

§. VIII. Chor-Episcopi.

Chor-Episcopi dicebantur olim quidam, qui in pagis aut oppidulis animarum curam gerebant loco Episcoporum, ut ferè nunc parochi. Non autem à Choro: sed ἀπὸ τῆς χωρῆς, hoc est, regione dicuntur Chor-Episcopi, vol potius, ut Concilium Neocæsariense *Can. 13.* & Antiochenum *Can. 8.* significant, quasi Vicarii Episcopi seu loco Episcoporum: χωρὰ enim locum significat. Duo

Duo olim erant horum genera. Alii verè Episcopi ordinati, sua sede exules, in alia Dicecesi profugi, quibus aliqua jurisdictio in villas paucissimas vicaria concedebatur. Siquidem ex Can. 8. Nicæni Concilii Episcopis propriis Ecclesiis dimotis permittitur, ut alibi Chori-Episcopi fungantur officio Vid. Can. 54. 58. Sic Concilium Antiochenum Can. 8. permittit Chor-Episcopis Litterarum Canoniarum, seu, ut vocabantur, *Formatarum* conscriptionem. Ancyranum & Bituricense II. Ecclesiarum consecrationem concedit. In Concilio Cabilonenfi *Can.* 43. vocantur Episcopi *Vagantes* sine sede, sine titulo; quo tamen gaudent Episcopi in *partibus infidelium titulares* qui nunc improprie Suffraganei vocantur suntque potissimum in Germania, item Hispania: quorum suffragia ab Episcopis adhibita fuisse non legitur ante Sæculum IX.

Alii erant Chor-Episcopi, qui erant presbyteri tantum in villis seu oppidulis. *Chori* id est *Villani ἀπόρων χωρῆς* hoc est regione. *Regionarii*. Cum enim juxta Concilium Laodicenum *Can.* 57. non liceat in villulis vel in agris constituere Episcopos: illi autem in iis constituerentur, patet non fuisse veros Episcopos: quare non poterant presbyteros, vel Diaconos ordinare, confirmare, templa vel altaria consecrare. Cætera autem omnia ex privilegio præstare poterant, quæ præstant Episcopi, ut colligitur ex Conciliis Ancyrano *Can.* 12., Antiocheno *Can.* 10., Hispanensi *Can.* 7. Chor-Episcoporum munia breviter memorat S. Isidorus *Lib.* 2. *de off. Ecclesiast.* cap. 6. Chor-Episcopi, id est vicarii Episcoporum, juxta quod Canones ipsi testantur, instituti sunt ad exempla 70. Seniorum tanquam Sacerdotes ob sollicitudinem pauperum. Hi in villis & vicis instituti gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere lectores, subdiaconos & exorcistas. Addit Rabanus Maurus *Lib.* 1. *de instit. Clericorum* cap. 5. Confirmandi potestatem illis fuisse concessam: cum multi dubitent vel negent subdiaconos ordinare potuisse ac sic expressè statuit Damasus Papa *epist.* 3. Functiones Episcopales

les Chor-Episcopis penitus interdicuntur in Conciliis Rhegiensi
Can. 3., Hispalensi II. *Can. 7.*, Parisiensi sub Gregorio IV. *Can.*
27., Meldensi *Can. 44.*, Metensi &c. & diu ante Joan. III. circa A.
 566. Chor-Episcoporum institutum fuisse antiquissimum, patet ex
 antiquissimis Conciliis. In Oriente jam circiter annum 270. fuit: in
 Occidente multò serius invaluit. Prima enim illius mentio habetur
 in Concilio Rhegiensi A. 439. celebrato. Damasus Pontifex *in epist. ad*
Numidiæ Episcopos censuit Chor-Episcopos extirpandos, scribitque
 se reperisse à prædecessoribus decretum, nihil eis ad veniam re-
 fervari quàm privationem sacri ministerii quod illicitè assumpse-
 runt; quia prohibiti tam ab hac sacra Sede, quàm à totius Orbis
 fuerunt Episcopis. Statuit quoque esse tantùm simplices presby-
 teros, licet aliqui vere quandoque fuerint creati Episcopi: ut
 idem Papa fatetur *Can. Esse*, estque in Antiocheno *Can. 10.* Eos,
 qui propria manu faterentur se tantum esse presbyteros, voluit
 posse manere in eorum classe: qui Episcopi esse volunt, iussit
 omni honore privari. Nihilominus cum Chor-Episcoporum
 lapsu temporis adeo invalesceret autoritas, ut ipsis etiam Epif-
 copis evaderent formidabiles Sæculi VI. anno ultimo, cum de
 eorundem potestate facta quæstio esset difficillima, Carolus M.
 Arnonem Episcopum Juvanensem cum aliis mittit ad Leonem
 III., ut ejus responsis edoctus controversiæ terminum imponeret.
 post horum reditum Capitula edidit, quibus juxta Pontificis re-
 sponsum & Episcoporum decreta Chor-Episcopis prohibuit dein-
 cept ordinare & consecrare: atque ordinationes consecrationes-
 que factas ab Episcopis Canonicè electis & ordinatis reformari
 & legitimè peragi iussit. Paulò post Sæculum IX. Chor-Epif-
 copi penitus esse cessarunt. Mansit tamen alicubi nomen & am-
 bitio. Synodus Dicecesana Dilingæ habita anno 1548. Chor-
 Episcopis tribuit Archidiaconorum & Decanorum Ruralium of-
 ficium. Coloniae in Ecclesiis Collegiatis Cantor dicitur Chor-
 Episcopus, cujus officium est præesse choro, invigilare, ut alii
 frequentent. In Ecclesia Metropolitana Trevirensi etiamnum
 plures sunt Chor-Episcopi.

§. IX.

§. IX. *Archidiaconi.*

ARCHIDIACONUS quasi Princeps & primus Diaconorum dicitur. Sunt autem inter diaconos, qui presbyteris inferviunt & his proinde locum digniorem concedere debent; alii inferviunt Episcopo, qui eo arrogantiae olim devenerunt, ut prætenderent se à solo Episcopo dependere & presbyteros præcedere. Hos repreffit Concilium Carthaginense IV. *can. 31.* ubi inquit: Diaconus ita se presbyteri, uti Episcopi ministrum noverit. In eundem Diaconorum factum insurrexit S. Hieronymus *epist. ad Evagrium.* Quis, inquit, patiat, ut mensarum & viduarum minister super eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur. Primis ergo temporibus Diaconi nullam in presbyteros jurisdictionem exercuerunt, processu temporis cum potestatem delegatam in presbyteros obtinuissent, ordinariam tandem obtinuisse visi sunt. Igitur sortiti sunt primam post Episcopum dignitatem, qui inter Diaconos primi erant constituti. Archidiaconus vocatur oculus Episcopi ejusque vicarius *cap. 7. x. de off. Archidiac., Conc. Trident. Sess. 24. cap. 12.* de ref. tanquam qui velut in specula & statione positus prospicere debeat actus totius Diocesis & ad Episcopum referre, *Can. Diaconi Ecclesiae, & ibi Glossa Dist. 93.* Qua ratione dignior est Archipresbytero non fungente eo officio. Quam vis enim Archipresbyter sit major Ordine, est tamen illo minor jurisdictione, quandoquidem Archipresbytero non competat jurisdictione in foro externo sed tantum in foro poenitentiali. Archidiaconus autem imperat presbyteris & cæteris clericis, Dioccesin visitat, jurgia singulorum audit, & cuncta, quæ correctione seu emendatione indigent, corrigit, nisi ardua sint negotia, & excessuum gravitas postulet, ut ad Episcopum deferantur. Varia quidem alia, spectato jure communi, sunt Archidiaconorum munia: sed prævalent hic constitutiones & privilegia Ecclesiarum Cathedralium, quibus standum est. Atque hinc evenit, ut quamvis in quibusdam Ca-

thedralibus manserit Archidiaconorum dignitas & nomen penes Canonicos Capitulares, functiones tamen pleræque præstentur per alios v. g. Vicarios generales in Spiritualibus, officiales Curia Episcopalis &c. In Ecclesia Metropolitana Colonienfi extat adhuc Archidiaconus, Præpositus ejus Ecclesiæ, qui retinet jus investituræ &c. per suum districtum. Præter eum Præpositi Collegiorum Bonnensis, Xantensis, & Susatensis Archidiaconi sunt, & quidem cum jurisdictionis exercitio, hi quatuor majores vocantur, post hos alii minorum districtuum Archidiaconi intra Archidiecefin, quidam Abbatiarum Prælati tum & Præpositi aut Decani quorundam Collegiorum. In aliis verò reperiuntur Archidiaconi quo ad nomen: cum præter præminentiam inter Canonicos nihil habeant nec officium nec jurisdictionem, quam Episcopi illis ademerunt, suisque Vicariis Generalibus in Spiritualibus tradiderunt. Quamquam alias Vicarius Generalis & Archidiaconus multum differant: quia hic est Vicarius Episcopi *Natus*, perpetuus, & distinctum habet tribunal ab Episcopali, iste verò Ordinariam habet etiam jurisdictionem in foro externo: sed immediatè & directè proveniente ab Episcopo, Vicarium constituente, estque proinde Vicarius solum *Datus* seu *Dativus*, temporalis & ad beneplacitum Episcopi amovibilis, habens jurisdictionem ab Episcopo indistinctam, idemque cum Episcopo tribunal exercet: cum Archidiaconus habeat jurisdictionem à jure proveniente & indirectè tantum ab Episcopo, illum confirmante.

Præpositi olim duplices, vel ex corpore cleri vel sæculares: his tamen postea abrogatis, solum Ecclesiastici remanserunt in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, item in monasteriis tam virorum, quam sceminarum; quorum præcipuum officium est defendere jura, statuta &c. Collegii: pro diversitate locorum, alia iis incumbunt. Dignitas, eminentia, prærogativa quoque varia.

§. X. Archipresbyteri.

Presbyter Græcè, latinè Sacerdos dicitur. Et quia olim, sicut & modo in Republica bene constituta dignitates & honores majores deferri solebant senioribus: ideo hoc nomen Presbyter non solum ætatis nomen est, sed etiam dignitatis: quæ cum in sacerdotio præcipuè reperiatur, hinc presbyteri dicti sunt, qui sacerdotio fuerant initiati, licet provectioris necdum essent ætatis. ARCHIPRESBYTER dicitur ille qui cæterorum presbyterorum cætuus est præfectus, uti etiam Archi-Episcopus, Archidiaconus. Notat autem Gratianus *in principio Dist. 21. §. inter eos* hanc distinctionem in Clero introductam esse (intellige quo ad nomina) maximè à Gentilibus, qui inter suos Flamines, id est, Sacerdotes, alios simpliciter Flamines, alios Archiflamines, alios Proto flamines vocitabant.

Primis Sæculis Archipresbyter seu primus presbyter dicebatur, qui ordinatione presbyterali cæteros antecedeat, ut apparet *ex epist. 57. LEONIS, epist. 9. GELASII, ex Concil. Milevit. Can. 13.* Aliquando tamen major habebatur ratio meriti, quam Ordinationis prius factæ. Sic S. Basilius primum inter suos presbyteros locum S. Gregorio concedere voluit.

Archipresbyter alio nomine vocatur Decanus, item Plebanus *Cap. 7. de off. Archid., Cap. 3. de off. Jud. Ord. Duplex autem est Archipresbyter tit. 24. cap. 3. & 4.* Unus dicitur Urbanus qui in Urbe præest presbyteris & reliquis Canonicis sive sit Ecclesia Cathedralis sive Collegialis. Alius Ruralis, qui extra civitatem præest parochis per certum districtum; à quibus eligitur & ab Episcopo confirmatur, vocaturque in Germania Decanus Christianitatis. In Decanum verò nemo eligi potest, nisi ætate & moribus sit maturus, *Dist. 60. innovavimus.* Concilium Lateranense sub Alexandro III. *Can. 3.* decrevit, ut nemo

Decanatum suscipiat, nisi annum 25. attigerit, quique sit scientia & moribus commendandus. Hoc tempore Archipresbyter & Decanus diversas functiones habent: & Archipresbyter quidem, ordinario jure, subjicitur Archidiacono, non tamen Decanus, qui etiam in foro externo jurisdictionem exercet, qualis Archipresbytero de jure non competit. In quibusdam Ecclesiis Archipresbyter idem, qui Præpositus. Præpositi olim erant vel ex corpore Capituli, vel etiam Sæculares. In Germania nunc pariter sunt aliqui majoribus ordinibus non insigniti. An Præpositi, vel Decani dignitas sit majores? pendet ex consuetudine. In utraque Germania Præpositi præcedunt Decanos, item in Polonia; si non in Choro, saltem in Capitulo præcedunt Decani. In Hispania & Gallia, utrobique præferuntur Decani; quibus etiam in Germania relinquitur jurisdictione in Clericos capituli, non Præpositis.

Decani Rurales executioni mandant decreta Episcoporum, congregant Capitula, controversias parochorum dirimunt, sed *sine figura judicii*. Decano Rurali jurisdictionem aliquam fori externi, & quasi *bassam, sine jure gladii Spiritualis*, seu potestate ferendi censuras tribuit celeberrimus Canonista Pirhing. *tit. 24.* Nec immerito: ait P. Pichler, quia sine tali jurisdictione vix bene videtur exequi posse suum officium. In parte Archidiececesis Coloniensis, nempe Ducatibus Juliae & Montium vi Provisionalis (ut vocant) conventionis inter Archi-Episcopum, & Ducem initæ electi à Parochis Decani post Archi-Episcopalem confirmationem habent primam instantiam in causis matrimonialibus, in quibus sententiam ferunt. Observat denique idem Pichler, quod Ruralis Decanatus non sit propriè dignitas vel Personatus, & ideo Decanus ruralis non potest esse Sedis Apostolicæ delegatus. *Glossa in cap. fin. tit. 24. Decretalium.*

§. XI. *Primicerius.*

PRIMICERIUS generaliter est is, qui primus in ordine. Nomen deducitur à cereo. Cum enim ante chartæ & membranæ inventionem in pugillaribus, ceratis arborum foliis, aliave materia scriberetur; factum fuit, ut quæ in hujusmodi ceratis tabellis scriberentur, in ceris scripta dicerentur, de quo Plinius *Lib. 2. epist.* quodque in primo loco scriptum erat, primicerium dicebatur, ut extremus apud Suetonium appellatur is, qui in ima cera notatus erat. Hinc derivatum, ut qui Primus in choro reputabatur, Primicerius diceretur. Ejus officium describitur *Lib. 1. Decret. tit. 25. cap. 1.* Fuit olim dignitas Primiceriatus: Nomen illud nunc non amplius usurpatur. Tullenses Canonici, ut est in rescripto Innoc. III. officium sustulerunt: in plerisque tamen Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis ejus nomine dicitur *Scholasticus*, in quibusdam *Cantor*, vel rectius *Præcentor* eo quod Scholastici officium fit, vel instruere, vel curare, ut instruantur juniores: Sicut Metropolitano Scholastico incumbit, ut in provincia Scholæ recte instituantur, quorum cura nunc tanta non est hisce temporibus propter multitudinem Gymnasiorum & Academiarum: quantvis Tridentini Patres præbendam Clericalem officio Scholastici, seu, ut in Gallia vocatur, *Theologalis*, annexam conferri velint personæ graduatæ in Theologia vel Jure Canonico. In multis Ecclesiis, non tamen in omnibus Scholasticus locum obtinet post Decanum. Præcentor etiam alicubi alios præcedit capitulares Canonicos. Videri potest *Canon Perlectis Dist. 25. §. ad Primicerium.*

§. XII. *Canonicus.*

Dicuntur Canonici illi Ecclesiastici qui in Capitulis Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum, jus dicendæ sententiæ habent, & tunc *Capitulares* dicuntur, vel habebunt, qui *Domicellares*

lares vocantur, quod secundum Canones Apostolicos & Conciliorum vivant: vel quia relati sunt in Canonem, hoc est, in album Ecclesiae, ut statam annonam consequantur. Unde vocantur etiam Pensionarii vel Præbendati, licet hæc nomina latius extendantur. Clerici dicti sunt Canonici, quod Canones, seu regulas arctius observare teneantur. Hugo Rothomag. *Lib. 3. de Heret. cap. 2.*, Ivo Carnot. *epist. 69.* Alii à Canone frumentario seu Sportulis Ecclesiasticis ac stipendiis annuis illud nomen deducunt: Unde *Sportulantes fratres* appellati apud Du Fresne in *Glossario*. Salsè Wolcuinus abbas Canonicos à Canone pectinæ, non à Canone vitæ appellatos dicit. Non magis temperato Zelo Zelatus Abbas Trithemius de Canonicis scribit in *Chron. Hirsaug.* Eodem Sæculo (scilicet X.) Canonica disciplina in Germania Ecclesiis elanguit. Anno isto 977. moritur Archi-Episcopus Trevirensis Theodoricus, sub quo Canonici Majoris Ecclesiae ibidem, abjecta regulari vita, quam hucusque eorum majores in eadem Ecclesia continuaverant, deserunt esse regulares, & facti sunt nomine & conversatione sæculares. Quorum exemplo malo alii seducti, diversis quidem temporibus, sed uno impietatis Spiritu regularem vitam abjecerunt. Ita Trithemius. Quæ verò Ecclesiae institutum regularis vitæ tribus votis illigatæ nunquam subierunt, congregationes fuerunt Clericorum sub Episcopali directione in Episcopis aliisque in locis sub propriis Prioribus Deo servientium, quod vitæ genus S. Chrodogangus Metensis Episcopus, tum & Aquis-granense Concilium Ludovico Pio imperante saluberrimis constitutionibus formaverunt, sed & ab hæc vitæ communis formâ, quantum ad mensam, contuberniumque recessere, neque jam prisca moris, nempe fraterni convivii memoria nisi obscure ad modum in antiquis quorundam Collegiorum ædificiis, & Chartis obsoletis, & quarundam distributionum conservatis nominibus superest. Specialibus ferè nullis jam legibus adstringuntur, nisi quæ Officium Divinum Collegiale concernunt. Ita regularis disciplinæ languor, & secuta
pau-

paulatim dissipatio illius ex Sanctimonialibus paulatim fecit Canonissas, & parthenones aliquot nobiles germaniæ in Collegia transformavit; aliqua tamen ex primitivo instituto sine votis ad laudati Concilii Aquisgranensis formam Virginum Collegia ordinata sunt; ab his verò etiam eas humana vicissitudo ita paulatim deflexit, ut vix alia jam illas conjunctionis obligatio constringat, quàm quæ ad Sacra Ecclesiæ munia spectat. Sed hujusmodi humanæ vicissitudines multis Regularium Institutis communes sunt. Remissior vitæ forma si non ortu suo, tamen progressu potest esse laudabilis.

§. XIII. *Sacrista.*

A rerum sacrarum custodia dicitur SACRISTA, estque idem, qui dicitur Thesaurarius ac in Ecclesia Orientali Cimeliarcha, cui rerum tum Sacrarum, tum aliarum pretiosissimarum custodia demandata est. Ex jure communi non est dignitas, sed nudum officium: unde præ reliquis Canonicis non habet sessionem seu præminentiam. In Germaniæ tamen quibusdam Majoribus Ecclesiis vel ex consuetudine, vel ex speciali statuto Sacrista habet Dignitatem.

CUSTOS, qui de jure est minister Sacristæ, eique subordinatus: scribit tamen Pichlerus, in Germania superiori nomen Custodis, non verò Sacristæ uni ex Canonicorum collegio tribui solere, qui munus gerere solet per sub-Custodem. De utroque habetur titulus distinctus in Libro 1. Decretalium. Delegationes Pontificiæ in Thesaurarios Turonensem, Linconensem, Nivernensem habentur apud Gratianum variis in locis.

§. XIV. *Chartophylax.*

Hic est Chartarum Custos, seu Archivarius, de quo Anast. Biblioth. in act. 2. Synod. 8., quod idem sit in Ecclesia Constantinopolitana, quod Bibliothecarius in Romana, agatque Ec-

M m m

clesiastica

clesiastica prorsus obsequia cuncta, exceptis quæ ad Sacerdotium pertinent, sine illo nullius epistola ad Patriarcham missa recipitur, nisi forte sit ab alio Patriarcha. Chartophylax, inquit Balsamon *in Cap. 10. Synod. 7.* tabulas habet & instrumenta, quæ jura Ecclesiastica continent. Omnia Patriarchæ jura exercet, quæ ei conveniunt ut Episcopo: excommunicat, delicta animæ corrigit, diaconos & sacerdotes ordinari permittit. Ob hoc fastuosi, licet tantum Diaconi, presbyteros præcedere attentarunt, quorum ambitio corrigitur in Concilio Trullano *Can. 7.* Nihilominus pervicaciter ausi fuerunt etiam ante Episcopos sedere: ut habetur ex *Jure Orientalium tom. 1. pag. 144.* quando Alexium Comnenum instigarunt, ut illud constitueret: cumque Episcopi sese opposuissent, jussi sunt aut regno cedere, aut inolitæ, ut dicitur, consuetudini huic sese conformare.

§. XV. *Exocatacellus.*

Inter officiales primarios Ecclesiæ Constantinopolitanæ extitit EXOCATACELLUS, sic dictus, quasi extra Patriarchæ cellam habitaret ejusque negotia perageret & in Sacris, etiam concionibus cum eodem in elevata paulum sella sederet. A primo exordio tantum fuerunt Diaconi, postea etiam presbyteri.

§. XVI. *Cancellarius.*

Qui olim Secretarius, eum nostra ætas vocat Cancellarium, quod per Cancellos præ multitudine negotiorum & interpellantium consuevisset interpellari. Cranz. *Metrop. L. 3. cap. 16.* Cancellarios appellatos Sæculo XI. constat ex variis Imperatorum Diplomatum. Archi-Cancellarium Italiæ se nominat Archi-Episcopus Colonienfis, per Galliam & Regnum Arelatense Archi-Episcopus Trevirensis. Sed est nux sine nucleo, titulus, antiquæ excellentiæ rudera. Per Germaniam Archi-Cancellarius est Mogunticus. Metropolitanus Præpositus Colonienfis Cancellarius

cellarius est Academiae. Moguntiae custos Cancellarium constituit. De Archi-Cancellariis S. Sedis & S. Rom. Imp. doctissime scripsit Bern. à Mallinkrot Decanus Monast. Ostendit primum S. Sedis inter Archi-Episcopos Colonienfes Cancellarium fuisse Herimannum, è Leone IX. hoc titulo novo honoratum Sæc. undecimo.

§. XVII. *Reliqua dignitatum & Officiorum genera.*

Officiales Curiae & Vicarii Generales Episcoporum jurisdictionem nomine eorum exercent, *In Nova* 16. q. 7.

OECONOMUS qui res Ecclesiae dispensat. Cellarius, cui vini dispensatio & communiter etiam frumentorum est commissa VICEDOMINUS ille dicitur in Episcopatu, qui in Ecclesiis particularibus est Oeconomus. SYNDICUS, qui lites persequitur, & jura Ecclesiae propugnat. Sunt & parochi, seu plebani, Rectores Ecclesiarum, Sacellani, Capellani, Chorifocii, Orphanotrophi &c.

Scholastici juniorum clericorum informatores tempore Caroli Magni restituti. Dicuntur etiam Primicerii, Theologales in quibusdam Ecclesiis. Sic Algerius Scholasticus Leodiensis, qui contra Berengarium scripsit &c. Anselmus Scholasticus Laudunensis 1117. Alicubi habent præ cæteris præminentiam, sed deinceps retento nomine functio desit. Fortunatus & Sedulius dicti sunt *Scholasticissimi*. Conf. §. XI.



LIBER VII.
M I S C E L L A N E A.

CAPUT I.

A B B A S.

§. I. *Nomen.*

ABBAS est pater & sumitur pro Monasterii præfecto, unde & dicitur Prælati. Est nomen dignitatis. Fuit primò tributum Monachorum, id est, solitariorum superiori, venerationis causâ, quomodo S. Macarius, S. Antonius, S. Hilariion, &c. dicti sunt Abbates. Postea tamen illud nomen in ambitionem degeneravit, ut quondam etiam fastidita eorum superbia, qui hoc nomine voluerunt honorari: in quos acriter invehitur Hieronymus: Cum autem *Abba* Hebreo Sermonem Syriacum dicatur: & Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum Patrem vocandum nisi Deum: nescio, inquit, qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescimus. Quod intelligi debet de iis, qui nullis præpositi se ita nominari desiderant.

Græci Archimandritam vocant monachorum superiorem & ita etiam Justinianus Imp. Novel 5. & 123. Olim omnes religiosi vocabantur Abbates Patres. In Historiis nomen Abbatis tribuitur nobilibus, quod nomen retinent etiamnum quidam nobiles in montibus Pyrenæis, ut observat Cujacius *Lib. 1. feud. Suidgerus in Chron. Gall.* Abbates, inquit, in Antiquis historiis non sunt monachi vel religiosi: sed Barones Magnatesque Sæculares, quibus Princeps dat ad tempus Monasteria vel Abbacias.
Hugo-

Hugonem Capetum, qui Gallia^e regnum fuit adeptus arte, Abbatem fuisse vocatum observant quidam in *Lexicis*.

§. II. *Abbates sæculares.*

Sæculo nono Abbates in Gallia extiterunt Sæculares Principes. Armonius *Lib. 5. cap. 1.* Carolus, inquit, ordinavit per totam Aquitaniam Comites Abbatesque, nec non alios plurimos, quos *Vassos* vulgo vocant. Hi nunc Abbates Commendatarii appellantur. Et ita Guilielmus Paradinus *Annal. Burgund. Lib. 2.* sub Anno 1103. testatur se monumenta quamplurima vidisse, in quibus proceres Gallia^e his nominibus usi sunt: *Dux & Abbas, Comes & Abbas.* In Concilio Rhemenfi fuerat id quidem prohibitum, ne sæcularibus Abbatia^e conferrentur: sed frustra. In Gallia hodie dum fere innumeri, qui Abbates vocitantur, qui nulla nobilitate insignes, nullo ordine Sacro insigniti: licet plurimi etiam presbyteri, ut potissimum in Italia &c. In Hispania, Lusitania, Polonia &c. nulli Abbates Commendatarii.

§. III. *Abbatum ornatus & Benedictio.*

Sæculo VII. Abbates monachorum usi sunt pedo & annulo. Ast mitram aliaque ornamenta prius receperunt Sæculo IX. per Specialem concessionem summorum Pontificum, qui celebrioribus monasteriis id indulserunt. Tractu temporis alii id etiam postularunt & obtinuerunt per fidelitatem, favorem, nummos &c. Jo. Mabillonius in *Act. SS. Ord. S. Bened.* observat Sæculo sub finem Abbatibus pontificalia ornamenta prius concessa. Sauffaus verò censet in Ecclesia Orientali Abbates vix tandem circa finem Sæculi IX. baculos pastoriales gestare cœpisse. Claudius Delle, Ord. Domin., in *Hist. Status monastici*, edita 1699., contrarium vult evincere, & statim post Sæculum VII. Abbates baculos gestasse. In Ordine namque Romano, ubi de Benedictio-
ne Abbatis agitur, allegatur Canon Theodori Archi-Episcopi,

qui vixit Cantuariæ Anno 672., quo constituitur, ut Episcopus Abbati baculum tradat. Non dabatur autem baculus nisi sacerdoti, quando Episcopus Missam celebrabat pro Abbe: & coram duabus vel tribus personis caremonias peragebat. Benedictio illa non erat nisi simplex oratio. In quibusdam antiquis rubricis Libri Pontificalis legitur de mittendo annulo in digitum Abbatis: Verùm de mitra nil extat, neque de Chirothecis. P. Martenne O. S. B. Congreg. S. Mauri monachus, scriptor recens præterdit jam ante annos mille trecentos, id est Sæculo V. benedictionem Abbatum Monachorum in usu fuisse. Citatus interim Delle ex Franchelto animadvertit in Occidente pariter & Oriente, statim post tempora Gregorii Turonensis, qui vixit circa finem Sæculi VI., Imperatores ac Reges Episcopos æque & Abbates per anulum & baculum investivisse.

Sæculis posterioribus Abbates eo ritu Benedicti fuerunt, quo Episcopi consecrantur; Unctio tamen non adhibetur; unde Abbates benedicuntur tantum, Episcopi autem consecrantur.

Ad instantiam Episcoporum Clemens IV. P. M. ordinavit, ut Abbates exempti habeant mitras aurifrigiatas, sine unionibus & lapidibus; alii simplices. Ad distinctionem pedi Episcopalis gestare debent Abbates baculum cui appensum est linteum: quod modo vix observari videtur, æque minus ac de mitra simplici: plerique enim Abbates utuntur mitris pretiosioribus, auro gemisque onustis, quales multi Episcopi, præsertim Itali sibi procurare non possunt.

§. IV. *Abbates Canoniorum Regularium.*

Claudius Delle *loc. cit.* refert. Præfectos Canoniorum Regularium prius circa Sæculum XII. baculo, suæ jurisdictionis signo, uti cœpisse; & Abbatum sibi sumpsisse titulum. Eodem tempore benedictionem Episcopalem solemnem recepisse concedit P. Martene.

In

In Antiquis Ordinis Præmonstratensis constitutionibus prohibetur, ne quis Abbas accipiat mitram aut chirothecas.

In monasterio Cluniacensi Abbas & monachi communicantes sub utraque Specie Sacramentum recipiunt.

CAPUT II.

PROTONOTARIUM.

§. I. In Ecclesia Græca longe alio fungebantur officio quàm in Latina. Græci enim protonotarii post Patriarcham locum occupabant & expeditionem litterarum ad Reges observabant. Deinde inspectionem habebant in Professores Juris, testamenta, contractus.

§. II. In Romana Ecclesia, Protonotarii Apostolici in duplici classe constituuntur. Aliqui sunt *Participantes* qui scilicet Romæ in Curia officium obtinent cum dignitate: erantque olim 7. per 7. Urbis Romæ partes divisi, ut perquirerent scriberentque gesta Martyrum. A Sixto V. ad numerum 12. ampliati, varia privilegia consecuti sunt, eorumque officium consistit in notandis iis, quæ in publicis consistoriis geruntur, & in conficiendis, dum rogantur, authenticis instrumentis ac expediendis Bullis: in his tamen non subscribunt nomen Protonotarii, sed Notarii tantum. Alii sunt non Participantes seu *titulares* vel *Honorarii* qui nullum officium in Curia Romana nec dignitatem habent, nisi eatenus, ut ipsis causæ Papales delegari possint. Ampliore gaudent nomine quàm privilegiis, & vix non vilescunt numero.

§. III. Participantes in sola Curia Romana præcedunt Abbates, cæteri autem nullibi. Participantes sunt exempti à Jurisdictione Ordinariorum, habent facultatem creandi Doctores & Notarios publicos, legitimandi spurios ad successionem hæreditariam,

tariam, deferendi arma, testandi de 2000. ducatis acquisitis ex proventibus Ecclesiasticis &c.

§. IV. Titulares præterquam quod aliis clericis nullam dignitatem habentibus præferantur, habent privilegium gestandi Rochetum & Mantelletum coloris vel nigri vel violacei, item utendi pileo super suis insignibus gentilitiis &c. Rochetum vocant vestem lineam Episcoporum & Abbatum propriam cum manicis strictioribus, quasi parvum Roccum. Hoc, neque Mantelleto utuntur, qui passim in Germania dicuntur Protonotarii, creati à familia Sfortia; quæ hoc quidem jus creandi sibi appropriat, sed non absque contestatione. Sunt qui unum alterumve Notarium creant, licet non sint ex duodecim participantibus, sed honorariis adnumerandi.

§. V. Regulares non possunt esse protonotarii: nihilominus sub- & obreptitiè Romæ umbratilem eminentiam quibusdam scutis sibi procurant, qui gentilitium suum insigne pileatum affectant.

CAPUT III.

CANONIZATIO.

Canonizatio, Græce Apotheosis, est authentica declaratio hominem defunctum æternâ gloriâ donatum esse, cui proinde cultus dulciæ debeat.

§. I. Differt à Beatificatione, tum accidentaliter, ob crebriora examina, frequentatam Spiritus Sancti invocationem, pompam exteriorè incomparabiliter majorem, & ejus Sancti in Lytaniis majoribus, post Ordinem proprii coetus, invocationem, quæ fit per Papam ipso solemnè Canonizationis actu: tum præcipue differt & velut essentialiter distinguitur à Beatificatione, quod

quod in hac publicus, sed cum restrictione permittatur cultus Beati: ast per Cananizationem declaratur talem cultum per universam Ecclesiam illi deberi, ac Missæ Sacrificium, in ejus honorem à quocunque Sacerdote ubique in locis Sacris peragi posse. Item quando Pontifex declarat solum esse beatum, non definit illum esse de facto in cœlesti gloria seu frui visione Dei (quamvis præsentem gloriæ statum tali beato abjudicare temerarium foret) quia declaratio illa non est decretum ultimum seu decisivum obtentæ beatitudinis, cùm novum examen institui soleat, antequam accedat solemnis Canonizatio: sed tantum est permisivum, ut defunctus possit in Ecclesia vocari beatus, pingi cum radiis; cui aliquando accedit, ut possit à certis personis, die ac loco determinatis officio vel in missa coli.

§. II. Ad venerationem legitimam fuit semper in Ecclesia requisitum, ut prævia diligenti inquisitione a Præsulibus eadem statueretur. Probat hoc ipsum Baronius in *Not. ad Martyrol.* 2da Aprilis ex Optato Milevitano, qui vixit Sæculo IV., *Lib. I. adv. Parmenianum*, qui scribit, Lucillam Donatistarum patronam os alicujus martyris, sed nondum vindicati, libasse. Quo significavit, nefas fuisse venerari reliquias martyris alicujus non vindicati.

§. III. Tres assignare licet temporum diversas ætates, quibus Sancti fuerunt Canonizati. *Ima* à primævo cultu Sanctorum Martyrum: Quando Episcopus hinc, ubi hi occubuisent, scribebat ad Præmiam Episcopum, à quo maturè inito cum reliquis Episcopis Provinciæ consilio decernebatur colendus ut Martyr Christi. Sic dum Secundus Episcopus Tigisitanus in Numidia, referente S. Augustino in *brevic. collat. diei 3. cap. 13.* scripserat ad Mensurium Episcopum Carthaginensem de his qui occubuisent, quod jubente Diocletiano Sacros libros extradere noluisent; hic rescripsit, omnes martyrum honore & cultu di-

Nnn

gnos

gnos esse. Idem Mensurius aliis quibusdam passis nomen martyris & venerationem deferendam esse, variis de causis negavit; qui scilicet sese offerebant persecutionibus & negabant se velle extradere Sacros Libros. 2da Aetas à Sæculo X., quando solum Martyres solemniter apothefi per Episcopum cum consensu Cleri & populi in aliqua Diœcesi declarabantur. Hoc potissimum in eo consistebat, si ipsæ reliquiæ exhumatæ super altare collocabantur & Missarum solemniter celebrabantur, panegyris habebatur &c. 3tia Aetas à Sæculo XII., quando Pontifices ceperunt proponere, quod communicari debeat Sedi Apostolicæ faciendæ apothefis, & demum, quod spectet ad Concilium Generale. Nihilominus in Gallia Anno 1113. fuit sine intervntu Pontificis S. Gualterus Abbas solemniter Canonizatus, sicut S. Martinus de Pontois per Archi-Episcopum Rothomagensis assistentibus Episcopis aliis duobus, qui corpus levarunt, festum ordinarunt, indulgentias dederunt reliquiis visitantibus. Alexander III. P. M. non increpavit, qui SS. Canonizationem sibi reservavit, eo quod Episcopi essent in ea nimis faciles, *Can. 1. de Reliq. & Ven. Sanctorum*. Et meritò, inquit Baronius *loc. cit.* tanti ponderis negotium non primati vel Patriarchæ alicui: sed ipsi tantum Romano Pontifici, pro summa ei à Christo Domino in Beatissimo Petro Apostolo tradita potestate est creditum.

§. IV. Ante Sæculum VI. putabatur Sacrilegium corpora Sanctorum elevare: postea tamen hac elevatione censebantur Sancti Canonizati. Fuit etiam aliquando Sancti cultus ita corpori annexus, ut illò translato cessaret quoque Sancti cultus, unde translatus fuit. Sic cum Novatiani corpus unius è 7. fratribus Martyribus furati fuissent, populus Romanus non amplius 6. alios cum matre Felicitate fuit veneratus. Verum hoc Sæculis posterioribus non habuit locum, quando furiosi Hugonottæ in Gallia tot corpora sanctorum combusserunt.

§. V.

§. V. Martyres tam viri, quàm fœminæ ab initio plenè nascens Ecclesiæ cœperunt publicè coli, in quorum honorem etiam Martyria, id est, loca sacra, seu Basilicæ erigebantur. Sancti Confessores autem & Virgines multò serius hunc honorem in Ecclesia meruerunt, ut scribit Innocentius III. *Lib. de Myst. Miss. cap. 10.* Quare etiam in Canone, qui merito ab hoc censetur antiquissimus, nulla horum harumve fit mentio. Inter primos confessores, quos cultos legimus, referri debent S. Martinus, in cuius honorem S. Benedictus Oratorium exstruxit; S. Remigius, quorum dies festi in Concilio Moguntino sub Carolo M. notantur. S. Joannes Chryostomus à Theodosio Juniore cultus, quem S. Cyrillus male ex Dyptichis Sacris expunxerat, pejus Monachum seditiosum occisum invexerat. S. Suibertus Episcopus primus Confessorum solemni apotheosi à Leone III. in Cæsaris Insula ad tractum Rheni inferioris, ubi obierat, dicitur in Sanctorum numerum primus Confessorum relatus, præsentente Carolo M. & plurimis Archi-Episcopis aliisque Ecclesiæ præsulis assistentibus circa Annum Domini 810. De quo tamen Papebrochius aliique eruditi moderni aliter sentiunt: quorum aliqui hunc honorem S. Udalrico Episcopo Augustano primò obvenisse volunt.

§. VI. Quidam Sanctorum fuerunt tales declarati sola voce populi & consensu populi Christiani, Ecclesia, Pontifice & Episcopis tacitè consentientibus; quos inter recensetur à Philippo à SSma Trinitate Theologo eximio & Ord. Carm. Discal. Generali S. Rochus, quem tamen alii volunt Canonizatum à Nicolao V. Verùm in ipso tempore Concilii Basiliensis cum pestis grassaretur, pro ejusdem cessatione fuit patronus ibidem publico cultu affectus.

§. VII. Coluntur insuper in variis Dicecesibus quamplurimi Episcopi, item in Ordinibus Religiosis Sancti monachi, quorum

rum 5555. sibi vindicat Ordo Benedictinus, de quibus tamen minimè constat, quod per Pontificem Romanum vel Episcopum Dicecesanum fuerint in album Sanctorum relati: quorum nomina, si in correcto Martyrologio Rom. non extent, inferi prohibuit Gregorius XIII. in Bulla A. 1584. Martyrologio præfixa: coli tamen & in separato libro scribi permisit. Urbanus VIII. bullam edidit, qua prohibuit eorum cultum sacrum & publicum, depingive cum radiis illos, qui antea centum annis non ita culti aut depicti fuerunt, à nullo Pontifice in Beatorum album relati.

§. VIII. Postquam in Concilio Generali Lateranensi sub Alexandro III. reservata fuit autoritas Canonizandi, rigorosum omnino adhibetur in iudicio contradictorio examen in vitam, mores, virtutes heroicas & miracula, etiam post mortem: ubi à Congregatione Cardinalium specialiter deputati opposcentes dicuntur *Procuratores diaboli*, qui cuncta, vel levissima Canonizationem impediencia, vel retardantia, inquirunt, colligunt & aggravant, miracula discutiunt, extenuant, quæ alias unicum sunt medium, ut Canonizari quis possit: adeoque falsè magis quàm pie de quodam Sancto in Ecclesia celeberrimo quidam scripsit, *Maximum miraculum, quod Sanctus hic fecerit, esse illud, quod sine miraculo fuisset Canonizatus.* B. Petrus de Castelnau primus Inquisitor ut Martyr fuit ab Innocentio III. Sanctorum Catalogo adscriptus: non requisivit tamen hic miracula, quæ nulla recensebantur ad tumbam facta. Quod autem nulla contigerint, Pontifex temporum illorum incredulitati adjudicavit. De S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani magna celebritate sepulti Canonizatione, refertur, quod post eam peractam prius in miracula inquisitum fuisset.

§. IX. Vigore Bullæ Urbani VIII. nullus Canonizandus, nisi ab annis . . ex hac vita discesserit, In eo tamen dispensavit Alexan-

Alexander VII. quando S. Franciscum Salesium Episcopum, qui Anno 1622. obierat, Sanctorum Catalogo adscripsit Anno 1665. Quando S. Ludovicus Caroli II. Regis Siciliae filius & S. Ludovici Regis ex fratre nepos, Ord. FF. min. Episcopus Tolosanus aetatis 22. ann. mortuus fuit Canonizatus, Mater solemnitati interfuit, cui Pontifex epistolam congratulatoriam misit. S. Antonius de Padua biennio post obitum, S. Homobonus eodem anno, quo mortuus, sancti fuere, à Pontificibus declarati.

§. X. *Pretiosa est in Conspectu Domini mors sanctorum ejus: sed pretiosa quoque Canonizatio Sanctorum in conspectu Pontificis.* Nam ipsa sumptuosa solemnitas, exteriorque pomposa celebritas, quæ à Leone III. putatur introducæta, ac temporis successu in immensum aucta, fecit, ut paupertas sit gravis Canonizationis obex. Ingentem enim auri argente vim ad eam esse necessariam vel inde colligere licet, quod testimonio fide digno P. Georgius Gobat referat, se accepisse litteris Romæ ad se datis Anno 1672., Canonizationem quinque Sanctorum Anno priore, mense Aprili peractam stetit quo ad apparatus in sola Basilica Vaticana ad S. Petrum centum viginti quinque millibus scutorum Romanorum, præter alios in aliis Ecclesiis quatuor Ordinum, quorum membra hi Sancti olim fuerant, sumptus factos. Igitur potens est paupertas aliquem Sanctum efficere, sed non Canonizare. Sine obulo poterit quis Sanctus esse: sed sine multis millibus scutorum nequit Sanctus dici. Qua de causa multæ utriusque sexus personæ, quas sancta paupertas ad insignem vitæ sanctimoniam evexit, hac eadem præpeditæ sanctitatis titulo potiri nequeunt: dum scilicet populus, ordinis religiosi familia &c. impar est solvendis sumptibus tam ingentibus, quantos Canonizatio requirit. Quo fit, ut quanto sublimiores in cælis earum animæ existunt, tanto obscurius earum nomina delitecant in terris.

§. XI. Lubet hic subnectere quaestionem hoc tempore inter Theologos agitatam: *Num scilicet certum sit hominis Canonizati animam discessisse in gratia, aut de facto ad caelestem gloriam pervenisse?* Quidam Doctores Catholici, inter quos Joannes Sinnichius Doctor Lovaniensis in *Lib. dicto Saul Ex-Rex art. 258. seq.*, Celebratissimus Theophylus Raynaudus in *Coron. aurea Pontif. Rom. Verit. 3tia* sustinent, hoc solum esse probabile: eo quod Pontifex procedat secundum allegata & probata, sicque innitatur testimonio fallibili deponentium: ideoque soleat paulò, antequam declarat, & Canonizandum velut Sanctum invocet, populum hortari, ut Deum omnes exorent, ne permittat eum errare. Communis tamen doctrina est (licet non sit de fide) Pontificem in Canonizatione non posse errare, Philip. à SS. Trinit. in *2. 2da Disputat. 3. dub. 9.* Adeoque esse certissimum, hominem relatum in Sanctorum numerum de facto frui visione beatifica. Adhibet verò Pontifex hujusmodi media tanquam proportionata, ne erret in executione: quod tamen non est argumentum, eum posse errare in actu, sive in potentia proxima, ut substat directioni divinae. Non enim agitur de potentia remota Pontificis, in suo esse naturali considerati. Est equidem ipsa auctoritas testium deponentium humano modo infallibilis considerata cum strictissimo examine & plurium annorum exactissima discussione in vitam canonizandi: quam cum in actis perlectis non ita pridem deprehendisset quidam magni nominis ex Protestantibus, effatus est, vel nihil in hominum actis reperiri certum, vel actum hunc debere esse certissimum. Quia tamen hoc testimonium non habet infallibilitatem fidei, utpote hominis, & à Deo non revelatum, non est totaliter de fide, Philip. *loc. cit.*

Quod verò passim de Joanne XXII. refertur, illum definitivè, Sanctos nondum esse in gloria, sed futuros post resurrectionem generalem, falsum est. Fuit quidem valde propensus in eam sententiam, verùm morte præventus nihil definitivè de eo.

Ockam

Ockam verò Schismaticus falsò, ex odio in Pontificem hoc illi attribuit: & Gerson, Adrianus &c. narratione Ockam decepti fuerunt. Olim tamen ita opinati sunt Tertullianus *Lib. 4. cont. Marcion*, Lactantius *Lib. 4. Inst. cap. 21.* Idem refertur de Armenis & Græcis modernis.

§. XII. In Concilio Florentino sess. 7. Latini dixerunt, se ignorare Simeonem Metaphrasten Sanctum, qui ut talis à Græcis colebatur. Carolus M. Aquisgrani ut sanctus colitur, non alibi, canonizatus à Pseudo-Pontifice Paschali. Ludovicus Pius in Corbeia Saxoniae Sanctus habetur, aliàs nullibi.

Scribit Sulpitius, quod cum populus quendam ignotum velut S. Martyrem coleret, hujus anima S. Martino apparuerit, seque cujusdam latronis esse animam significarit.

Attribuitur S. Augustino sententia: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ cremantur in inferno*; quam Bellarminus nusquam in ejus operibus reperire potuit.

CAPUT IV.

INDULGENTIAE ET JUBILEUM.

Indulgentia est pœnæ temporalis Deo debitæ ab Ecclesiæ Prælato facta remissio per applicationem satisfactionis Christi & sanctorum.

§. I. Fervente persecutione, lapsis martyrum libellos offerentibus ab Ecclesiæ præsulibus concedebatur pœnitentiæ Canonice relaxatio, ob martyrum & confessorum in carcere detentorum intercessionem. Constat id ex Tertulliano *Lib. ad Martyres*, Cypriano *Lib. 3. epist. 5. & 15.* & sermone de *Lapsis in sine*. Tertullianus verò postquam ab unione Ecclesiæ defecit, ejusmodi indulgentias per Martyrum intercessionem concessas impro-

probavit & oppugnavit. Atque hæc prima indulgentiarum forma, licet quidam eas deducere velint *ex 2. epist. ad Corinth. 2.*, ubi Apostolus quendam incestuosum, rogantibus pro illo Corinthiis, absolvit.

§. II. Deinde reddita Ecclesiæ pace, erat in potestate Episcoporum pœnitentibus, qui maximo cum fervore pœnitentiæ stadium, conformiter Sacris Canonibus, decurrebant, pœnitentiæ tempus statutum contrahere seu abbreviare & de illis aliquid humanius cogitare, ut ait Nicæna Synodus. Hic fuit secundus indulgentiarum modus.

§. III. Septimo Sæculo & deinceps redemptio indulgentiarum usus fuit, ut pœnitentiæ redimerentur eleëmofynis, sive in pauperum subsidium, sive in Ecclesiarum constructionem & restorationem erogatis. Fuit hic tertius indulgentiarum modus.

§. IV. Undecimo Sæculo præcipite Urbanus II. P. M. pergentibus ad expeditionem Hierosolymitanam, aut aliquid ad eam conferentibus indulgentias concessit. Quæ fuit quarta indulgentiarum conferendarum seu relaxandarum pœnitentiarum ratio: adeoque Urbanus habendus est primus Pontificum, qui indulgentias concessit: Nam illæ quæ referuntur concessæ antea stationibus Romanis &c. apud S. Thomam *Dist. 20. Quest. 1. art. 3. questiu. 2.* & alios, non reputantur authenticæ.

§. V. Duodecimo tandem Sæculo indulgentiæ omnibus certas Ecclesias, vel altaria visitantibus & ad divina convenientibus concedi coeptæ. Nunc numifinatibus, ceræ benedictæ gestationi, Rosariorum granulis, confraternitatum, ut vocant, inscriptioni &c. conceduntur. Indulgentiarum applicatio defunctis facta seriùs cœpit.

§. VI. Quidam interim hominibus, etiam eruditis nituntur persuadere, quod formulæ indulgentiarum certas Ecclesias visitantibus concedi solitarum, longè fuerint antiquiores, voluntque inceperunt à temporibus Apostolorum, & hunc in finem tabulam allegant pendentem ex columna secunda à Latere dextro Basilicæ Lateranensis, in qua S. Sylvester concedit plurimas indulgentias, imo plenarias, illuc venientibus; quas postea S. Gregorius M. confirmasset. Verum nullus historicus fide dignus ex antiquioribus aut recentioribus hujus meminit. Nec tabula illa, æquè ac ea, quæ in Basilica S. Sebastiani extra muros Romæ reperitur, sæculi unius ætatem excedunt, iudice Papebrochio in *Conat. histor. dissert.* 8va.

§. VII. Innocentius III. P. M. largitus est indulgentias iis, qui meretricem in uxorem duxerint, Odor. Rayn. *ad Annum* 1198.

§. VIII. Summus Pontifex ex propria potestate: alii vero inferiores Episcopi ex concessione summi Pontificis indulgentias largiuntur. Episcopi commune jure unius anni indulgentiam dare possunt pro die anniversario dedicationis templi, alias verò ob justam causam dierum quadraginta idque subditis suis, non defunctis. Indulgentiæ altari privilegiato, ut vocant, aut personæ privilegiatæ, defunctis applicanda, affixæ longè recentioris usus sunt.

§. IX. Cum indulgentiarum Bullam, quam *Cruciatam* appellant, Leo X. edidisset, eamque Archi-Episcopus Moguntinus Albertus Brandeb. Pontificis hac in re Commissarius Tezelio Dominicano promulgandam contulisset, irritatus Staupitius Ord. Erem. S. Augustini per Germaniam Vicarius Generalis ex nobili progenie, quod ordini suo, cui aliàs hæc promulgandi provincia demandari solita erat, à Luthero adjutus Indulgentiarum præcones carpsit. Et hic quidem in epistola ad Præfatum Archi-

O o o

Epif-

Episcopum inter alia exprobravit, quod ad populum proficere non erubescerent, eodem momento, quo argenti in pelvium projecti sonitus audiretur, animas è purgatorio exsilire, proinde conducere, ut nummum grossiorem injicerent: eoque argento peccata quo ad culpam & penam, quantumcunque gravia, imò etiam posthac committenda certissimè remissa. Hæc si vera, gravissima scanda- la in Ecclesia causabant. Scribit etiam Guicciardinus Lib. 3. Ar- gentum hoc à Commissariis, ad hanc exactionem deputatis, impu- denter petebatur: quorum plerique à Papæ officariis potestatem hanc emerant. Plures ejus ministri potestatem animas è purgatorio liberandi vili pretio vendebant, aut in tabernis consumebant: Ita ille; qui, si, ut aliàs Pontificibus iniquior, fidem non reperiat: reperiet utique Frater Thomas Eremita, qui Libro Anno 1522. typis evulgato scribit: Vide, quæso, Christiane Lector, quomodo Bullistæ, vel potius nebulones illi Christianum populum decipiant. Discurrunt illi per montes & valles, & miseros idiotas facultatibus suis exspoliant. Utque tanto melius ac facilius deglubere eos possint, cum parochis rem & consilium conferunt, dicentes: Domine paro- che, apportamus plenarias indulgentias: quodsi vestro mandato po- pulus convenerit & Processiones factæ fuerint, nos tertiam, quod inde collegerimus, vobis dabimus, & de bonorum hominum fortu- nis una læti convivabimur. Ibi parochus Concubinarius, indoctus, mercenarius, non Pastor, quo ventrem suum replere, & scortum alere possit, cum istis Bullarum portatoribus transigit. Qui pecu- nia illa per fas & nefas collecta, convivantur, saltant, & gemitu in- dulgent: interim simplicitatem eorum rident, qui opinione veniam consequendi peccatorum, aut captivos redimendi, pecuniam profun- dere non dabiturunt. O bone Deus! quis recensere posset ea flagi- tia, quæ sub indulgentiarum prætextu ab infamibus istis quæsto- ribus, atque redemptoribus committuntur. Sunt enim quidam adeo stulti, ut profligata omni conscientia, Epicureorum more dicant. Agite, Lætos agamus dies, voluptatibus indulgeamus: exiguo pretio redempta Bulla noxas nostras omnes quantumcunque graves & enor-

Et enormes delebit &c. Hæc ex præfato libro, quem apud se habebat, excerptit Florim: Remundus suoque primo Libro de Orig. Hæres. cap. 8. inseruit, à veritate, ut fatetur, coactus. Sunt, qui referunt Leonem Pontificem magnam hujus ex Bulla collectam pecuniarum vim contra invadentem Turcam applicandam in nuptias fororis suæ contulisse. Interim, velimus nolimus, fatendum est, occasione hujus Bullæ tam scandalose promulgatæ indulgentias vilipensas, & inestimabilem thesaurum pro nihilo habitum, quando sordidissima avaritia thesaurizavit super eum, & quæstores impii forcibus indulgentiarum tondebant oves Christianas. Inde sumpsit Lutherus ansam oppugnandi indulgentias suisque asseclis magnas largitus est indulgentias liberè vivendi.

§. X. JUBILEUM erat Judæis annus quinquagesimus redemptionis, in quo jubebantur ab agricultura vacare, debita remittere, possessiones antiquis dominis absque pretio restituere, servos libertate donare, *Levit. cap. 25. & 27.* Ad imitationem hujus dictus est annus *Jubileus* Romæ cum plenissima peccatorum indulgentia.

§. XI. Bonifacius VIII. Anno 1300. statuit centesimo quovis anno celebrandum Romæ jubileum, *Extrav. i. de pœnit. & remiss.* Ubi tamen significatur, sicut & in Bulla Clementis VIII. de Jubileo, Anno 1600. edita, morem hunc centesimo quovis anno amplissimas indulgentias concedendi Bonifacium Papam non primò introduxisse, sed veteri traditione & Majorum monumentis testatum confirmasse: quamquam hujus concessionis in iis, quæ extant, antiquorum monumentis nullum sit reperire vestigium, nec apud ullum scriptorem legatur.

Clemens VI. Anno 1342. Avenione electus Jubileum ad Annum quinquagesimum revocavit, & anno 1350. celebravit.

Extravag. Unigenit. eod. tit. Deinde Paulus II. ad brevius tempus scilicet annos 25. reduxit, quod alii Sixtum IV. fecisse perhibent.

CAPUT V.

INQUISITIO HAERETICAE PRAVITATIS.

INQUISITIO illa est processus judicialis, qui contra eos instituitur, qui haeretici sunt, vel videntur.

§. I. Circa medium Saeculi XIII. exorsus fuit hic Processus. Innocentius Papa IV. ad extirpandas haereses misit Inquisitores in Lombardiam, Romaniolam, Marcam Anconitanam, tres provincias Sedi Apostolicae subjectas. Publicavit etiam Bullam, in qua 31. Articulis stabilivit Inquisitionem, cum facultate Inquisitoribus data interdicens, & excommunicandi. Cumque multae contra eam opponerentur difficultates, Alexander IV. eam mitigavit. Post 6. annos Clemens IV. eandem renovavit: sed exiguo successu. Quatuor deinde successores Pontifices magno conatu illius observantiam voluerunt introducere: sed eventus minimè correspondit illorum expectationi. Ut autem deinceps facilius reciperetur, communitates hanc observantes exemerunt à communi contributione; atque sic in Italia fuit demum recepta, non autem in regno Neapolitano, neque territorio Veneto. Cum verò toti Christianitati vellent imponere, Germania suam libertatem vendicavit, in qua Inquisitor haereticæ pravitatis dicitur quidem Prior Ord. Dominicanorum Coloniae: sed ferè nomine recusavit eam admittere.

§. II. In Aragonia recepta fuit Inquisitio, postea tamen spreta à populo. Tempore Ferdinandi & Isabellæ in tota Hispania fuit recepta consiliante Torquemata Confessario Reginae, deinde
in

in Lusitania & India. Anglorum genius existimabatur planè Inquisitioni contrarius, licet alioquin essent Pontifici tributarii per denarium S. Petri singulis familiis impositum ab Etelpholvo Rege, cum Romam se contulisset ad Leonem IV. Cum in Belgio post tempora Lutheri multi hæreticorum reperirentur, Carolus V. Imp. edictum promulgavit, ut Inquisitio introduceretur: sed executioni haud mandatum, eo quod videretur exteros propulsare & incolas. Philippus II. magis tenax voluit violenter eam introducere: quæ potissimum causa fuit, ut Hollandi rebellarent. Deinceps Inquisitio intra limites suos perstitit alibi.

§. III. Inquisitio Italica dependet à Romana, cujus Papa est caput, & appellatur *Congregatio Sancti Officii*, de qua supra. Numerus famulantium est propemodum infinitus, qui à jurisdictione Ordinarii sunt exempti. Hispania & Lusitania constituunt unum Concilium supremum, quibus æqua ac Congregationi S. Officii Romæ potestas. Generalis Inquisitor nominatur à Rege Catholico, & is alios Officiales nominat. Quinque sunt Consiliarii, quorum unus Dominicanus. Domus Inquisitionis regium palatium, si suâ magnificentiâ non excedat, minimum adæquat.

§. IV. Suspecti, qui parum reverenter de Curia Romana, ritibus sacris &c. locuti fuerunt, rumore aut exploratoribus infimulati tribus vicibus citantur, deinde contumaces excommunicantur, & provisionaliter condemnantur: ad emendationem aliquoties capiuntur sine citatione, in carceres mittuntur & nullus ibi permittitur consanguineorum, amicorum &c. accessus, scribere aut recipere epistolas prohibentur: interim panem arctum & aquam brevem accipiunt, habentes plus crucis, quàm Lucis. Ipsi Innocentia parùm succurrere potest. Pluribus mensibus retinentur, antequam in judicium producantur. Productus interrogatur, quid habeat proferre, cur in carcerem missus sit.

Si neget se scire, si convinci non poterit, remittitur ad carceres: deinde adhortatur, ut crimen confiteatur, denique negans reducitur ad carcerem, & pejus tractatur. Post longum intervallum ad juramentum compellitur; si renuat, condemnatur tanquam non Christianus. Quodsi obediat, examinatur strictè illius vita, absque eo, quod crimen, ob quod captivus retinetur, illi intimetur. Si persistat diffiteri crimen præsumptum: falsa crimina in scriptis collocant. Si reclamet aliqua, statim censetur reus alterius, quod pariter non reclamavit. Permittitur ei advocatus, qui tamen nunquam, nisi in præsentia Inquisitorum ipsi loqui audet. Deinde solam criminis substantiam illi proponunt & neganti dantur triduanæ induciæ. Contra testes solum excipere potest, quod sint sui hostes. Tortura applicatur; & cuncta admoventur, ut deprehendatur sibi vel in minimo contradicere. Si per testes, aut juxta opinionem propriam condemnatur, damnatur ad virgas, fustigationem &c. mortem, securi, aut laqueo inferendam, frequenter ad vivicomburium: omnia bona confiscantur, & Regi attribuuntur. Executio differtur, donec plures, in aliorum terrorem simul puniantur.

§. V. Quando crimen non potest apparenter probari, debent præsumpti rei levem vel vehementem suspicionem abjurare, & condemnantur, ut aliquo tempore portent *San. Benit.*

Ipsi iudices fatentur, quod in hac carnificina conscientiarum plures innocentes patiantur: sed tunc coelum merebuntur, sicut nocentes impenitentes infernum.

§. VI. Romæ quicumque Præsules, etiam Cardinales suspecti citantur ab Inquisitoribus, & comparere tenentur. Inquisitio Aragoniæ regem Joannem II. citavit. Cum non ita pridem Rex Lusitaniæ cujusdam ab Inquisitoribus damnati bona nollet esse sua: fuit ipsi interminata citatio ad Inquisitionem: qui de-
mum

num recepta bona confanguineis reddidit. Inquisitio Castilienfis ad focum condemnavit testamentum Caroli V. Imperatoris, quia ferè nulla pia legata continebat (cum tamen aliàs plurima constituiffet) Philippus II. submiffè executionem condemnationis impedivit. Illuftriffimus Bartholomæus Cazanæ Archi-Epifcopus Toletanus fcriptis celebris, à Carolo, ut Palavicinus fcribit, vocatus, quatenus finiftram fufpicionem de eo exploraret, fub prætextu, quod Carolo in extremis adffitiffet, nec tamen pia legata urffiffet, ad Inquisitionem citatus fuit, quam cum fibi infenfam fentiret, Romam appellavit, ubi comparens mire agitatuf fuit: atque argento & amicorum ope vix fententiam mortis evafit, juffus Dominicanorum monafterium fupra Minervam intrare magna animi tranquillitate ibidem paucis diebus fupervixit: alia fata fubiturus, nî Martinium Afpilcuetam Octogenerium Canoniftam celeberrimum, qui ex Navarra in ea caufa Romam venerat, naçtus fuiffet hyperafpiften. Cuculla Imperatoris defunçti Concionator & Constantinus de la Fuente, alias Funtius aut Ponce, quondam ejufdem Confefarius ad Inquisitionem citati Hifpalis incarcerati. Tandem fententia A. 1559. lata, vigore cujus Cuculla fuit vivus combuftus, cum effigie, Ponce, qui paulò ante in carcere fuerat mortuus, quem alii dicunt fe fe ipfum interemiffè. Nulla deinceps fuit habita quæftio de Caroli teflamento; cujus præcipuus author creditus fuit præfatus Ponce Epifcopus Dresdenfis in Hifpania.

§. VII. Rei ab Inquifitoribus judicati traduntur judici fæculari, quem tamen hi rogant, ne morte eos afficiat: quod fanè ludricum, quandoquidem id unice eos intendere comper tum fit.

§. VIII. Cum in Lufitania multi ex ftemmate judaico reperiuntur, qui tamen Chriftianifmum præferunt, rigidè horum Crypto-judæorum vita & mores obfervantur ab emiffariis Inquifitionis,

fitionis, qui tamen securius degunt, quamdiu Rosarium aut Sacrum aliquod numisma publicè portant vel in speciem sacris interfunt.

Inquisitio Veneta ab anno 1289. exorsa, sed mox extincta, tandem sub Nicolao IV. Pont. Max. rursùm introducta fuit: verùm adjectis per Senatum variis conditionibus, multùm tribunal hoc restringentibus, ubi tres Senatores semper interesse debent. Ad illud non spectant Judæi, Græci, Blasphemi, magi, duarum uxorum viri, qui alias comprehenduntur in Italia, Hispania & Lusitania ab Inquisitione: sed solùm hæretici & Sacramentorum violatores; confiscata bona hæredibus innoxiiis relinquuntur &c. . . Huic Inquisitioni interest Nuntius Apostolicus, Patriarcha & Pater Inquisitor ex ordine S. Francisci.

§. IX. Relationes recentissimæ perhibent Lusitaniæ Regem Joannem Franciscum, cui cum Curia Romana, ob denegatas sibi prætensiones minus bene convenit, Inquisitoribus præcepisse, ut non aliter, nisi secundum allegata & probata, usitatamque in aliis tribunalibus praxin deinceps procedant: ipsumque nequidquam Generalem Inquisitorem ab officio suspendisse.

§. X. Inquisitio Goæ Magnæ autoritatis duos habet Inquisitores, Presbyterum Sæcularem & Dominicanum. Qualificatores Libros examinant. Item Procurator & Advocatus inquisitis permittitur, qui potius in eo sunt, ut expiscentur ex reo facta; quam ut eum defendant.

§. XI. Inquisitio Tholosana Ao. 1229. contra Albigenses instituta. Nomine tenus apud Dominicanos persistit, qui annuè in quadam Domo conveniunt & à Rege designatus Inquisitor præsidet: sed nil decernit; siquidem Anno 1646. decreto Parlamenti jus Inquisitionis cujusdam Archi-Episcopo adjudicatum fuit in perpetuum.

Quod-

Quodvis Tribunal Inquisitionis constat communiter Præfide, 6. Inquisitoribus, advocato fisci, secretario præter subjunctos alios, quorum in tota Hispania recensentur non pauciores 20000., qui deferunt, capiunt &c.

CAPUT VI.
A N N A T A E.

Annatarum solutio est redemptio dimidiæ partis fructuum, quam Sedi Apostolicæ laudabilis consuetudo vindicavit: nequaquam provisionis aut collationis emptio, quia collationes & provisiones gratis fiunt.

§. I. Annatarum institutionem esse tam antiquam, ut de illius memoria non extet vestigium, frivole quidam canonistæ tueri volunt: absurdumquæ est, illam ad tempora Apostolorum & Ecclesiæ nascentis exordium referre, quasi Collectæ in Ecclesia Hierosolymitana aliavæ factæ pro pauperibus annatarum naturam habuissent.

§. II. Clemens V. primo annates exegit (ante hunc non legimus aliquem exegisse Pontificem annatas, qui solum exegit ad tempus, non in perpetuum & in Ecclesia Anglicana tantum.) pro biennio, ut Matthæus Westmonasteriensis, triennio, sicut Walsinghamus referunt. Consuetudo tamen jam olim in Romanam Curiam irreperat, ut quicumque consecrarentur Episcopi, vel benedicerentur abbates, certam pecuniæ summam tenerentur conferre, inter Papam & Cardinales dividendam. Contra hanc consuetudinem Guilelmus Durandus Mimatensis Episcopus *lib. de modo celeb. Concil.* quem paulò ante Concilium Viennense edidit, calamum strinxit. Verum est, non modicam pecuniæ summam Episcopos solvisse Pontifici & Cardinalibus, non tamen pro consecrationis munere: sed honorarii nomine. Refert siquidem

Ppp

Roge-

Rogerus de Hoveden rerum Anglicarum scriptor Episcopum Cenomanensem in Gallia de Maine Anno circiter 1190. dedisse pro sua ordinatione 700. marcas Argenti. Reditus ut plurimum annuus ei rei destinabatur, teste Hostiensi, qui circa 1260. floruit, *in cap. Inter cætera. de Offic. Ordin.*

§. III. Hoc verò Annatæ genus soli ipsi persolvebant Episcopi, qui consecrabantur Romæ; quod respectu Episcopatum provinciarum dissitarum tunc tantum contingebat, quando circa Episcopi electionem lis movebatur, propter quam Romam tendere debebat; ubi evictâ causâ consecrabatur.

§. IV. Joannes XXII. P. M. novum Annatarum genus invenit, scilicet tributum annuum ex omnibus beneficiis non electivis, exigendum, ad subveniendum necessitati Ecclesiæ Romanæ. Atque hinc reservavit usque ad triennium fructus omnium præbendarum Ecclesiasticarum, parochialium, & Capellarum, quæ intra illud tempus vacarent. Patet ex ejus *Constit. cum nonnulla III. Lib. Ext. Commun. Tit. de pr. eb. & dignit.* Hoc tributum temporarium sequentes Pontifices perpetuum esse sanciverunt, illudque Episcopatibus & Abbatibus, quas Joannes ab hoc onere liberare esse jusserat, imposuerunt.

§. V. Hujus impositionis author extitit Bonifacius IX. circa decimum Annum sui Pontificatus anno 1399., ut observat Theodoricus Niemus ex 39. annorum Abbreviatore Pontificio Werdensis Episcopus, impudenter, ut falso, hanc annatarum impositionem simoniam palliatam appellans, atque ut talem antea fugillarunt citati scriptores Angli. Platina in Bonifacio IX. scribit: *Annatarum usum beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit, hac conditione, ut qui beneficium consequeretur, dimidium annui proventus Fisco Apostolico persolveret.* Unde etiam annatæ dictæ fuerunt. Prosper Fagnanus oculatus ille Canonista cæcus huic tributo

buto annatæ nomen inditum advertit, non quod omnes anni fructus complectatur: sed quia vel solvitur ratione fructuum primi anni, vel quia, authore Bonifacio IX., successit in locum reservationis, quam antea Pontifices facere consueverant pro suis & Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, omnium fructuum & proventuum unius anni beneficiorum ad tempus vacantium; vel qui exinde usque ad triennium, vel aliud tempus (certis Provinciis designatis) vacarent: quos quidem fructus pro se & Camera Apostolica Romani Pontifices per suos collectores percipiebant.

§. VI. Volunt quidam, quod Annatæ introductæ fuerint ex causa passagii in terram sanctam, quare inferunt; *cessante causa cessat effectus*: quod quidem in Physicis, non moralibus locum habere debet.

§. VII. Synodus quidem Basiliensis *sess. 12^{ma}* hortatur Pontificem, ut annatas abroget: & *sess. 21^{ma}* penitus eas abrogare videtur: quod aliqui de earum abusu intelligi tantum volunt. Verùm quia aliunde non providit congruum ac necessarium Romano Pontifici Cardinalibusquè sustentationis subsidium, ut facere promiserat: & aliunde non extabat, ut *sess. 21^{ma}* supponit; non annates ipsas, sed modum duntaxat illas exigendi videtur improbasse: hac conditione, ut sola medietas taxæ exigereetur, & ut ante concessionem Bullarum illam solvere Prælati minimè teneantur, atque unius anni inducias post adeptam pacificam possessionem ad solutionem haberent. Quidquid sit, Basiliensis conventus tunc habitus non fuit præsentasse Ecclesiam Universalem, quia Eugenius Papa dissolutum declaraverat. Nihilominus Ecclesia Gallicana Avarici Biturigum congregata Basiliense decretum, rata id è re sua esse, recepit, & Pragmaticæ Sanctioni inseruit: sed tamen providendum aliunde Pontifici censuit. Cumquè Pontifices experti essent, ante Bullarum extraditionem, quidem Episcopos promittere solutionem taxæ, postea autem nihil

præstare, compulsi sunt per retentionem Bullarum illos ad solutionem cogere.

§. VIII. Annatarum executionem & solutionem simoniae labe conspersam contendit Joannes de Launoy Doctor Parisiensis & velut execrandum simoniae genus perstrinxit: quem duobus opusculis refutavit Natalis Alexander, qui ex Fagnani *Comment. in 1. part. Lib. Decret. 5. ad tit. Ne Prælati Vices suas: & ad Capit. Præterea*, honestatem sic fere probat. *Imo* Summo sacerdoti Lex antiqua *Num. 18.* decimam partem solvi præcipiebat.: ergo decimi loco potest solvi summo Pontifici novæ Legis. *2do* omnibus curam animarum habentibus piè solvuntur Decimæ: summus Pontifex constituitur Dominici Gregis Pastor & Rector; huic itaque non minus piè solvuntur Decimæ. *3tio* Ecclesia Universalis est unum corpus Mysticum, caput illius est Pontifex; membra debent subvenire capiti. Et si pensiones Ecclesiasticæ licitæ sunt, sub certis conditionibus à jure præscriptis; quidni licita erit annatum exactio ordinata? Alia ratio defumitur ex jure *Deportûs*, quo Archidiacono fructus unius anni ex beneficiis parochialibus, dum vacant, in pluribus Ecclesiis acquisiti sunt, ut constat ex *Extravag. Joannis XXII. Cap. de Elect.* Cùm igitur Pontifici longè plura subeunda sint onera pro Universâ Ecclesia, quam Archidiacono pro sua, recte in subsidium annatæ exiguntur. Certe totius Ecclesiæ Catholicæ consensus longè pluris est Authoritatis, quam unius Doctoris privati. Igitur annates solvere est pietatis & charitatis, & postquam Prælati & Reges consenserunt, etiam æquitatis.

§. IX. Episcopos & Abbates quosdam seu consuetudine seu privilegio fultos annates beneficiorum ad suas Diceceses vel cœnobîa pertinentium exegisse ac percepisse jam inde à Sæculo duodecimo Ecclesiastica monumenta perhibent. Hoc abusi privilegio quandoquæ Prælati, Abbates & Piores seu alios suos beneficiatos

ficiatos deponebant, ut annatis fruerentur, ut compertum habetur ex *Clementina Frequens, de excessibus Prælatorum*. Atque ideo in Gallia prohibita fuerunt Annatae Ao. 1385. item Ao. 1422.

CAPUT VII.

PECCATORUM RESERVATIO.

Usque ad tempora Urbani II., qui obiit Anno æræ Christianæ 1099. ex concessione Ecclesiæ per usum continuum ab initio usque huc declarata omnes sacerdotes juxta Doctissimum Navarrum ex *Const. Placuit de Pœnit. Dist. 6.* poterant quoscunque pœnitentes, ultrò se submittentés, à quibuscunque peccatis ubivis locorum absolvere. Hæc Concessio expiravit per Concilium Lateranense & Tridentinum.

§. I. Reservationem tamen quorundam peccatorum in Ecclesiam diu ante fuisse introductam conatur probare celeberrimus Natalis Alexander *Hist. Eccles. tom. 8. Dissert. 12. Art. 9.* ex Sancti Cypriani epistolis 9. 10. 11. & 28., nec non ex veteri pœnitentiæ publicæ administratione atque ex Pœnitentiarii, in Ecclesia Constantinopolitana instituti, postea à Nectario Archiepiscopo depositi, historia.

§. II. Concilium Rhemensè sub Innocentio II. Anno 1131. & Lateranense sub eodem Pontifice Anno 1139. *Can. 19. & 20.* Clericorum percussores, incendiarios ab Episcopis vel Archiepiscopis absolvi prohibent, donec in Sacris expeditionibus Hierosolymitanis, aut in Hispania per annum militaverint. Perjuris & censurarum Ecclesiasticarum contemptores à summo Pontifice duntaxat absolvendos statuit Concilium Avenionense Anno 1209. ab Episcopis quatuor Provinciarum, Præside summi Pontificis Legato, celebratum *Can. 13.* Episcopos gravissimorum

criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere solitos pœnitentiæ & absolutionis gratiâ accipiendæ habetur ex Concilio Lemovicensi II. Anno 1032. celebrato. Concilium Londinense Anno 1001. in Angliâ celebratum Libidinum contra naturam absolutionem Episcopis reservatam declaravit. Anno 1130. Stephanus Parisiensis Episcopus singulari mandato sibi reservavit absolutionem eorum, qui Thomam Priorem S. Victoris Parisiensis occiderant. Concilium Eboracense in Angliâ Anno 1194. perjurii reos ad Episcopum vel Generalem dicecesis Confessarium, seu majorem Pœnitentiarium remittendos sancivit. Concilium Londinense aliud Anno 1220. sacrilegos, perjuros, incendiarios, fures, raptores, nisi ab Episcopo, vel ejus dicecesis constituto Vicario, vetat absolvi. Reservationis casuum pariter meminerunt Concilium Santonense Ao. 1280., Nemaufense Ao. 1284., Lambetense in Angliâ 1281., *Can.* 8vo, Ravennatense 1286. *Can.* 8vo, quo casus reservatos de consuetudine generali, vel speciali commemorat; Arelatense in Gallia Anno 1275. Nicosienſe &c.

CAPUT VIII. I N D I C T I O.

Indictio est revolutio 15. annorum à primo usque ad decimum quintum, qua revolutione peracta iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus Cycli à Januario in Bullis Pontificiis.

§. I. Indictionum frequens usus est in Diplomatum Ecclesiasticis, potissimum in scripturis publicis & Instrumentis Notarialibus.

§. II. Omnes eruditi Critici fatentur, nihil obscurius esse in historiis quam origo Indictionum. Sunt interim, qui initium Indictionum referant ad tempus Constantini Magni apud Romanos

nos sentiuntque Indictionem sic dictam ab ejusdem Consulatū. Apud Anglos invaluisse Indictionum usum aliqui volunt à missione Augustini monachi tempore Sti Gregorii Magni: apud Francos tempore Caroli Magni.

§. III. Indictionem Scaliger putat traxisse originem, eo quod Hadrianus Imperator remiserit tributa, quæ Fisco vel ærario Imperatoris debebantur in annos sedecim. Atque ut aucter solet hic litterariæ Republicæ supremus dictator, quemadmodum à quibusdam appellatur, existimat in Dionem irrepsisse mendum, ut pro XV. legendum sit XVI. Quod profectò est uti Lesbiâ regulâ, & magnis abuti scriptoribus, paulò liberius, quàm eorum dignitas permittit, & sinceritas exigit.

CAPUT IX.

PRAGMATICA SANCTIO GALLICANA.

Nomine Pragmaticæ Sanctiōnis intelliguntur Articuli disciplinæ in Ecclesia Gallicana formati à Concilio Bituricensi Ao. 1438. Secundum Concilii Basiliensis ductum, à Rege Carolo VII. & supremo Consilio, quod Parlamentum vocant, solemniter approbati eodem Concilio Generali indulgente & connivente.

§. I. Summa erat de Concilii Generalis autoritate supra Papam, de jure conferendi beneficia, per Pontificem nullatenus turbando, de abolendis nimis reservationibus à Pontifice Romano usurpatis, de Abolitione annatarum, de Causis omnibus (exceptis indubitatè, secundum Canones Sacros, majoribus) ad iudices Provinciales remittendis, præclusis appellationibus frivolis.

§. II. Pontifex Pius II. in conventu Mantuano reclamavit & solemniter protestatus fuit: verum tam protestationes quam minæ & interminationes atroces in cassum directæ contra illos,
qui

qui auri sunt appellare ad Concilium à Pontificis decreto vel sententia.

§. III. Anno 1459. & Sequenti Ludovicus XI. filius Caroli remissius egit, & authographum Pragmaticæ Sanctionis eidem Pio Pontifici misit ad illam abolendam, qui Regi remisit gladium gemmis adornatum & alia pretiosa cum versibus Eucharisticis. Romæ magno cum applausu retractatio illa fuit publicata, Chartæ Sanctionis per plateas dissipatæ. Exortæ propterea fuerunt in toto Gallia regno turbæ gravissimæ, Parlamento & Sorbona obnitentibus.

§. IV. Sub Carolo VIII. invaluit, & prædominari incepit Sanctio Pragmatica Anno 1485. Pontifices multum obstabant, & partim minis, partim pollicitationibus Regis magnatumquè animos à Sanctione reddere alienos moliebantur, non omnino infeliciter.

§. V. Anno 1499. Ludovicus XII. Sanctionem Pragmaticam plane restituit, frustra obsistente Julio II., cum quo Regi, quamdiu ille vixit, luctandum fuit. Donec Franciscus I. hujus gener, ut plurima in regno usitata, ita etiam Sanctionem illam famosam prorsus abrogavit, inductus ab Antonino Pratensi Gallia Cancellario & persuasus à Leone X. quem Bononia convenerat Anno 1515.

§. VI. Eodem anno substitutum fuit **CONCORDATUM**, quod postea fuit insertum Concilio Lateranensi sess. II. Clerus Gallicanus, Senatus, Academia studio pragmatico, à quo divelli non poterant, addicti, novo Concordatorum juri haud facile assuescere poterant, nec statim concoquere valuerunt hujusmodi disciplinæ mutationem, quæ tametsi Gallicæ Ecclesiæ utilis & commoda, novitate tamen sua perturbavit animos Gallorum
Pragma-

Pragmaticam Sanctionem velut Ecclesiasticæ disciplinæ restauratricem penè adorantium. Sed Sacer Ordo, Senatus, Virique Academici Concordatorum commoda experti, tandem acquieverunt, & deinceps nullum murmur adversus jus illud auditum fuit, secundùm quod & Gallica politia disponitur, regitur, ac lites de Sacerdotiis excitatæ in magno Consilio judicantur & viri Academici beneficia postulant, mensibusque designatis consequuntur &c. Natalis Alexander *Hist. Ecclesiast. Tom. 8. Dissert. II. art. 6.*

Juxta hoc Concordatum, ut viri nasuti probè sentiunt, Papa & Rex jura sibi diviserunt, Capitula autem amiserunt, cum cordolio bene sentientium. Auxit reditus Papparum, non sanctitatem. Papa sibi vindicavit temporalia, Regi permisit Spiritualia. Annates, in Gallia saltem, forent Simoniacæ, nisi Rex in temporalia jus Pontifici transtulisset. Mezeræus.

Quod Pontifices tanto molimine, & cum maxima Ecclesiæ perturbatione, Imperatoribus concedere recusarunt, Regi Galliæ permiserunt. Jus Regaliorum vinculum est Papæ & Regis; servitus totius Ordinis Ecclesiastici & *Confirmata subjugatio*. Malum commutatum in pejus. Hæc sunt *Concordata Galliæ*, quorum epitome fere est: 1. Papa abolevit jus electionis Episcoporum, Abbatum aliorumque Prælatorum permanentium, qui habent Dignitatem Consistorialem: Regi autem concessit intra 6. Menses à tempore Vacantiæ alium à Papa approbandum nominandi, & substituendi, quoties non approbabitur. 2. Reservata est Pontifici collatio unius Præbendæ in quavis Diœcesi. 3. Ob plurima merita Franciæ in Ecclesiam non debent Episcopi Universitates, vel civitates interdicere, nisi gravissimis de causis. 4. Res majoris momenti in regno judicabuntur, salva appellatione ad Papam, qui tenebitur in regno denominare Commissarios Apostolicos.

CAPUT X.

SPIRITUALIS MONARCHIA SICILIAE.

Anno Domini 1079. creditur concessum ab Urbano II. P. M. Diploma Salerni datum *in Gratiam Roggerii Comitis Calabriae & Siciliae & filii Simonis, & qui ejus Legitimus hæres existeret*, quo putatur Princeps Siciliae Legatus à Latere natus summi Pontificis. Ideoque is sibi jus arrogat, puniendi, excommunicandi &c. absolvendi Clericos suæ ditionis, etiam S. R. E. Cardinales.

§. I. Baronius *tom. II. Annal.* ad Annum hunc solidè & doctissimè confutat illam, quam Hispani Monarchiam Spiritualem appellat, & magistratum illum Clerico-Laicum, quem dicunt Siculi Monarchiæ Spirituales Judicem supremum & Inquisitorem Generalem: à quo ad Pontificem Romanum appellare, grande nefas ducunt: & cui, licet homini Laico, oblato Libelli supplices inscribuntur, cum titulo: *Beatissimo Patri*. Ostendit autem eruditissimus Cardinalis *loc. cit.* hoc instrumentum mutilatum esse, & duntaxat datum esse Rogerio Comiti, ejusque filii, ast toties revocatum fuisse, quoties Siciliae Regnum in aliam familiam transiit. Quapropter hujus tomi Baroniani Lectio, venditio seu retentio in utroque Siciliae regno prohibita fuit, ipsique Baronio, qui scribens ea præfensit, in Conclavi ad Electionem summi Pontificatus, ad quam aliàs spes effulserat, à Rege Hispaniarum exclusio data fuit: Hæc quæstio in editione Antwerpensi ex Annalibus Ecclesiasticis sublata fuit. Nihil non factum, aut prætermissum; ut, quod eruditi viri Anno 1129. concessum Principibus Siciliae putant, à Pseudo Pontifice Petro Leonis, qui se Annaletum II. appellari voluit, Legitimum haberetur. Usquæ adeo sui, qualiscunque privilegii seu juris Principes Sæculares, quantumvis pii, solent esse tenaces. Certe Carolus VI.
Roma-

Romanorum Imperator, quà Rex Siciliae illud sibi vendicat privilegium: quidquid in contrarium moliantur Pontifices, & Benedictus XIII., qui nunc clavum Ecclesiae gloriosissime tenet, nifus fuerit, amicabili compositione hanc introducere.

§. II. Hanc Monarchiam exoticam tam boni omnes admirantur & timent, quàm oderunt & detestantur. Interim negari non potest, quod Eugenius IV., tempore Schismatis cum Felice V. Antipapa angustiatus, Alphonso Siculo concesserit Pontifice indigna, quibus Monarchia illa visa est confirmari.

§. III. Bullae Epigrapham exhibet Gaufredus Malaterre Monachus Benedictinus Coævus in *Historia acquisit. Calabriae &c.* publicata 1605. per Hieronymum Suritam.

§. IV. Bulla scribitur: Data Salerni 5. Julii. Baronius autem ex Historicis ostendit Pontificem fuisse tunc Romae: sed etiam si in Aprili & Majo ibidem fuerit: equidem potuit 5. Julii fuisse Salerni, & 29. Augusti, dum Romae obiit, illuc reversus fuit.

§. V. Habetur in Bulla: *Omni vitæ tuæ tempore vel filii tui Simonis aut ALTERIUS, qui legitimus tui hæres extiterit.* Quo Rogerium natu minorem filium designari prætendit Card. Baronius: sed alii ad quemcunque indeterminatè extendunt.

§. VI. Tria in ea conceduntur. 1mo quod in Siciliam legatus non sit mittendus nisi cum consensu Regis. 2do quod is habeat facultatem Legati à Latere. 3tio ut in Conciliis congregandis alii Ecclesiastici non sint, quam quos Rex deputaverit.

§. VII. Prodiit Anno 1716. Amsterolodami defensio hujus monarchiae sub nomine Eliæ Du Pin, & refertur, quod illam

Monarchiam confirmaverint Urbanus III., Clemens III. Renuit quidem Innoc. III. eandem confirmare, sed revocavit. Verum dicunt alii, cum illud jus non proveniat ex privilegio, sed ex Concordato Urbani II. cum Rogerio I. Comite Siciliae: qui proinde posset etiam revocare donationes, fundationes &c. intuitu quarum illud jus concessum.

§. VIII. Ao. 1570. exorto diffidio desuper inter Pium V. & Philippum II. denique conventum fuit: ut Rex statueret judicem ordinarium, qui sententiam ferret in rebus & causis Ecclesiasticis etiam ad curiam Romanam spectantibus, & hic vocatur Judex Monarchiae. Clemens IX. revocavit privilegium, voluitque substituere alium judicem. Clemens XI. abrogare conatus est illud tribunal: cum enim quaedam ad Episcopum Lipariensem spectantia, ab urbis Magistratu inscienter taxata fuissent, hic illum excommunicavit: ast cum appellatio fieret ad judicem Monarchiae; ipse praetense reos à censura, *cum reincidentia*, id est, *ad interim*, seu, ut in Gallia loquuntur, *ad cautelam*, ut habiles sint ad comparandum &c. absolvit. Episcopus ad Pontificem appellavit, qui motu proprio judicem excommunicavit. Philippus V. Rex omnibus modis rem componere attentavit. Clemens XI. Anno 1711. die 11. Januarii motu proprio edidit bullam, in qua revocavit privilegia ab Urbano II. Rogero Comiti &c. data.

§. IX. Quando Alphonfus Aragoniae Rex in investitura ab Eugenio IV. accepta renuntiavit privilegiis à Pont. Rom. obtentis: quod Baronius allegat, confundit hic Insulam Siciliae cum ultra Pharam Sicilia, quae nunc vocatur Neapolis. Miserunt etiam Pontifices in Siciliam Legatos: sed an sine Regis consensu? caeterae probationes Baronii non sunt majoris ponderis.

CAPUT

CAPUT XI.

ECCLESIAE SUBURBICARIAE.

Ruffinus *Lib. 11^{mo} cap. 6.* refert Canonem VI. Concilii Nicæni, ut apud Alexandrinos & in Urbe Roma vetusta consuetudō observetur, ut vel Alexandrinus Episcopus Aegypti vel Romanus *Suburbicariarum Ecclesiarum* sollicitudinem gerat.

§. I. Hoc ut intelligatur, observandum est, quod de Regionibus suburbicariis in Codice Theodosii apud Godofredum legitur. Et est extensio jurisdictionis, quam præfectus urbis habet: id est, 100. Milliarium, ut in antiquis habetur *ff. Lib. 1. tit. 12. Leg. 1.* Alii censent, quod Regionibus suburbicariis sint decem Provinciae Dicecesis Italicae sub jurisdictione Vicarii Urbici.

§. II. Hic Vicarius & Italiae Vicarius dividebant inter se septem Provincias Italiae, item Insulas Siciliam, Sardiniam, Corsicam. Sub Vicario Rom. Provinciae erant Campania, Tuscia & Umbria, Picenum suburbicarium, Valeria, Samnium, Calabria, Lucania, & Brictia, Sicilia, Sardia, Corsica. Jacobus Sirmondus *in censura conjecturae Anonymi Scriptoris de suburbicanis Regionibus & Ecclesiis Lib. 1. cap. 4.*, Du Pin &c. Hucusque extendunt jurisdictionem Ecclesiasticam Episcopi Rom. Quod tota terra Occidentalis sub ea fuerit, difficulter probari poterit: licet id moliti fuerint Schelstrate & Saumafius. Certe id neque ex Canone VI. Conc. Nicæn. neque ex alio antiquo monumento constat.

§. III. An in qualitate Metropolitanæ, vel Patriarchæ Ecclesiæ hæ suburbicariæ subsuerint Romano Episcopo? disceptatur. Imum sustinent Launoy, Beveregius, Stillingfleet, Cave &c.

quia, dicunt, *tempore Conc. Nicæn. non fuit nisi Metropolitanus.* Ant. de Dominis, Brerewood post S. Hieronymum sentiunt, quod tunc fuerit Patriarcha, videturque Binghamo probabile. Du Pin *de Disciplin. Ecclesiæ. Dissert. 4. n. 14.* inficiatur ingenuè: & de hac jurisdictione eximit Germaniam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Africam, Illyricam & 7. provincias Italicæ; cui ex professo sese opponit Schelstrate.

§. IV. Verum quod Episcopus Romanus non habuerit jurisdictionem, qua Patriarcha (multò minus quàm Metropolitanus) in univèrsum occidentale Imperium, habetur ex Ruffino presbytero Aquileensi in Italia, qui proinde non potuit ignorare, quousque se extenderit jurisdic-tio Episcopi Romani, limitante illius jurisdictionem ad provincias suburbicarias *in translat. Can. VI. Concilii Nicæni*, cui conformis translatio Sirmondi & Justelli. Deinde septem Italiæ provinciæ, quæ propriè constituunt 7. dioceses, Italicam cum Mediolano earum Metropoli, olim non erant subjectæ jurisdictioni Rom. Episcopi: nam S. Athanas. *epist. ad Solit.*, Theodoret. *Lib. 2. cap. 15.* sæpius appellant urbem Mediolanensem Metropolim Italiæ, sumendo *Italiam* in sensu particulari, quatenus significat territorium distinctum à territorio seu provinciis subjectis Episcopo Rom. Episcopus Mediolanensis ordinabatur ab Aquileensi, & reciprocè, quod patet *ex Epistola Pelagii 17. tom. 5. Concil.* Observant eruditi idem de Episcopo Ravennatensi, qui sæpius cum Episcopo Rom. controversias agitarunt de superioritate, quam sibi vindicare voluerunt, de quo Cave varia refert exempla. Denique Episcopi Africani in diversis provinciis semper habuerunt Exarchos, Primate, scilicet Carthaginensem &c. qui erant exempti ab omni jurisdictione aliarum Ecclesiarum, ut in Justini Novella 131.

§. V. Concilia item Africana prohibuerunt quascunque Appellationes ad Episcopum Rom. Primum appellationis exemplum

plum legitur de Apiario presbytero ad Zosimum. Hic decretum Conc. Nicæni allegavit: sed non repertum, cum revera fuisset Canon Sardicenfis. Afri ea de causa scripserunt epistolam plenam acrimonia ad Coelestinum, Zosimi & Bonifacii successorem.

§. VI. Baluzius in insigni præfatione, quam Libro Augustini Gratiani præfixit, prolixè ostendit, quod Concilia in Gallia, Spatio octo Sæculorum, nunquam approbârint, ut à decisione sua fieret appellatio ad Papam. Suos Metropolitanos constituerunt, ut patet ex II. Concil. Aurel. Ao. 533. Doctissima dissertatio de jure metropol. Anno 1726. Venetiis auctore Josepho Motta Auditore Metrop. Aquilejensi edita ostendit ex textu Græco Canonis VI. Nicæni, ejusque, quam affert, versione Arabicâ, ex latinis Dionysii Exigui, & Isidori nihil de jure patriarchico erui posse, sed jus metropolitanicum eo textu firmari, sicut & per Ruffini explicationem, planum est, inquit, de metropolitica potestate Ruffinum Canonem laudatum explicasse. Eadem dissertatio ex antiquis Ecclesiæ moribus, ex Conciliorum statutis copiosissimè perstringit appellationem per Saltum ad Rom. Pontificem omisso medio, nempe Metropolitani Judicio.

CAPUT XII.

CHRISTIANORUM TEMPLA, HORUM IMMUNITAS, ORNATUS, PARTES ET ANTIQUITAS.

Paulus vocat *Ecclesiam*, Tertullianus *Domum Dei*, Cyprianus *Dominicum*. Olim *Martyrium*, Memoria Martyrum. Tertullianus memorat fuisse in loco sublimiori versus Orientem constructum.

§. I. Incertum, an Sæculo III. ad Benedictionem loci aliqua ceremonia adhibita. Verisimile, quod preces aliquæ fuerint perfolutæ ea occasione. Sub Constantino M. solemniter fuerunt
con-

consecrata. Ad hoc conveniebant Episcopi Dicecesani: sicut in consecratione templi, quod idem Imperator super Christi sepulchrum construi fecit. Euseb. *Lib. 4. de vit. Const. cap. 43.*, Socrates *Lib. 2. cap. 8.* refert quod Concilium Antiochiæ fuerit celebratum pro consecratione Ecclesiæ in *Hist. Eccles.* plura exempla. Incipiebant per orationem panegyricam Dei & structuræ, item fundatoris liberalitatem. Euseb. *Hist. Eccles. Lib. 10. cap. 14.* Videatur Gaudentius *serm. 17. in Dedicat. Eccles.*, Ambrosius *serm. 89.*, Augustinus &c. Nullum sine licentia Episcopi construi poterat. Justinian. *Novell. 131. cap. 7. Novella 67. cap. 1.* Si quis voluerit ædificare venerabile oratorium aut monasterium, præcipimus non aliter inchoandam fabricam, nisi locorum Episcopus orationem ibi fecerit & venerabilem fixerit crucem.

§. II. Non videtur probabile, quod Episcopus non poterit sine licentia Pontificis Romani in sua dicecesi Ecclesiam consecrare. Volunt quidam id desumere ex Socrate *Lib. 2. Cap. 8.* Ubi tamen intelligitur, quod sine habita ratione legum Generalium, quas Pontifices Rom. condiderunt, non possint construi, ut observat Bingham.

§. III. Tempia nonnisi Deo construebantur. Augustin. *cont. Maximum tom. 4.* Nonne si templum alicui S. Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, Anathematizaremur à veritate Christi & Ecclesia Dei? quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo. Idem *de vera relig. Cap. 55.*, Honoramus (martyres) charitate, non servitute, nec eis templa construimus: nolunt enim sic honorari à nobis. *De civit Dei. Lib. 22. Cap. 10.* Nos autem Martyribus nostris non templa, sicut diis, sed memorias Martyrum, sed uni Deo & Martyribus & Nostro &c. Ita ergo, ut *serm. 113. de diversis tom. 10.* scribit, S. Cypriano in loco, ubi occubuit, Ecclesia & altare erectum, quæ dicebatur *Mensa Cypriani.*

§. IV.

§. IV. Consecratio Calicum, S. ✠, imaginum, cereorum, Rosariorum in antiqua Ecclesia incognita.

§. V. Anniversaria Dedicacionis non tantum Dominico: sed quovis die celebrabatur: ut ostendit Pagius in *Crit. Baronii*. Apud Bedam *Lib. 1. hist. cap. 30.*, Gregor. M. Anglis permisit celebrare Anniversaria loco & festo, quibus aliàs diis sacrificatum.

Asylum.

§. VI. Conveniunt eruditi, quod tempore Constantini M. templa fuerint Asylum, licet lex nulla in Justiniani Codice. Antiquissima constitutio est Theodosii Imp. publicata Ao. 392. Ast inde patet, antiquam tunc fuisse consuetudinem, quia ibi Asylum non constituitur: sed ordinantur certa observanda. Godofredus tamen censet, passim tunc introductam. Theodosius Junior extendit ad Domos Episcoporum, Clericorum hortos, Balnea &c. Non fuerunt ad protectionem malefactorum: sed tantum innocentium oppressorum, in casibus fortuitis, dubiisve. Durabat ordinarie 30. dies, & tunc confugientibus alimenta, ex rebus Ecclesie tribuebantur.

Templorum ornatus.

§. VII. Primis etiam Saculis templorum parietes ornati fuerunt pictis diversis historiis biblicis & inscriptionibus piis. Hieronym. *Epist. 8. ad Demet.* Non reprehendo, non abnuo, quisquis in suo sensu abundet; melius est hoc facere, quam repositis opibus incubare: sed tibi aliud propositum, Christum vestire in pauperibus.

§. VIII. Ante tempora Concilii Nicani nullæ in templis imagines, ne cultus idololatriæ objectam mutasse, non reliquisse viderentur Christiani: quod ipsum Ethnicorum Judæorumque silentium sat probat. Hinc Clemens Alex. *Nobis non est sensibilis imago materiæ sensibilis: sed quæ percipitur intelligentia.* Concilium Illiberit: Ao. 305. *Can. 36.* Placuit picturas in Ecclesia non esse debere: ne, quod colitur, adoratur, in parietibus de-

pingatur. PP. sciebant idololatriam ex multis Hispanorum animis necdum prorsus depositam. S. August. *Lib. de mor. Eccl. Lat. Lib. 1. cap. 34.* Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores, quos ipsa Ecclesia condemnat, & tanquam malos filios corrigere studet. Meminit idem tamen S. Doctor imaginis Abrahami sacrificantis *Lib. 22. cont. Faustum cap. 73. &c.*

§. IX. Imago Patris aut SSS. Trinitatis in Antiqua Ecclesia nunquam visa, in qua inquirenda nec Petavius, nec Rosweidus supra Paulinum Nolanum ascendere potuerunt. Hic scribit *in ep. 12. ad Sever.* repræsentationem symbolicam SSS. Trinitatis. Plena corrumpat Trinitas mysterio; stat Christus agnus, vox Patris coelo tonat & per columbam spiritus sanctus fluit, Christiani repræsentant Patrem voce coelesti &c. At August. *de fid. & Symb.* Tale simulachrum nefas est Christiano in templo collocare, multò magis in corde nefarium est. Gregor. P. II. magnus imaginum fautor *in ep. ad Leon. act. 4. Con. Nicæn. II.* declarat, non licere facere ullam præsentationem naturæ divinæ. In eo Concilio *act. cit.* Germanus Constantinopolitanus, Joannes Thessalonicensis tales imagines non approbant. Ante hoc Concilium nullæ in templo collocatæ statuæ, ut observat Petavius; reprehendit eas August. *in Psal. 113.* Item Optatus Milev. *Lib. 2.* scribit usum statuarum esse paganicum. Quando Cruci imago Salvatoris affixa fuerit, non liquet: aliqui ad Sæculum VIII. referunt.

§. X. Olim templa floribus ramisque ornata fuisse habetur apud August. *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* Paulinus alludit Nat. 3. S. Fœlicis. Observant tamen alii, quod flores in altari necdum Sæculo XI. visi fuerint.

§. XI. Altaria olim Lignea, post Lapidea, sanctificata corpore Christi, ut Chryf. *hom. 3. ep. 1. Cor.* postea chrysmate inuncta. Græcis in quovis templo unicum tantum. Tabernaculum nullum, sed neque ante annum 1215. apud Latinos visum. Eucharistia conservabatur in pixide vel sacco ad parietem pendulo. Veteres Græci columbæ figuram in medio Ecclesiæ pendebant, in qua
Eucha-

Eucharistia; id Latini quidam fuerunt imitati. Bellarminus *de Euch. Lib. 4. Cap. 4.* scribit, quod illud vas, in quo Sacramentum illud aservabatur, vocatum fuerit *Pastophorium*, eo quod in eo sacramento sit verus templi præpositus: sed fallitur. Bovius existimat fuisse tabernaculum quoddam quasi armarium in fronte templi, in quo Eucharistia servabatur. Apud Esdram ponitur pro habitaculo. *Pastos* Græce significat locum, ubi sacerdotes convivebant, Pallium sacerdotale, chorum nuptialem. Calepinus. Pro *Pastophorio* Aquila & Symmachus apud Hieronymum *Gazophilacium* & *Esdras* posuerunt.

Templi partes.

§. XII. Templum olim in tres partes dividebatur. *Pars Augustior* velis cancellisque à reliquis partibus sejuncta presbyterorum & Diaconorum erat, ut modo chorus dicitur. *Secundo Loco* continebantur fideles, qui nullis innocentiam flagitiis polluerant, & Cancellorum limitibus circumscribebantur. *Tertia pars* nullis quidem circumvallata cancellis, communibus tamen munita muris, energumenis, substratis, Judæis, paganis, hæreticis, poenitentibus item, & catechumenis relicta. Vocabatur *Narthex*, Pars templi ingredientibus prima, exeuntibus postrema, Locus, in quo monachorum & fidelium corpora ponebantur, ut ceremoniæ circa defunctos peragerentur. Alii volunt, quod *Narthex* sit locus, cui sacrarii nomen postea inditum. De *Narthece* tractavit Leo Alarius, Schelstrate, Beveregius, Larroquanus, & novissime Robertus Suth Docteur Anglicus. Recentioribus Græcis *Narthex*, quod Antiquioribus *Pronaos*, seu templi pars anterior: nam *vade* græcis templum significat. Heinsius *exercitat. sac. ad Act.* vult, quod *Narthex* sit Porticus, in quo consistebant, quibus audire tantum permittebatur. Ita etiam Saumas. *in Plinian. exercitationibus.* Gregorius Thaumaturgus scribit: Audicio est intra portam in *Narthece*, Porticus extra fores Ecclesiæ erat. Cum græca vox *vadē* & *Onē* latinè ferulam significet; & apud antiquos etiam pro reconditio

sio

rio medicamentario accipiatur, pœnitentium sub ferulâ existentium locus hoc nomine per tropum appellabatur.


§. XIII. Neque scriptores moderni satis conveniunt, quæ pars templi dicta fuerit *Capsum*. Baronius eam vult esse, quæ amplior erat incipiens à Cancellis primarii altaris, usque ad januas, quibus fideles ingrediebantur. Verum Gregorius Turon. *Lib. 2. Hist. cap. 14.* capsium exhibet altario minus: Ecclesiæ autem navis est altario major. *In altario, inquit, fenestræ 32., in Capso 20.* Cangius in *Lexico* scribit: Capsum intelligi debet de ea sedis parte, quæ retro altare est, & editior olim erat.


Templorum Christianorum antiquitas.

§. XIV. Sæculo II. à Christianis templa exstructa omnino verisimile est, quidquid Polyd. Virgil, Hospinianus, Blondellus &c. negent. Romæ Anacletum Papam S. Petro Memoriam erexisse legitur in Catalogo, Sæculo VI. tempore Justiniani confecto. Observat autem Baronius ex *Libro de Rom. Pontif.*, Anacletum, cum adhuc presbyter esset, in gratam collati Ordinis memoriam, in Vaticano *memoriam* Sancto huic Apostolo construxisse super ejusdem corpus: quam post tot persecutionum turbines perseverasse mirum est. Sæculo III. facta Romæ contestatione inter Christianos ex una parte, & inter tabernarios ex altera parte de proprietate loci, qui vulgò *taberna mœritoria* appellatur, Alexander Imperator & Christianorum Evergetes decidit in eorundem favorem, declarans satius esse, ut hi relinquuntur in possessione loci, in quo qualicumque demum modo numen honoraretur, quam ut occuparent alii, qui ibidem negotia minus honesta tractarent. Lampridius.

Tertullianus cont. Valent. *Cap. 3.* scribit. *Libidines non modo limine, verùm omni Ecclesiæ tecto movemus.*

F I N I S.





H. G. 874

